DE PAUPERUM CURA APUD ROMANOS

J. J. ESSER

DE PAUPERUM CURA APUD ROMANOS.

DE PAUPERUM CURA APUD ROMANOS.

ACADEMIA LIBERA REFORMATA.

DE PAUPERUM CURA APUD ROMANOS.

DISPUTATIO LITTERARIA

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE

EX AUCTORITATE RECTORIS

H. H. KUYPER

THEOL. DOCT., IN FAC. THEOL. PROF. ORD.

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISQUE IN PHILOSOPHIA THEORETICA ET LITTERIS HUMANIORIBUS HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS

PUBLICO AC SOLLEMNI EXAMINI SUBMITTET IN AEDIBUS QUIBUS NOMEN „DE WERKENDE STAND"

JOHANNES JUSTUS ESSER

E PAGO ZEIST

DIE XIX M. DECEMBRIS MDCCCCII, HORA III.

CAMPIS APUD PH. ZALSMAN

MDCCCCII.

MATRI UXORIQUE MEIS.

Opusculo meo ad finem perducto facultatem mihi oblatam esse gaudeo, ut ex animo vobis gratias agam, viri clarissimi, Academiae Liberae Reformatae Professores, quorum cum doctrina tum benevolentia atque humanitate tam diu frui mihi licebat. Semper animo meo penitus inhaerebit iucundissima vestri memoria. Praecipue autem pro impertitis mihi praeceptis scholisque explicatis gratum animum tibi profiteor, clarissime WOLTJER, *honoratissime doctor et promotor! In hoc opusculo componendo mirum quantum utilitatis mihi praebuerunt et monita tua, quibus me adiuvare semper eras paratus, et pretiosae bibliothecae tuae usus liberalis. Utinam Deus, Dominus noster, beneficiis suis cumulet omnium vestrum gravissimos labores, quos Universitati, Litteris, Patriae profore etiam atque etiam spero.*

Restat ut diserte paucis gratias agam etiam praefectis bibliothecarum nostratium, nominatim vero academicae Ultraiectinae, viro doctissimo VAN SOMEREN, *qui mihi aditum ad thesaurum, cuius diligentissimus custos est, vel iis horis patefacere non gravatus est, quibus alioqui clausus esse solet.*

CONTINENTUR

PROOEMIUM.

His temporibus fortasse nulla causa est, quae per omnes terras cultiores vehementius hominum animos exspectatione suspensos habeat omniumque tam doctorum quam legum latorum, tam principum quam popularium ingenia exerceat, quam opificum hominumque infimae sortis condicio, quibus „celeriter esse atque opportune consulendum consentiunt universi, cum pars maxima in misera calamitosaque fortuna indigne versentur." [1]) At qui putet hanc quaestionem novum quid esse, is vehementer errat. Quamdiu fuit hominum societas, ex quo res humanae litteris custodiri coeptae sunt, semper, quamvis formae variarent, in easdem quaestiones incidimus. Quod et de aliis rebus dicendum et imprimis de inferiorum hominum sorte. Quandoquidem autem Roma urbs per multa saecula fuit regina ac domina orbis terrarum, et Romana iura instituta mores ne quo vivimus quidem tempore deleta sunt, mihi non indignum visum est inquirere in pauperes eorumque condicionem in imperio Romano, ut perspicuum fieret num et quomodo et quibus causis adducti Romani egentibus

---

[1]) Cf. Leonis Papae XIII Litteras Encyclicas De Conditione Opificum (Ed. Friburg. pag. 9).

prospicerent, cognoscerenturque eventus, qui illam curam secuti sunt. Hanc disputationem non extendam ad Christiana tempora, quia Christi doctrina cum primum mentes imbutae sunt, hominum mores atque instituta prorsus sunt commutata.

Statim initio summatim exponenda puto ea quae Romanorum publicis privatisque rationibus pro viribus meis diligenter excussis confirmari posse mihi videntur.

Postquam a regum dominatione in libertatem vindicata fuit res publica Romana, amplius duo saecula intestinum certamen ad quaestiones imprimis civiles referendum est; ut cum patriciis in parem iuris condicionem reciperentur contendebant plebei. At minora plebeiorum iura occasionem dabant patriciis illos opprimendi. Testantur, ut alia omittam, crebrae leges agrariae et faenebres ad illa tempora referendae. Non mirandum id ipsum multis plebeis fuisse incitamentum ut certamine non desisterent, quod se in meliorem quoque quam antea condicionem vitae venturos esse sperarent. Non desunt scriptorum testimonia quae hoc indicent.

Quicquid id est, nemo erit qui neget circa externa bona litigatum esse, cum patriciorum et plebeiorum iuribus aequatis novum certamen tumultum civitati iniceret. Imperii finibus in transmarinas terras prolatis in ipsa Italia rerum condicio prorsus mutata est. Ut principio aliqua ex parte inter se pares fuerant fortunis, ita tunc in duas classes dividi poterant Romani magno inter utramque discrimine interiecto. Servorum greges cum liberos agrestes tum plebem mediam quae vocatur submovebant. Non solum enim servorum opus minoris constabat, verum etiam operas praebendo vitam tenere contemptui esse coepit. „Opificesque omnes in sordida arte versantur: nec enim

quidquam ingenuum habere potest officina." [1] Ab altera parte igitur pauci locupletes, fundorum late patentium possessores, ab altera ingens vis egentium, qui magis magisque Romam confluebant. Inde crebrae dissensiones turbae motus. Prudentissimum quemque non fugiebat quantum rei publicae interesset ut subveniretur dilapsae agriculturae et seditiosa illa plebs Roma removeretur. Primo ex antiqua ratione locupletium possessiones impugnabantur, mox cum operam frustra consumi appareret, alia via inita est. Non aliter ac qui hodie appellantur „Socialistae", in re publica omnem spem ponebant populares. Non solum quicquid agri publici supererat ut divideretur flagitabant, quod si locatus fuerat sine aerarii detrimento fieri non poterat; sed ne publice emi quidem agros, qui sibi assignarentur, quicquam pensi habebant. Publico sumptu et inopum civium et veteranorum coloniae deducebantur cum in Italia tum in subiectis terris. Immo cum Italia civilibus bellis arderet ne privata quidem bona tuta erant: ubique possidentium eversiones cerneres.

Ceterum haec agriculturae medendi ratio parum efficax erat. Servitiorum malum integrum permanebat. Locupletes novas quoque colonorum sortes coemebant: veterani „neque coniugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti orbas sine posteris domos relinquebant". [2]) Frumentum, cum abundanter magnamque partem impensa publica ex provinciis importaretur, in ipsa Italia sumptum suum non sarciebat. At praeter haec omnia, ne agricultura laetius efflorescеret maxime obstabant ipsae illecebrae, quibus homines Romam trahebantur, ut frumenti et congiariorum distributiones, epulae, viscerationes, ludi, et quae sunt generis eiusdem. Quamvis in

---

[1]) Cic. De Off. I, 42, 150.

[2]) Tac. Ann. XIV, 27.

modo offendas, tamen — turbida tempora possidentiumque expulsiones excipio — a g r a r i a consilia sine dubio aliquatenus salutaria erant. Quod idem dici non potest de modo quo inde a C. Graccho urbis Romae incolis res ad victum necessariae prospiciebantur. Antiquitus non in fame tantum et inopia frumentum Romam convehendum senatus curavit, sed perpetua annonae cura publice habita esse videtur. Interdum aediles privato sumptu annonam levabant. Ab illa cura tamen multum differt frumenti largitio, quae auctore C. Graccho in consuetudinem venit. Ab eo enim in Romanorum mores inductum est ut publice primo perquam exiguo, mox magnam partem nullo pretio frumentum urbanae plebi distribueretur. Quae „frumentationes", ut vulgo appellantur, quanta mala Romae totique fere Italiae attulerint in promptu est, quare Augustus „impetum se cepisse scribit frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quod earum fiducia cultura agrorum cessaret: neque tamen perseverasse, quia certum haberet post se per ambitionem quandoque restitui." [1]) Malum tam altas radices egerat, ut ne potentissimus quidem ille princeps id exstirpare auderet. Simul autem antiqua cura annonae permansit, quae imperatoribus praesertim regnantibus mirum quantum valebat. Cum civitate concertabant privati, qui partim multitudinis suffragia captantes, partim res novas metuentes, urbanam plebem beneficiis cumulabant. Iam illustrantur haec verba Sallustii [2]): „Iuventus, quae in agris manuum mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita urbanum otium ingrato labori praetulerat."

Romani cum semel populum talibus largitionibus placare

---

[1]) Suet. Aug. 42 (Ed. Roth).
[2]) Sall. Catil. 37, 7.

coepissent, hoc iter continuare coacti erant. Ut ineunte hoc saeculo in Gallia perturbatio omnium rerum tulit dominatum Napoleonis, ita Romae domestica bella hunc exitum habuerunt, ut in civitate summa omnium rerum uni deferretur. At Caesares qui omnia dignitatis incrementa populi, i. e. urbanae plebis, arbitrio debebant, ad illius nutum et voluntatem totos se convertere necesse erat. Ne tumultum iniceret civitati, non solum frumentum distribuere pergebant, sed varia congiaria addebant, ut vini, salis, olei, carnis, tunicarum, orariorum, at maxime praesentis pecuniae. Non semper facile est ad diiudicandum utrum haec imperatorum munificentia privata an publica ducenda sit. Iuris consulti quidem: „res fiscales quasi propriae et privatae principis sunt.” [1]) At ex fisco non minus quam ex aerario impensae publicae tolerabantur. Praeter fiscum autem exstabat patrimonium ceteraque res familiaris Caesaris, quibus principes non raro utebantur ad aerarium iuvandum vel ad dona danda populo.

Non solum Caesares, verum etiam ceteri magistratus populi rationibus serviebant. Ita quidem omnia versa erant, ut libera re publica ad finem properante magistratus saepenumero ex errore imperitae multitudinis penderent, Caesarum contra aetate in urbe leges ambitus cessarent, „quia ad curam principis magistratuum creatio pertine(ba)t, non ad populi favorem.” [2]) At qui ad magna et honorata ministeria produci cuperent, eos non minus quam antea liberalitatis famam collegisse oportebat. [3]) Immo proceres, si pro dignitate vivere cupiebant, variis modis populum ad societatem bonorum suorum vocare debebant. Cum autem mu-

---

[1]) Ulpian. Dig. XLIII, 8, 2, 4.
[2]) Dig. XLVIII, 14, 1.
[3]) Cf. Pöhlmann, Übervölk. d. antik. Grossstädte, pag. 43.

nicipia omnibus partibus Romam imitarentur, iam intellegitur non solum Romae verum etiam ubique in imperio Romano cum publice tum a privatis multiplici ratione et utilitati et voluptati populi fuisse prospectum. Inde omnis generis opera atque aedificia publicis usibus destinata, ut balneae, templa, porticus, theatra, stadia, pontes, similia; inde magnifici ludi, epulae, olei frumenti nummorum distributiones, invitationes ex variis sollemnibus causis factae, alia. Imprimis huc referenda sunt sepulturae loca publico usui destinata. Collegiorum quoque varia frequentia multis munificentiae ansam afferebant, ut cum collegia patrocinio locupletium uterentur, quos sane saepius si non pari, at grato tamen munere remunerari debebant. In his collegiis, quae Caesarum cum maxime aetate florebant, etiam pauca vestigia reperiuntur cuiusdam curae, quam tenuiores homines inter se habebant. Pecunias enim in commune conferebant, unde mortuis sodalibus iusta persolverentur. At praeter illud quasi aerarium Libitinae, praeter coetus certis temporibus initos, praeter collegiorum sacra sollemnia convivia, eiusdem collegii homines vix ulla utilitatis communione sociati erant.

Vidimus ut nobiles plebis desideriis obsequi deberent. At non minus plebs obnoxia erat nobilibus. Moneo de clientibus, qui omnes indignitates ferre coacti erant, ut sportulas aliaque beneficia auferrent, profecto gravis laboris saepe nimis parvum pretium.

Ne mendici quidem Romae deerant, qui stipem colligerent a praetereuntibus, sed maximam partem erant peregrini: vere Romanos mendicando vivere pudebat. [1])

Unum restat memoratu dignissimum, quod ad veram

---

[1]) Cf. Pauly, Real—Encycl. s. v. *mendicus*.

egentium curam propius accedit quam omnia quae praecesserunt. Sunt „alimenta", quae nunc demum attingo, quia, quamquam iam Augusto imperium tractante quaedam illorum vestigia reperiuntur, tamen secundo demum p. Chr. n. saeculo, inde a Nerva et Traiano, florere coeperunt. His alimentis certi quidam inopes pueri et puellae publice vel a privatis ad adulescentiam perducebantur. Imperatores id potissimum spectabant, ut agriculturae etiam tum iacenti auxilium ferrent pubemque legionibus adducerent; erat enim „magnum educandi incitamentum tollere liberos in spem alimentorum." [1])

Diversis huius disputatiunculae locis iam breviter perstrictis quaeritur utrum Romani perpetuitate quadam et constantia egentium curam habuerint necne. Si rem universam spectes, negandum est. Publica consilia ad omnem plebem, urbanam certe, pertinebant. At nimirum inopes quoque illius plebis pars erant, ideoque et ipsi ex iis consiliis commodum capiebant. Ne Gracchi quidem egentissimi cuiusque maxime rationem duxisse videntur. [2]) Ceterum cum eorum tum ceterorum qui populi causam agebant consilia magnam partem aut ab optimatibus ad irritum redigebantur aut nimis rara fuerunt quam ut iis magna vis tribui possit. [3]) Bellorum quidem civilium duces, itemque postea imperatores, studiose veteranorum commoda tuebantur. At priorum certe rationem, qua placidi saepe cives possessionibus suis deturbabantur, nemo, puto, egentium curam appellabit. In ipsis frumenti congiariorumque distributionibus eorum potissi-

---

[1]) Plin. Paneg 27.

[2]) Plut C. Gracch. 9, 2.

[3]) Ut exemplo utar: Caesare auctore ager Campanus et Stellatis divisus est pauperibus iis, quibus terni pluresve liberi essent. Cf. Suet. Iul. 20 aliosque scriptores.

mum rationem habitam esse qui maxime egerent, viri docti qui contendunt admodum exilibus argumentis niti mihi videntur. Multo minus tale quid affirmari possit de variis sollemnibus, epulis, similibus. Immo non raro fiebat, ut qui in honore essent, decuriones puta aliique, pro rata parte duplum acciperent.

Iam dixi alimenta propius accessisse ad veram egentium curam. De eorum natura iam iamque tria verba dicturus sum.

Notatu dignissimum mihi videtur, quod quidem ego sciam nullum vestigium apparere curae, quam sacerdotes habuerint pauperiorum. Fortasse a tali cura non multum abest id quod tradit Varro de pane, qui quasi opaca vetustate haud dubie curantibus aedilibus plebis „daretur" iis „qui ope indigerent et ad asylum Cereris confugissent." [1]) At praeter haec brevia verba Varronis de hac re nihil notum est.

Quod ad privatos, et ipsis, quatenus plebis animos ad benevolentiam alliciebant, nulla causa erat, cur egentissimum quemque maxime colerent. Nec clientela — nimirum antiqua illa nihil hoc loco utimur — ad egentium curam pertinebat. Sed quod in publica ratione probavimus, id non minus in privatis probari necesse est, licet fortasse non consulto, at re beneficia quae in omnem plebem conferrentur, ad inopes quoque redundasse eorumque statum sublevasse.

Unum non praetermittendum, et publica consilia et privatorum munificentiam fere ad solos cives pertinuisse: raro illorum quoque rationibus prospiciebatur qui civitate non fruebantur.

Adiungi potest quaestio de populi Romani moribus et

---

[1]) Varro ap. Nonium, pag. 60 Ed. Luc. Müller (pag. 44 edit. Mercerianae).

ingenio: utrum Romani misericordiam facile reciperent necne. Romano populo natura subtile iudicium erat insitum, quid iustum, quid iniustnm esset. Magna severitate cavebant ut suum cuique tribueretur. Vere Seneca [1]): „(Maiores nostri) nullam excusationem receperunt, ut homines scirent fidem utique praestandam. Satius enim erat a paucis etiam iustam excusationem non accipi quam ab omnibus aliquam temptari." Miseret nos afflictae fortunae illorum plebeiorum, quos patricii aere alieno demersos sine ulla misericordia in custodiam dabant, quam custodiam vir ille omnis antiquitatis peritissimus, Mommsen dico, aeque atrocem fuisse iudicat ac si aliquis vivus sepeliretur. Etiam hoc Romanorum proprium erat, quod ad utilitatem vitae omnia consilia factaque dirigebant. „Romae dulce diu fuit et sollemne reclusa Mane domo uigilare, clienti promere iura, Cautos nominibus rectis expendere nummos, Maiores audire, minori dicere, per quae Crescere res posset, minui damnosa libido." [3]) Praeclare Prevost Paradol [4]) Grae-

---

[1]) De Benef. VII, 16, 3. Cf. etiam, quae de fide Romana iucunde disseruit Sextus Caecilius apud Gellium XX, I, 39 seqq.

[2]) Ita Mommsen in loco illo dignissimo, qui totus legatur, ubi agit de Romani iuris ratione (Röm. Gesch. I^8 pag. 155—158. Verba ipsa inveniuntur ibidem pag. 158). Conferatur etiam Voigt (XII Taf. I pag. 40): „Im Besonderen aber zeichnet ein empfänglicher Sinn für Gesetzlichkeit und eine hohe Achtung vor dem Gesetze selbst den alten Römer aus, und so nun auch die strengste Rechtlichkeit, wie die peinlichste Genauigkeit in Betreff der Einhaltung obliegender Verpflichtungen. Und wie daher einerseits die höchste Gewissenhaftigheit in Erfüllung der eigenen Obliegenheiten erfordert wird, mögen dieselben auf dem ius oder auf den boni mores und der fides beruhen, so greift andrerseits rücksichtslose Strenge und unbeugsame Härte gegenüber der Nichterfüllung der dem Andern obliegenden Verpflichtung Platz, mitunter bis zu einem unmoralischen Gebrauche des Rechtes sich steigernd."

[3]) Hor. Epist. II, 1, 103 seqq.

[4]) Prevost Paradol, Nouveaux Essais de Politique et de Littérature, pag. 152 seq. Laudatum apud Quack, De Socialisten, I pag. 48 seq. Operae pretium est legere totum hoc caput, quo clarissimus ille popularis noster, vir tanti ingenii elegantiae, agit de Gracchis et de „Socialismo" apud Romanos.

corum ingenia cum Romanorum confert. In isto genere notabilia sunt, quae dicit Xenophon de servis non validis in libro qui inscribitur Oeconomicus, ubi quidam Ischomachus uxori suae: „Ἓν μέντοι τῶν σοὶ προσηκόντων, ἔφην ἐγὼ, ἐπιμελημάτων ἴσως ἀχαριστότερον δόξει εἶναι ὅτι ὅς ἂν κάμνῃ τῶν οἰκετῶν, τούτων σοι ἐπιμελητέον πάντων, ὅπως θεραπεύηται". Respondet autem uxor: »Νὴ Δί', ἔφη ἡ γυνή, ἐπιχαριτώτατον μὲν οὖν, ἢν μέλλωσί γε οἱ καλῶς θεραπευθέντες χάριν εἴσεσθαι καὶ εὐνούστεροι ἢ πρόσθεν ἔσεσθαι." [1]) Quibuscum conferas Catonis de Agri Cultura 2, 7. Cato servos bubus ferramentisque in aequo ponit, servumque senem, servum morbosum iuxta ac boves vetulos et plostrum vetus venire iubet. [2])

Quae cum ita sint, iam intellegitur non paucos esse qui populum Romanum ad misericordiam propensum fuisse negarent. Ne ego quidem aliter existimare ausim. Attamen in eiusmodi rebus ex aequo iudicare difficile est. Iam primum, ut in singulis hominibus, ita in populis aliquod discrimen aetatum est. At etiamsi hoc omittamus, cautio quaedam adhibenda videtur in plurimis locis, ad quos illi relegare solent. Ut cum quidam senex dicit apud Plautum: „De mendico male meretur, qui ei dat quod edit aut bibat: Nam et illud quod dat perdit et illi prodit vitam ad miseriam." [3]) Addi poterant haec verba ex Captivis: „Neminis miserere certumst, quia mei miseret neminem." [4]) Talibus locis tamen ex comicis sumptis nimium tribuendum non esse in promptu est. Nonnunquam auctorem male

---

[1]) Xen. Oec. 7, 37.

[2]) Nec Prevost Paradol nec Quack monuit Columellam (R. R. XII, 1) prorsus eadem suadere atque Xenophontem. Sed primum ipsum Xenophontem paene ad verbum Latine transtulisse videtur; tum Columellae aetate hominum mentes humanioribus notionibus imbutae erant.

[3]) Plaut. Trin. II, 2, 58 seq. (Ed. Goetz et Schoell).

[4]) Capt. III, 5, 106 seq.

interpretati sunt.[1]) Ut cum est apud Vergilium, generosum illum Romanum, de viro rustico: „neque ille aut doluit miserans inopem aut invidit habenti." [2]) Bene Heyne ad hunc locum: „non duritie et ferocia animi, aut Stoica aliqua apathia, quae male, a Servio inde [3]), huc advocatur; sed nec dolet, nec invidit, *quod in agro remotus ab omni pauperum miseria* et divitum luxu ac fastu, animum ab omni perturbatione vacuum habere potest. e. q. s." Quam interpretationem recentiores (Forbiger, Benoist) secuti sunt. [4]) Revera aliquam persuadendi necessitatem adhibent testimonia quae sequuntur, ad maxime sane diversa tempora referenda. Unum est fragmentum Polybii, quod laudat Zumpt [5]) Romanos leviter perstringens: »ἁπλῶς γὰρ

---

[1]) Quod inter alios fecit Albertus, Die Sozialpolitik der Kirche, pag. 142.

[2]) Georg. II, 498 seq.

[3]) Cave tamen putes Servium tam aspere iudicasse de Vergilio. Tale quid nequaquam dicit. Quin et ipse Heynianam interpretationem proponit, scribens: „est et aliud, quod possumus accipere: ideo rusticum nec bonis nec malis alienis moveri, quia eis non interest, quippe qui ab urbibus est remotus".

[4]) Quod ad locum quem ex Quintiliano laudant, is invenitur in Declamationibus (CCCl, 3, 17) Iam primum minores has declamationes spurias esse — quamvis non multo post Quintiliani mortem scriptae esse videantur (Cf. Schanz in Iw. v. M.'s Handb. d. kl. Alt. VIII, 2, pag. 444) — Trabandt (*De minoribus quae sub nomine Quintiliani feruntur declamationibus;* cf. etiam Fleiter, *De minoribus quae sub nomine Quintiliani feruntur declamationibus;* utrumque commemorat Schanz l. l. pag. 445) nuper probabilibus rationibus exposuit. Tum docti illi viri plus quam scripta sunt ibi legere videntur. Dives quis, a quodam paupere ad cenam invitatus, huius rapuit puellam quam hic ancillam esse dixerat. Puella ex lege raptarum nuptias optavit. Vir dives accusat pauperem circumscriptionis. Respondet hic divitem virum ipsum non credidisse ancillam esse. Et pergit — haec autem sunt verba quae rem continent —: „P o s s i s t u f o r t a s s e h u c u s q u e d e s c e n d e r e u t n o n f a s t i d i a s p a u p e r e s: n u n q u a m c u p i d i t a s t u a u s q u e a d m a n c i p i a d e s c e n d e t." Non igitur agit de quovis fastidio — nam id ipsum quod vir dives apud pauperem cenabat satis ostendebat eum pauperes non fastidire — sed de certa quadam causa, contendens illum, si res ita ferat, fortasse puellam pauperem esse rapturum, servam nunquam rapturum.

[5]) Ueber den Stand der Bevölk. u. die Volksvermehr. im Alterth. (in Abh. d. Berl. Akad. a. d. J. 1840), pag. 29.

οὐδεὶς οὐδενὶ δίδωσι τῶν ἰδίων ὑπαρχόντων ἑκὼν οὐδέν." [1]) Alterum testimonium Senecae est qui sapientem, qualis ex ipsius sententia esse debeat, in hunc modum multitudini opponit: „Succurret alienis lacrimis, non accedet. dabit manum naufrago, exuli hospitium, egenti stipem, non hanc contumeliosam, qua pars maior horum, qui se misericordes videri volunt, abicit et fastidit quos adiuvat contingique ab his timet, sed ut homo homini ex communi dabit." [2]) Adici potest quod tradit Lactantius [3]): „Recte igitur Seneca in libris moralibus: Simulacra, inquit, deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant, illis per totum assident diem, aut asstant, illis stipem iaciunt, victimas caedunt; et cum haec tantopere suspiciant, fabros, qui illa fecere, contemnunt. Quid inter se tam contrarium, quam statuarium despicere, statuam adorare, et eum ne in convictum quidem admittere, qui tibi deos faciat?" Iuvenalis quidem in satura saepe nimis acer est. [4]) Praeclari tamen sunt hi versus ex Satura III: [5]) „Nil habuit Codrus — quis enim negat? — et tamen illud Perdidit infelix totum nihil. ultimus autem Aerumnae est cumulus, quod nudum et frusta rogantem Nemo cibo, nemo hospitio tectoque iuvabit." Attamen non praetermittendum etiam diversa inveniri apud scriptores. Ut cum Cicero inter causas, cur homines homini quid tribuant „ad eum augendum atque honestandum" primam omnium ponit benivolentiam [6]), et alibi scribit:

[1]) Polyb. fragm. Lib. XXXII, c. 12.
[2]) Sen. De Clem. II, 6, 2.
[3]) Inst. Div., Lib. II.
[4]) Quod idem dici potest de Martialis Epigrammatis. Ceterum ex illo laudandum est Lib. V Epigr. LXXXI: „Semper pauper eris, si pauper es, Aemiliane. Dantur opes nulli nunc nisi divitibus."
[5]) III, 208 seqq.
[6]) Cic. De Off. II, 6, 21.

„et pecuniae fugienda cupiditas; nihil enim est tam angusti animi tamque parvi quam amare divitias, nihil honestius magnificentiusque quam pecuniam contemnere, si non habeas, si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre." [1])

Quicquid id est procedente tempore omnia iam fiebant mitiora. Cato aegrotos servos vendendos esse censuerat: Tib. Claudius Caesar contra, „cum quidam aegra et adfecta mancipia in insulam Aesculapii taedio medendi exponerent, omnes qui exponerentur liberos esse sanxit, nec redire in dicionem domini, si convaluissent; quod si quis necare quem mallet quam exponere, caedis crimine teneri." [2]) Licet ipse Augustus servos multis difficultatibus a libertate et multo pluribus a libertate iusta removisset, tamen mox omnia removebantur, quae obstarent et impedirent quo minus servorum ingens vis manumitteretur [3]). Ad hanc morum mutationem multum valebat sapientia Stoica, quae tunc saeculum tenebat. Stoica autem sapientia hanc formulam humani officii tradebat: „omne hoc quod vides, quo divina atque humana conclusa sunt, unum est: membra sumus corporis magni, natura nos cognatos edidit, cum ex isdem et in eadem gigneret. haec nobis amorem indidit mutuum et sociabiles fecit. illa aequum iustumque conposuit. ex illius constitutione miserius est nocere quam

---

[1]) Cic. De Off. I, 20, 68. Conferas etiam eundem De Orat. I, 53, 227, ubi Servius Galba reprehenditur „quod is L. Scribonio quaestionem in eum ferente populi misericordiam concitasset." Nescio an quoque alicuius momenti sint, quae dicit Ussing de Plauti Rudente — verba inveniuntur in praefatione commentarii, quem scripsit in illam comoediam (Plaut., Ed. Ussing, Vol V pag. 462) — : „Fabula pulcherrima quum multa vere comica, tum non pauca seria et formidinis et *misericordia* plena habet, ut a nostri temporis fabulis minus quam aliae pleraeque abhorrere videatur." Attamen Plautus in illa fabula Diphilum Sinopensem secutus est.

[2]) Suet. Claud. 25.

[3]) Cf. Marq. Privatl². pag. 190; Wallon, Hist. de l' Escl., III² pag. 62 seqq.

laedi. ex illius imperio paratae sint iuvantis manus!" [1]) Alio loco idem Seneca scribit: „Servi sunt". immo homines. „servi sunt". immo contubernales. „servi sunt". immo humiles amici. „servi sunt". immo conservi: si cogitaveris tantumdem in utrosque licere fortunae." [2]) Atque etiam ad iuris doctrinam haec Stoicorum praecepta nonnihil pertinebant. Proculus enim in Digestis: „non tamen spectandum est, quid Romae factum est (sic!), quam quid fieri debeat." [3]) Et Ulpianus [4]): „Quod attinet ad ius civile, servi pro nullis habentur: non tamen et iure naturali, quia quod ad ius naturale attinet, omnes homines aequales sunt." Credi licet Deum infinita sua sapientia ita Christianae religioni viam patefecisse [5]), quamvis in eiusmodi rebus cautio adhibenda sit, cum iure suo moneat Boissier [6]) saepe quo quisque a Christiana doctrina proxime abesse videatur, ita difficillime eum illam doctrinam amplecti. Quicquid id est, iam aliquanto ante quam Christianus ritus praevaluit, ipse sensus Christianus multum contulit ad hominum mentes mites et mansuetas faciendas. In id saeculum autem cadunt alimenta, quae quamvis ad rei publicae potissimum rationes referenda esse vidimus, tamen ex quadam suavitate quoque humanitatis effloruerunt. Id iam inde patet, quod non solum pueri, verum etiam puellae respiciebantur, quodque privati in simili munificentia versati sunt. In idem saeculum cadunt variae liberalitates, quae inopibus, miseris, peregrinis eveniebant a privatis hominibus eadem virtute ductis.

---

[1]) Senec. Ep. Mor. XV, ep. 3 (95), 52.
[2]) Ep. Mor. V, ep. 6 (47), 1.
[3]) Dig. I, 18, 12.
[4]) Dig. L, 17, 32.
[5]) Cf. Uhlhorn, Christl. Liebesth.[2], pag. 37 seqq.
[6]) Relig. rom. II[2] pag. 66 seqq.

Ita iam perspicuum erit humiliorum hominum sortem, civium certe, Romae admodum fuisse tolerabilem. Etiam hoc tenendum est ibi civium ordines inter ipsos propius accessisse quam in civitatibus quae nunc sunt. Causa repetenda a servitiis. Illa enim, quamvis multorum malorum origo essent, ut ita dicam inter se conciliabant c i v e s, divites pauperesque, et naturali quadam societate coniungebant. Ceterum non praetermittendum in terris ad meridiem spectantibus homines paucioribus rebus egere ad vivendum. [1])

Quodsi denique quaerimus quibusnam potissimum causis Romani ducerentur, cum inopibus paupertatis onus levare susciperent: unicuique, opinor, elucet, quantum Romanorum liberalitas, adeo Stoicorum, differat a Christiana caritate. Non quod nihil alterius causa facerent omniaque suis commodis metirentur. Sane ambitio, gloriae cupiditas, metus quoque graves causae erant Romanorum munificentiae. Simul tamen iniuriam, qua plebs premeretur, ita quodam-

---

[1]) Nimis triste, opinor, Romanos totamque antiquitatem depingit Albertus (l.l. pag. 141), cum scribit: „Wie stand es überhaupt mit der s. g. A r m e n p f l e g e? Ausser jenen offiziellen Kornspenden in der Stadt Rom geschah absolut nichts für die Armen: es gab keine Armenhäuser, keine Spitäler, keine Behörde, die sich der Dürftigen annahm. Soviel ich über diesen Punkt auch nachgeforscht habe, so konnte ich doch nur eine einzige Spur einer offiziellen Armenpflege im ganzen Alterthum finden, auf der Insel Rhodus nämlich, die sich überhaupt durch verständige politische Institutionen, sowie durch den Fleiss und die Betriebsamkeit ihrer Bewohner auszeichnete. Strabo (XIV, 2) bemerkt: „die Rhodier sind Volksbegünstiger, obgleich keine Demokraten; sie wollen sich die Menge der Armen verpflichten; daher wird hinlänglich Getreide ausgetheilt, und die Wohlhabenden nehmen nach altväterlicher Weise die Ärmern bei sich auf; ausserdem gibt es keine Amtsdienste zur Speisebesorgung, so dass der Arme zugleich Unterhalt findet und die Stadt an Arbeitern keinen Mangel hat, besonders für die Flotte." " Quid — ne plura commemorem — de Atheniensibus, qui cottidie singulis ἀδυνάτοις singulos vel binos obolos publice dare solebant? Cf. de hac Atheniensium liberalitate Böckh, Staatshaush. der Athener, I² pag. 342 seqq.

modo compensari posse existimavisse videntur. [1]) Nonnulli quoque naturali quadam benevolentia movebantur. Quin Stoici magnam progressionem faciebant ad virtutem. At ipsa Stoica secta misericordiam vitabat, eamque pusilli animi vitium appellabat, ad speciem alienorum malorum

---

[1]) Cf. v. Ihering, Geist d. röm. Rechts II, 1[4], pag. 249 seqq.: „Was geschah nun von Seiten des Staats, um das Uebel zu heben und zu lindern? Bevor wir diese Frage beantworten, muss noch auf eine Erscheinung des römischen Lebens aufmerksam gemacht werden, die hiemit im engsten Zusammenhang steht, und die denselben Grund und Zweck hatte wie die Fürsorge von Seiten des Staats, ich meine die Liberalität der römischen Grossen gegen die untern Stände. Dieselbe gewann im Laufe der Zeit eine so kolossale Ausdehnung, dass uns jeder Vergleich dafür fehlt. Den Grund derselben kann ich nicht in dem blossen Streben nach Volksgunst und in der Bestechung des Volks zum Zweck der Wahlen erblicken — sonst müsste sich dieselbe Erscheinung auch in andern Republiken wiederholen — und noch weniger lässt sie sich aus dem Motiv der Wohlthätigkeit ableiten, denn diese Eigenschaft lag bekanntlich nicht im Charakter der Römer. Der tiefere Grund dieser Erscheinung ist vielmehr in den oben geschilderten Verhältnissen zu suchen. Es galt als sociale Pflicht der vermögenden Klasse, das Uebergewicht, das jene Einrichtungen ihr gewährten, durch Freigebigkeit gegen die Klasse, welche darunter zu leiden hatte, wieder auszugleichen, das Unrecht, das darin enthalten war, einigermassen aufzuheben und erträglich zu machen. Welche Motive auch den Einzelnen bestimmen mochten: das allgemeine Motiv war die V e r s ö h n u n g d e s v e r l e t z t e n G e f ü h l s d e r u n t e r n S t ä n d e m i t e i n e m s o c i a l e n U n r e c h t. Daher die Richtung jener Freigebigkeit auf eine ganze Klasse des Volks, daher die Bezeichnung derselben als einer förmlichen Standespflicht und die Schimpflichkeit einer Ablehnung oder Umgehung derselben (S. Cicero de offic. 2, 16, 17). Mit vollem Recht; es war ein Zeichen gemeiner, schmutziger Gesinnung, die Vortheile einer bevorzugten Stellung auszubeuten, ohne die entsprechenden Pflichten tragen zu wollen. „Auf jedem grössern Besitz haftet, wie ein neuerer Schriftsteller sagt (Riehl, die bürgerliche Gesellschaft. Stuttg. u. Tübingen 1851, S. 178.) gleichsam die moralische Schuldverpflichtung, einen Theil desselben neben dem egoistischen eigenen Genusse zum Besten der Gesammtheit der Gesellschaft in Umlauf zu setzen." Die aristokratische Freigebigkeit diente in Rom wesentlich zur Ergänzung des Systems des Güter-Umlaufs, indem sie nämlich das Rückströmen des Vermögens in die leeren Theile, das durch die unvollkommene Organisation jenes Systems in nicht genügender Weise vermittelt ward, beförderte, der übermässigen Anhäufung an den bevorzugten Punkten wenigstens in etwas abhalf.

Jene Freigebigkeit hatte also ein durchaus sociales, kein eigentlich moralisches Motiv; sie steht auf gleicher Linie mit unsern heutigen Standesausgaben, nur dass letztere freilich hinsichtlich des Masses und der Ausdehnung gar nicht mit ihr ver-

succidentis. [1]) Virtus quam nos dicimus *zelfverloochening*, si non prorsus Romanis ignota, at rara erat inventu. Quae quantum praestat continentiae illi vel rerum humanarum contemptioni quibus Stoici tranquillum animum servare conabantur! Atque etiam si aliqua ex parte se suaque non respicerent, civitatis, alicuius collegii, cuiusdam denique *universitatis* commodis serviebant. [2]) Singuli homines quanti essent, quippe qui in vitam aeternam essent creati, animo non satis cogitabant. Hic profecto enitet praestantia Christianae caritatis! [3])

---

glichen werden können. Das eigene Interesse der höhern Stände erheischte sie als ein wesentliches Mittel zur Behauptung der Stellung, als eine Bethätigung ächt aristokratischer Gesinnung, die dem Volk imponirte und den Neid entwaffnete. Die untern wie die höhern Stände waren also gleichmässig dabei betheiligt, jene Liberalität dem subjectiven Belieben zu entziehen und zu einer durch die Sitte gebotenen Pflicht zu erheben (Cicero de off. 2, 16 [immo 17] . . . tota ratio talium largitionum genere vitiosa est (es spricht der homo novus aus ihm) temporibus necessaria. ibid. 17. Mamerco homini ditissimo praetermissio aedilitatis consulatus repulsam attulit.) Die hauptsächlichste Veranlassung, an welche die Volksansicht die Erfüllung dieser Pflicht knüpfte, war die Bekleidung des ädilitischen und später auch des quästorischen (Aur. Vict. de vir. ill. c. 74. Lucullus. . . . munus quaestorium amplissimum dedit Suet. Domit. c. 4 . . . quaestoriis muneribus, quae olim omissa revocaverat. Nach dem Bericht von Tacitus erhob Claudius jene Pflicht der Sitte förmlich zum Gesetz, indem er die Quästoren verpflichtete, auf eigene Kosten Gladiatorenspiele zu veranstalten.) Amtes, der erste Schritt, den man in der Regel zu machen hatte, um die höhern Stufen der Staatsverwaltung zu ersteigen Der zukünftige Beamte hatte bei seinem Eintritt in den Staatsdienst gewissermassen sein Eintrittsgeld zu entrichten (So fasst auch Cicero in der angeführten Stelle das Verhältniss auf, indem er meint, im Vergleich zu den Ehren, die ihm später zu Theil geworden, sei ihm das Eintrittsgeld nicht so hoch gekommen.), die Liberalität war hier die stillschweigende Voraussetzung einer erfolgreichen Führung des Postens, mittelst dieses Amts also als wesentliches Element in den Organismus der Staatsverwaltung aufgenommen. . . . . ."

1) Senec. De Clem. II, 5, 1.

2) Cf. v. Ihering l. l.

3) Notabile est testimonium quod Iulianus Apostata Imperator dat de Christianis, quorum exemplum ut sequantur falsorum deorum cultores impellit. Scribit enim

Mihi proposui duos scribere libros, quorum altero dicam cum de civili Romanorum communitate, tum maxime de ipsis pauperibus eorumque condicione in urbe Roma per varia tempora, quibus stetit Romana res; altero agam de iis, qui ut pauperum condicionem meliorem facerent operam dederunt. Quia autem de rerum Romanarum initio minus singula facta quam notiones universae historiae fide obligatae sunt, priscis illis temporibus in p r i o r e libro locus esse mihi videtur, pauloque diutius in iis commorabor, quia posteriora quibusdam radicibus illorum saeculorum nituntur ideoque quodam modo ex illis lucem accipere putanda sunt. Quae contra scimus de ipsa cura egentium cum maxime pertinent ad inferiora tempora, Cae-

---

Arsacio pontifici Galatiae (Ep. XLIX): „Τί οὖν ἡμεῖς οἰόμεθα ταῦτα ἀρκεῖν, οὐδὲ ἀποβλέπομεν, ὡς μάλιστα τὴν ἀθεότητα συνηύξησεν ἡ περὶ τοὺς ξένους φιλανθρωπία καὶ ἡ περὶ τὰς ταφὰς τῶν νεκρῶν προμήθεια καὶ ἡ πεπλασμένη σεμνότης κατὰ τὸν βίον; ὧν ἕκαστον οἴομαι χρῆναι παρ' ἡμῶν ἀληθῶς ἐπιτηδεύεσθαι. Και οὐκ ἀπόχρη τὸ σὲ μόνον εἶναι τοιοῦτον, ἀλλὰ πάντας ἁπαξαπλῶς ὅσοι περὶ τὴν Γαλατίαν εἰσὶν ἱερεῖς . . . . Ξενοδοκεῖα καθ' ἑκάστην πόλιν κατάστησον πυκνά, ἵν' ἀπολαύσωσιν οἱ ξένοι τῆς παρ' ἡμῶν φιλανθρωπίας, οὐ τῶν ἡμετέρων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἄλλων ὅστις ἂν ἐνδεηθῇ χρημάτων. Ὅθεν δὲ εὐπορήσεις, ἐπινενόηταί μοι τέως. ἑκάστου γὰρ ἐνιαυτοῦ τρισμυρίους μοδίους κατὰ πᾶσαν τὴν Γαλατίαν ἐκέλευσα δοθῆναι σίτου καὶ ἑξακισμυρίους οἴνου ξέστας· ὧν τὸ μὲν πέμπτον εἰς τοὺς πένητας τοὺς τοῖς ἱερεῦσιν ὑπηρετουμένους ἀναλίσκεσθαί φημι χρῆναι, τὰ δὲ ἄλλα τοῖς ξένοις καὶ τοῖς μεταιτοῦσιν ἐπινέμεσθαι παρ' ἡμῶν. Αἰσχρὸν γάρ, εἰ τῶν μὲν Ἰουδαίων οὐδεὶς μεταιτεῖ, τρέφουσι δὲ οἱ δυσσεβεῖς Γαλιλαῖοι πρὸς τοῖς ἑαυτῶν καὶ τοὺς ἡμετέρους, οἱ δὲ ἡμέτεροι τῆς παρ' ἡμῶν ἐπικουρίας ἐνδεεῖς φαίνονται. Δίδασκε δὲ καὶ συνεισφέρειν τοὺς Ἑλληνιστὰς εἰς τὰς τοιαύτας λειτουργίας, καὶ τὰς Ἑλληνικὰς κώμας ἀπάρχεσθαι τοῖς θεοῖς τῶν καρπῶν, καὶ τοὺς Ἑλληνικοὺς ταῖς τοιαύταις εὐποιΐαις προσέθιζε e. q. s." **Cf. etiam Boissier, La fin du paganisme, I pag. 142. Ipse modo iam monui (pag. 8) quantopere in antiquo imperio Romano neglegerentur commoda eorum qui cives non essent**

sariana praesertim, quare haec maiorem partem tenebunt libri alterius.

Prioris libri duo capita erunt, alterum agens de antiquissimis temporibus, alterum de adulto imperio Romano. Altero libro has quaestiones proponam: *a.* num sacerdotes pauperum rationem duxerint; *b.* quo modo rei publicae pauperum sors fuerit curae; *c.* quam curam egentium habuerint privati homines; *d.* quid fecerint ipsi pauperes ad statum suum sublevandum.

In appendice inquiram in discrimen earum vocum, quibus Romani utebantur ad homines facultatibus carentes designandos; quae voces sunt: *pauper*, *egens* (*egenus*), *inops*, *mendicus*.

LIBER PRIOR.

QUO DICITUR CUM DE CIVILI ROMANORUM COMMUNITATE, TUM MAXIME DE IPSIS PAUPERIBUS EORUMQUE CONDICIONE IN URBE ROMA PER VARIA TEMPORA, QUIBUS STETIT ROMANA RES.

CAPUT I.

De antiquissimis temporibus.

Romanae civitatis initia cum multis nominibus crassis adhuc occultata et circumfusa tenebris latent, tum de modo quo priscis temporibus eius incolae discripti fuerint varia sunt virorum doctorum iudicia quae omnia diligenter examinare non est mei propositi.

Apud scriptores Romanos tria occurrunt incolarum nomina, patricii, clientes, plebei. Non nisi primi [1]) vere erant cives, omnibus civitatis iuribus praediti. Clientium vero et plebeiorum perdifficile est ad dicendum quae initio fuerit ratio, num inter se connexi et apti essent, quo modo

[1]) Soltau, Altröm. Volksversamml. pag. 88 et 627. id in dubium vocat, contra quem tamen vide Momms. StR. III pag. 69 adn. 1.

distinguendi sint, quae fuerit utrorumque origo. Hic quanta pugna [1]) est doctissimorum hominum, quorum [2]) fortasse neque quisquam rem acu tangit neque tamen prorsus a veritate deflectit.

Nemo autem non assentietur Mommseno cum dicit, [3]) si non iuris rationem, sed res ipsas respicias, hoc esse

---

[1]) De hac re maxime disceptatum est utrum principio clientes iidem fuerint ac plebei an alii. Multi recentiores, ut Niebuhr (R. G. I² pag. 424 seqq.), Schwegler (R G. XIV, 9—12), Lange (Röm. Alterth. I³ § 42, 55), Madvig (Verf. u. Verw. I pag. 92 seqq.), contendunt clientes multo prius fuisse quam plebeios. Alii tamen, ut Ihne (R. G. I² pag. 94 seqq), Mommsen (R. G. I⁸ pag. 84 seqq.; StR. III pag. 54 seqq.), ique qui diligentissimum hunc antiquitatis investigatorem secuti sunt, qui prius iclientes essent, eos postea plebeios factos esse putant, ita quidem ut nec clientes omnino evanuerint neque omnes plebei quondam fuerint clientes. Ea quae scriptores antiqui de hac re commemorant inter se discrepare videntur. Loci quos illi laudant, qui inter clientes et plebeios discrimen esse negant, hi sunt: Dion. II, 8—10; Cic De Re publ. II, 9, 16; Plut. Rom. 13; Festus s. v. *Patrocinia*, pag. 233. Multo plures tamen sunt loci, ubi aperte inter eos discrimen statuitur; ut Liv. II, 35; 56; 64; III, 14; 16; Dion. VI, 47; 63; VII, 18; 19; IX, 41; X, 15; 27; 40; 43 etc. Verisimillimum est discrepantiae huius originem repetendam esse ab ipsis annalium scriptoribus. De ea re copiose disputat M. Voigt, Leges Regiae, pag. 128 (682) seqq. Nonnulli, ut M. Voigt (XII Taf. II pag. 676; Ueber Clientel u. Libertinität in Berichte(n) der phil. hist. Cl. der sächs. Ges. d. Wissensch. 1878 pag. 147 seqq. A 10) et H. Schiller (in Iw. v. M.'s Handb. d. kl. Alt. IV, 2², pag. 136), putant, cum regia potestas convalesceret, multos qui armis subacti essent, regis in fidem clientelamque acceptos esse, quod effecerit ut minus ex alterius arbitrio penderent, et hanc regum vel publicam clientelam fuisse quasi transitum ex gentium clientela ad plebeiorum libertatem, qualis occurrat, cum a regum dominatione in libertatem populi vindicata esset res publica Romana. De tota hac re controversa cf. etiam Daremb. et Sagl, Dict. des Antiq., s. v. *cliens* et Rein in Pauly's Real-Encycl. s. v. *cliens* et *plebs*.

[2]) Cf. Niese in Iw. v. M.'s Handb. d. kl. Alt. III, 5², pag. 27.

[3]) R. G. I⁸ pag. 88. Cf. etiam eundem, Abriss d. Röm. Staatsr. pag. 15; et StR. III pag. 71, ubi hoc dicit: „So schied sich die formell den Patriciern hörige Menge in thatsächlich von einem Herrn abhängige und thatsächlich unabhängige Leute, in Plebejer, die noch Clienten, und in solche, die es nicht mehr waren, oder, wie es die Annalisten vom realen Standpunkte aus zutreffend bezeichnen, in Clienten und Plebejer. — Wenn die Abgrenzung zwischen Clienten und Plebejern hauptsächlich gegeben wird durch das thatsächliche Mass der ökonomischen und politischen Selbständigkeit . . . "

discrimen inter haec duo nomina quae sunt *clientes* et *plebei*, quod illud indicat aliquem in alieno patronatu esse, hoc eum publicis iuribus carere, quibus utebantur patricii.

Legimus clientes fuisse in patronorum suorum — qui initio saltem semper patricii erant; postea etiam ex plebeis patroni inveniuntur — famulatu, nec tamen fuisse servos. Erant, ut Mommseni [1]) verbis utar, semiliberi. Cum patronis suis vinculo quodam coniuncti fuisse dicuntur, [2]) quod cum vinculo, quo parentes cum filiis natura consociat, [3]) possit comparari: patronos enim mira quadam lenitate ac comitate erga clientes fuisse, hos contra summum in illos studium praestitisse. Licet autem ita comparata sit natura hominum, ut laudatores temporis acti esse soleant, iureque dubitari possit, an plus dictum sit quam pa-

[1]) Momms. StR. III pag. 54 seqq. et imprimis pag. 63. Cf. etiam Voigt XII Taf. II pag. 667 seqq.

[2]) Cf. Dion. II, 10; Plut. Rom. 13; Voigt. l. l. pag. 671.

[3]) Fortasse eodem referendum est id quod Paulus Diaconus (pag. 247) dicit: „Patres senatores ideo appellati sunt, quia agrorum partes attribuerant tenuioribus ac si liberis propriis". Parum perspicuum est, quid haec verba sibi velint. Primum qui sunt illi „tenuiores"? Plerique interpretes putant eos esse clientes. Fortasse recte. Tum quid significant illa verba „ac si liberis propriis"? Inde possit colligi patricios (vel senatores) eadem cura consuluisse rationibus clientium suorum ac propriorum liberorum. Plerique viri docti tamen (Niebuhr I² pag. 337; Schwegler R. G. I pag. 641; Lange Röm. Alt. I³ pag. 245; Mommsen StR. III pag. 83; Id. R. G. I⁸ pag. 188; Id. Röm. Forsch. I pag. 366; Valeton, Over de rechten der patric. gentes, Amst. 1894, pag. 67 (372); alii. Cf. tamen Ihne Forsch. pag. 82) Festum spectasse putant ad id quod iuris consulti „precarium" appellant. Quid sit, docet Ulpianus Dig. XLIII, 26, 1: „Precarium est, quod precibus petenti utendum conceditur tamdiu, quamdiu is qui concessit patitur." Ut enim filii peculium non privatum ac suum appellare poterant, sed eorum patres dominium habebant (Cf. Marq. Privatl.² pag. 4, et praeter locos ab eo ex iurisconsultis laudatos Dion. VIII, 79, 4), sic hoc loco clientes colendos quidem agros accepisse putantur, nec tamen patroni dominium iis cessisse. Utcumque est, conficere nobis licet illorum tenuiorum condicionem fuisse admodum tolerabilem, utpote qui ex agri cultura vitam suam sustentarent.

titur veritas, tamen non video, cur cum Fustel de Coulanges, [1]) cuius opinionen Ihne [2]) probare videtur, humaniorem hanc necessitudinem, quae patronis cum clientibus intercessisse narratur, propius a fabula quam ab historia abesse putemus.

Plebei igitur quasi essent peregrini initio publicis iuribus carebant. Regibus exactis autem, ne plebs a re publica libera abhorreret, ei pauca iura concesserunt patricii „multaque blandimenta per id tempus dederunt." [3]) Quae a Servio Tullio rege instituta esse ferunt, qui tam plebeios quam patricios pro cuiusque censu in centurias discripsisse narratur, ea tunc videntur esse renovata vel stabilita [4]). Immo cum rex ille non nisi belli usum respexisset muneraque tantum imposuisset plebeis, tunc iam commoda quaedam iis contigerunt. Hoc initium erat novae rei publicae formae [5]). Antea patricii soli cives fuerant: tunc plebeis in civitatem acceptis nascenti rei publicae nec satis adultae novae addebantur vires minimeque spernendae. Priusquam tamen in parem iuris condicionem reciperentur, plebeis diu et acriter cum patriciis erat certandum.

Postquam de incolarum generibus pauca monuimus, iam quaerendum videtur quae fuerit pecuniarum ratio vitaeque condicio priscorum illorum Romanorum.

Mommsen dicit [6]) Romanos longe aliter ac ceteros Latinos, qui vicatim habitarent [7]), inde a vetustissimis temporibus genus vitae civile admodum instituisse et emendi aut

---

[1]) Fustel de Coulanges, La cité antique[8], pag. 306.
[2]) Ihne R. G. I[2] pag. 94 seq.
[3]) Liv. II, 9, 16.
[4]) Schwegl. R. G. II pag. 107; Lange Röm. Alt. I[3] pag. 574.
[5]) Momms. StR. III pag. 127 seqq.; R. G. I[8] pag. 253 seqq, 258.
[6]) R. G. I[8] pag. 47.
[7]) Marq. StV. I[2] pag. 1 seqq.; Liv. II, 62, 4; Dion. II, 49; Plut. Rom. 16.

vendendi quaestu et lucro esse ductos. Romam urbem emporium [1]) appellat regionum Latinarum; opportuno loco eam sitam fuisse contendit et respiciens rationem belli et ad mercaturam faciendam, quod ipsum haud parvum momentum fecerit, ut postea ad tantam potestatem venerit [2]). Attamen valde erret is qui putet apud Romanos arva neglecta fuisse. Idem Mommsen [3]) monet Romam mansisse urbem Latinam, et hoc fuisse proprium Latinorum omniumque Italorum, quod rusticis rebus essent dediti. Notissima res est quanto in honore apud Romanos fuerit agri cultura. Eam ex vetustissimis institutis ceteris quaestibus praeferebant [4]). Ideo in ea laudibus efferenda cum poetis Vergilio [5]) Horatioque [6]) certarunt rusticae rei scriptores, Cato, Varro, Columella, Plinius [7]) etc. Immo diu non nisi hoc litte-

---

[1]) l. l. pag. 48. Cf. etiam Marq. Privatl.[2] pag. 402 seq, qui hoc dicit: „Aber auch der Land und Seehandel und die mit dem letzteren verbundene Rhederei scheint von den Römern in viel höherem Grade betrieben worden zu sein, als man bei der sehr unzureichenden Ueberlieferung gewöhnlich anzunehmen geneigt ist . . . . "

[2]) Sine dubio in animo ei fuit hic locus ex Liv. (V, 54, 4): „Non sine causa dii hominesque hunc urbi condendae locum elegerunt, saluberrimos colles, flumen opportunum, quo ex mediterraneis locis fruges devehantur, quo maritimi commeatus accipiantur, mare vicinum ad commoditates nec expositum nimia propinquitate ad pericula classium externarum, regionem Italiae mediam, ad incrementum urbis natum unice locum." Et hic locus ex Cic. (De Re publ. II, 5, 10: „Quod urbem peremnis amnis et aequabilis et in mare late influentis posuit (Romulus) in ripa, quo posset urbs et accipere ex mari, quo egeret, et reddere, quo redundaret: eodemque ut flumine res ad victum cultumque maxime necessarias non solum mari † absorberet, sed etiam invectas acciperet ex terra: ut mihi iam tum divinasse ille videatur hanc urbem sedem aliquando et domum summo esse imperio praebiturum: nam hanc rerum tantam potentiam non ferme facilius alia in parte Italiae posita urbs tenere potuisset."

[3]) l. l.

[4]) Cic. De Off. I, 42, 151: „Omnium autem rerum, ex quibus aliquid adquiritur, nihil est agri cultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine [nihil] libero dignius."

[5]) Georg. Lib. II extr.

[6]) Epod. 2.

[7]) Cato De Agri cult., praef. 2, 3: „Et virum bonum quom laudabant (maiores

rarum genus habebant Romani [1]). Duo tribuum genera erant, rusticae et urbanae: ex illis in has transferri ignominia erat [2]). Nomina cognominaque Romanorum saepius petita sunt ab opere rustico [3]) vel a pecudibus [4]). Ipsi antiqui, *pecunia* et *peculium* vocabula a *pecore* derivantes, dicunt initio opes positas fuisse in re pecuaria. Varro [5]) L. L. V, 19, 95: „In pecore pecunia tum consistebat pastoribus." Cic. De rep. II, 9, 16: „Tum erat res in pecore et locorum possessionibus, ex quo pecuniosi et locupletes vocabantur." Plin. N. H. XVIII, 3, 11: „Pecunia ipsa a pecore appellabatur." Sic saepius. Haud raro legimus nobiles Romanos ab aratro arcessitos esse ad summos honores accipiendos. Ipsorum tunc manibus imperatorum colebantur agri. [6]) Hic cuique ante oculos versantur Quinctius Cincinnatus, Gaius Fabricius, Curius Dentatus, Atilius Serranus, Valerius Corvus, alii, quos laudibus celebrant scriptores. Fertilissimum in agro oculum domini esse [7]) vetus est proverbium, quod suum fecerunt antiqui illi homines. Patri familias omnia quorum indigeret domi nascebantur, quare Plinius [8]): „Nequam agricolam esse

---

nostri), ita laudabant, bonum agricolam bonumque colonum. amplissime laudari existimabatur qui ita laudabatur." — Varro R. R. II, praef. 1: „Viri magni nostri maiores non sine causa praeponebant rusticos Romanos urbanis." — Columella R. R. I, praef. 10: „Superest. . unum genus liberale et ingenuum rei familiaris augendae, quod ex agricolatione contingit". Plinius N. H. XVIII, 3, 11: „Agrum male colere censorium probrum iudicabatur, atque, ut refert Cato, cum virum *bonum agricolam* bonumque colonum dixissent, amplissime laudasse existimabant."

[1]) Drumann, Die Arbeiter u. Communisten in Griechenland u. Rom, pag. 279.

[2]) Plin. N. H. XVIII, 3, 13.

[3]) ib. § 10.

[4]) Varro R. R. II, 1, 10.

[5]) Cf. etiam eundem R. R. II, 1, 11.

[6]) Plin. N. H. XVIII, 4, 19.

[7]) Plin. N. H. XVIII, 6, 43. Cf. etiam eundem ibid. 5, 31; Cato De Agri cult. 4; festivam fabulam Phaedri (Lib. II, fab. 8), etc.

[8]) l. l. XVIII, 6, 40.

quisquis emeret quod praestare ei fundus posset." Ipsae mulieres lanam carebant, stamina nebant, telam texebant, vestes faciebant [1]). Nonis modo diebus urbanas res usurpabant [2]) rustici: tum comparabant ea quae in praediis fabricari non poterant inque vicem ea quae agri efferebant urbanis vendebant. Attamen non quod opus erat emebant, sed quod necesse erat, ex praecepto Catonis [3]). Describuntur nobis prisci illi Romani tamquam frugi homines, parce vivere assueti. Ad magnas divitias posteriorum temporum tam mediocri fortuna erant, ut a scriptoribus etiam pauperes appellentur, quam paupertatem omnibus modis in scriptis suis celebrant [4]). Hoc ita esse non est quod miremur nobiscum reputantes apud Romanos diu fuisse inopiam rei nummariae [5]).

---

[1]) Plurimos locos, qui hoc probant, ex scriptoribus attulit M. Voigt XII Taf. I pag. 25. Cf. etiam eundem in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2², pag. 292; Blümner Techn. u. Termin. I pag. 98 seqq.

[2]) Varro R. R. II, praef. 1.

[3]) Senec. Ep. Mor. XV, ep. 2 (94), 27: „Emas non quod opus est, sed quod necesse est. Quod non opus est, asse carum est."

[4]) Ex magna locorum frequentia nonnullos afferre mihi libet. Apud Ciceronem (Pro Flacco 12, 28) legimus: „Haec enim ratio ac magnitudo animorum in maioribus nostris fuit, ut cum in privatis rebus suisque sumptibus minimo contenti tenuissimo cultu viverent . . . ." Livius in Praefatione (§ 11) haec dicit: „Nec in quam civitatem tam serae avaritia luxuriaque inmigraverint, nec ubi tantus ac tam diu paupertati ac parsimoniae honos fuerit: adeo quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat." Cf. etiam Valerii Maximi libri quarti totum caput quartum, quod inscribitur „De Paupertate."

[5]) Copiose de hac re disputavit M. Voigt (XII Taf. I pag. 20 seqq.; cf. eundem l. l. II pag. 582, et in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2², pag. 295) dicens hanc inopiam patere et ex aliis rebus et imprimis:

1o. *ex multae dictione ovium et boum (non aeris) quae saepius commemoretur.*

2o. *ex usura quae ut temporibus illis levis esset.*

„Duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario faenore amplius exerceret" (Tac. Ann. VI, 16). Unciarium faenus alii aliter intellegunt. Plerisque recentioribus est uncia sive pars assis duodecima usurae nomine quovis anno denum mensium (Streuber, pag. 60, alii: quovis anno duodenum mensium)

Ipse Cicero dicit „tum (i. e. temporibus Romuli regis) fuisse rem in pecore et locorum possessionibus." [1]) Initio cuiusvis generis pecunia carebant Romani [2]) in re gerenda: boves ovesque inter se mutabant. Deinde aes quidem usurpabant, attamen non nummos una forma percussos, sed rudi pondere, quod pendebant [3]), non numerabant. Cum decemviri legibus scribendis operam darent, primum nummos in communem usum venisse Mommsen [4]) contendit [5]), aes grave, quod dicitur, quod, si magnum erat, vel plaustris vehebant. [6]) Rege Pyrrho demum devicto populus Romanus argento si-

---

solvenda pro sorte unius assis ($8^1/_3$ %), quod facit partem assis decimam quovis anno duodenum mensium solvendam pro sorte unius assis (10%). Cf. Daremb. et Sagl., Dict. des Antiq., s. v. *foenus*"; Marq. StV. II² pag. 58 seq.; Streuber, Der Zinsfuss bei den Römern, Basel 1857..

3o. *ex parvo pretio, quod haberent agri frumentum pecora.*

4o. *ex censu singularum classium, in quas Servius Tullius rex populum Romanum divisisse dicatur.*

Voigt (XII Tafeln I pag. 20) qui cum multis viris doctis putat notos illos numeros, quos tradunt scriptores, esse assium sextantariorum, censum primae classis, ad aeris gravis rationem revocatum, non amplius viginti milia assium librariorum fuisse commemorat. Mommsen (StR. III pag. 249; Röm. Münzw. pag. 290 seqq.) contra contendit fuisse asses trientales, quos dicunt. Quod si verum est, primae classis census quadraginta milia gravis aeris fuisse putandus est. Post ea tamen quae accurate atque exquisite de antiquis nummis Romanis disputavit Samwer, iure dubitari potest an ingeniosius quam verius Mommsen sumpserit tempus fuisse, cum Romani asses trientali pondere ferirent. Cf. Samwer, Gesch. d. älteren röm. Münzwes., pag. 173 seqq. Ceterum ne ad aeris gravis quidem rationem revocati numeri illi ipsius Servii fuisse possunt, cum illo regnante Romani nullosdum nummos haberent. Cf. ea quae statim dicturus sum.

[1]) Cic. De Re publ. II, 9, 16. Plures locos vide apud Schwegl. R. G. I pag. 619 adn. 1.

[2]) Marq. StV. II² pag. 4; Mommsen Röm. Münzw. pag. 169 seqq.

[3]) Plin. N. H. XXXIII, 3, 42.

[4]) l. l. pag. 174—176.

[5]) Ex recentiore opinione (Samwer l. l. pag. 43), non minus digna quam spectemus, ad centum annis post primi nummi editi sunt.

[6]) Liv. IV, 60, 6.

gnato uti coepit. [1]) Tunc paulatim bellis suis tantas praedas faciebant, ut bene nummati esse inciperent.

Cum igitur legimus Servium Tullium in centuriis classibusque suis discribendis pecuniarum rationem secutum esse, haud dubie assium numeri, quos perhibent scriptores, ad posteriora tempora referendi sunt: quamdiu nummis carebant Romani, in tabulas relatum erat, quot iugera agri privati quisque haberet. Quia autem saepius occurrunt heredia duorum [2]) iugerum nec tamen minora, suspicantur viri docti [3]) eos, qui minimum bina iugera haberent, effecisse quintam classem, qui quina quartam, qui dena tertiam, qui quina dena secundam, qui vicena primam. Omnes qui in classes Servianas relati erant, nomine locupletium [4]) vel assiduorum comprehendi possunt: qui autem ne duo [5]) quidem iugera habebant, appellabantur proletarii et capite censi.

Quaedam indicia sunt re in universa considerata priscis temporibus Romanorum fortunas admodum aequales fuisse. De inopia rei nummariae et de vetere memoria, qua Romulus primum bina iugera viritim diviserit iam diximus. Singuli igitur initio aequales sortes habebant. Vix dubitari

---

[1]) Plin. l. l.

[2]) Momms. StR. III pag. 247 seqq.; Schiller in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2[2], pag. 144 seqq.; Lange Röm. Alt. I[3] pag. 491 seq.

[3]) Sic legimus Romulum primum divisisse viritim bina iugera. Varro R. R. I, 10; Paul. Diac. pag. 53 (Müller); Plin. N. H. XVIII, 2, 7. Plures locos vide apud Momms. l. l. pag. 23 adn. 3; Marq. StV. I[2] pag. 98 adn. 1; John E. B. Mayor ad Iuven. XIV, 161 seqq.

[4]) Momms l. l.; Lange l. l.; Hildebrand in Jahrb. f. Nationalökon. u. Statist. XII (1869), pag. 141; Voigt XII Taf. pag. 20; Idem in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2[2], pag. 289 adn. 4; 296.

[5]) Cf. Lange l. l. pag. 487; Schwegler R. G. I pag. 745, et locos ibi laudatos, imprimis Cic. De Re publ. II, 22, 40.

[6]) 2000 asses sextantarios ex ratione Boeckhii (Metrol. Unters. pag. 429 seqq.), quem Lange, Voigt, alii, secuti sunt; 4400 asses trientales ex ratione Mommseni (l. l. pag. 249).

potest quin etiam reliquus ager, sive publicus [1]) erat, sive, ut Mommsen, [2]) alii, putant, in communi dominio singularum gentium, cum et quatenus privatus factus sit, inter patricios aequaliter sit divisus. Ut unus ad decem, sic quintae classis Servianae census ad primae erat, quae ratio sane modica est. Apud Ciceronem [3]) legimus: „Quae (potentia senatus atque auctoritas) tamen gravis et magna remanebat, sapientissimis et fortissimis et armis et consilio civitatem tuentibus; quorum auctoritas maxime florebat, quod, cum honore longe antecellerent ceteris, voluptatibus erant inferiores, nec pecuniis ferme superiores." Plinius [4]) scribit: „Non erat apud antiquos numerus ultra centum milia, itaque et hodie multiplicantur haec, ut deciens centena milia aut saepius dicantur. faenus hoc fecit nummusque percussus, et sic quoque aes alienum etiamnum appellatur." Addas etiam hoc. Iam vidimus censum non fuisse notatum ex assibus, sed ex iugeribus, quae quisque haberet. Cum autem ex prima classe omnes gravis armaturae pedites omnisque equitatus conscriberetur, agrum Romanum inter plurimas familias divisum fuisse necesse est. [5])

In lubrico versabimur, si multa conicere audebimus de

---

[1]) Cf. Pauly-Wissowa, Real-Encycl. I[2] s. v. *ager*, pag. 790; Valeton, Over de rechten der patr. gentes, pag. 374 (69) seqq.

[2]) Momms. StR. III pag. 24 seqq.

[3]) De Re publ. II, 34, 59.

[4]) N. H. XXXIII, 10, 133.

[5]) Aliter tamen von Ihering, Geist d. röm. Rechts II, 1[4], pag. 249: „Mit Recht bemerkt Peter Geschichte Roms Bd. 1, S. 103, dass aus den Nachrichten über den Census des Servius Tullius zu entnehmen sei, dass „in der damaligen Zeit schon eine verhältnissmässig bedeutende Ungleichheit des Besitzes bestand. Das Normalvermögen der letzten Klasse verhält sich zu dem der ersten, wie 1 zu 10; wie es aber viele Bürger gab, die den geringsten Satz der untersten Klasse nicht erreichten, ebenso fehlte es gewiss nicht an solchen, die den Satz der ersten Klasse und zwar theilweise um ein sehr bedeutendes überstiegen." " Haec nimirum mera coniectura est, quae quo nitatur mihi non liquet

condicione ac numero proletariorum et capite censorum. Dionysius [1]) narrat eos numero assiduis fuisse superiores. Inter eos multos fuisse pauperrimos non admodum verisimile mihi videtur. Magnam partem erant opifices et sellularii, quos facile victum quaesivisse consentaneum est. Argumenta in promptu sunt. Iam Numam regem, fortasse etiam Servium Tullium [2]) octo opificum collegia instituisse accepta antiquitus opinio est, [3]) quae tanta erant sanctitate, ut ne tunc quidem sint sublata, cum senatus consultum pluresque leges cuncta collegia distraherent. [4]) Scriptorum testimonia plane deficiunt unde cognosci possit quae fuerint natura ac temperatio horum collegiorum. Attamen, si nihil aliud, hoc certe effici posse videtur communem causam operarum non prorsus esse neglectam. Quin etiam certi quidam fabri rebus tam secundis utebantur, ut in centurias Servianas discripti essent. Servi vero, qui postea in omnibus officiis tam graves aemuli fuerunt, tunc perquam pauci erant numero. [5]) Fuit tempus illud, cum „sin-

---

[1]) IV, 18, 2: *„τοὺς δὲ λοιποὺς πολίτας, οἳ τίμησιν εἶχον ἐλάττονα δώδεκα καὶ ἡμίσους μνῶν, πλείους τὸν <ἀριθμὸν> ὄντας τῶν προτέρων. . .*" Id. VII, 59, 6: *„οἱ δ' ἀπορώτατοι τῶν πολιτῶν οὐκ ἐλάττους τῶν ἄλλων ἁπάντων ὄντες . . .*" Ceterum Lange (l. l. pag. 478) ineptum esse dicit putare haec iam pertinere ad antiquissima tempora.

[2]) Servio Tullio ascribuntur a Floro (I, 6).

[3]) Waltzing, Etude historique sur les corporations professionnelles chez les Romains, I pag. 64 seqq., copiose refutat eos qui priscam illam vetustatem addubitant.

[4]) Collegia fuisse sublata crebra mentio fit. Asconius in Cornelianam, pag. 75 Or.: „Frequenter tum etiam coetus factiosorum hominum sine publica auctoritate malo publico fiebant: propter quod postea collegia S. C. et pluribus legibus sunt sublata, praeter pauca atque certa, quae utilitas civitatis desiderasset quasi, ut fabrorum fictorumque." [Postrema verba incerta]. Cf. etiam eundem in Pisonianam, pag. 7 Or. Sueton. Iul. 42: „Cuncta collegia, praeter antiquitus constituta, distraxit." Id. Aug. 32: „Collegia praeter antiqua et legitima dissolvit." Inter haec „collegia antiqua et legitima, quae utilitas civitatis desiderasset," Numae primum locum obtinuisse quis erit qui neget? Cf. Liebenam Röm. Vereinsw. pag. 24, 27, 30; Waltzing l. l. pag. 110, 113, 116.

[5]) Waltzing l. l. pag. 67, 78; Wallon, Hist. de l'Escl., II[2] pag. 11.

guli Marcipores Luciporesve dominorum gentiles omnem victum in promiscuo habebant, nec ulla domi a domesticis custodia opus erat." [1]) Itaque licet revera tempore praesertim procedente opifices in sordida arte versari putarentur [2]), tamen vix fides haberi potest Dionysio narranti diu apud Romanos nullum indigenam factitasse illas artes quae manu constarent. Loci Dionysii hi sunt: „(ὁ Ῥωμύλος) ἐπιδιφρίους μὲν καὶ βαναύσους καὶ προσαγωγοὺς ἐπιθυμιῶν αἰσχρῶν τέχνας, ὡς ἀφανιζούσας καὶ λυμαινομένας τά τε σώματα καὶ τὰς ψυχὰς τῶν μεταχειριζομένων, δούλοις καὶ ξένοις ἀπέδωκε μεθοδεύειν· καὶ διέμεινεν ἕως πολλοῦ χρόνου δι' αἰσχύνης ὄντα Ῥωμαίοις τὰ τοιαῦτα ἔργα καὶ ὑπ' οὐδενὸς τῶν αὐθιγενῶν ἐπιτηδευόμενα." [3]) — et „οὐδενὶ γὰρ ἐξῆν Ῥωμαίων οὔτε κάπηλον οὔτε χειροτέχνην βίον ἔχειν." [4]) Ceterum ipse secum pugnare videtur, quoniam alibi dicit [5]): „(τοὺς δημοτικοὺς) γεωργεῖν δὲ καὶ κτηνοτροφεῖν καὶ τὰς χρηματοποιοὺς ἐργάζεσθαι τέχνας." [6]) Revera ex testimoniis aliorum scriptorum, Plutarchi, Plinii, Flori, efficimus ingenuos a talibus operibus non prorsus abhorruisse.

Quod ad clientes, supra iam vidimus hos a patronis suis agros colendos accepisse, etsi conici licet illos partem saltem ex proventu dominis agrorum reddidisse. Reges autem, sive quia magis quam post eos consules arbitratu suo vivebant, sive ut [7]) patriciorum nimias opes frangerent, plebis salutem non neglexisse [8]) ex multis rebus patet. Praeter cete-

---

[1]) Plin. N. H. XXXIII, 1, 26.

[2]) De hac re infra.

[3]) II, 28, 1.

[4]) IX, 25, 2.

[5]) Cf. Liebenam l. l. pag. 9; Waltzing l. l. pag. 67.

[6]) II, 9, 1.

[7]) Sic legimus de Servio Tullio (Dion. IV, 8, 3): „ἐπὶ τὸ δημαγωγεῖν καὶ θεραπεύειν τοὺς ἀπόρους τῶν πολιτῶν ἐτρέπετο, δι' ἐκείνων ἐλπίσας τὴν ἀρχὴν καθέξειν."

[8]) Cf. Schwegl. R. G. I pag. 783 seq.; II pag. 204; Momms. R. G. I[8] pag. 253, 260.

ros Servium Tullium cogitatione sibi depingere solebant Romani tamquam regem qui de plebis commodis diligenter cogitaverat. Non minus quam quinquaginta leges a Dionysio [1]) illi ascribuntur, humanae et populares, quae plebeios ab iniuriis patriciorum defenderent, quae vetarent quemquam ob suum aes alienum abduci in vincula, quae non nisi bona debitorum faeneratoribus possidenda traderent, etc. [2])

Quodsi igitur rem omnem spectes, tenuiorum condicio videtur fuisse admodum tolerabilis [3]) dum reges regnabant. Quibus exactis celeriter omnia mutata esse communis fama est. [4]) Mox inter patricios et plebeios diuturnum illud cer-

---

[1]) IV, 13, 1.

[2]) Dion. IV, 9; 10; 11; 13; 43; V, 2 etc.

[3]) Re quidem fortasse recte Naudet (Des secours publics chez les Romains, in Mémoires de l' acad. royale des inscrr. et belles-lettres XIII (1838), pag. 9; eum secutus est E. Brousse, De l'assistance publique chez les Romains, pag. 22): „Il y eut ainsi . . . un moment où, dans la classe plébéienne, tout le monde était pauvre, sans que personne fût indigent." Quamvis de loco, quem ad hoc probandum laudat, dissentiam. Est locus Plinianus (N. H. XVIII, 3, 18), ubi hoc scriptum videmus: „Haec autem mensura (sc. septem iugerum) plebei post exactos reges adsignata est." Haec verba Niebuhr (R. G. I² pag. 552) et Huschke (Ueber die Stelle des Varro von den Liciniern, pag. 52 adn. 100) perverse interpretati sunt, ea referri iubentes ad id quod legimus apud Dionysium (V, 13, 2): „τὴν αὐτῶν (i. e. Tarquiniorum exactorum) γῆν ὅσην ἐκέκτηντο τοῖς μηδένα κλῆρον ἔχουσι διένειμαν." Singulis igitur septena iugera assignata esse putant. Quam interpretationem tamen minime veram esse posse pluribus argumentis demonstravit Schwegler (R. G. II pag. 419 adn. 1). Cum illo Plinii verba interpretanda sunt de more, quem regibus exactis in agro plebeis assignando observabant Romani.

[4]) E. g. Liv. II, 21, 6: „Eo nuntio (sc. Tarquinii mortis) erecti patres, erecta plebes. sed patribus nimis luxuriosa ea fuit laetitia; plebi, cui ad eam diem summa ope inservitum erat, iniuriae a primoribus fieri coepere." Sallust. ap. Aug. De Civ. Dei II, 18: „Iniuriae validiorum et ob eas discessio plebis a patribus aliaeque dissensiones domi fuere iam inde a principio, neque amplius quam regibus exactis, dum metus a Tarquinio et bellum grave cum Etruria positum est, aequo et modesto iure agitatum. . . . . . dein servili imperio patres plebem exercere, de vita atque tergo regio more consulere, agro pellere, et ceteris expertibus soli in imperio agere."

tamen exarsit cuius non nisi aequatis iuribus finis fuit. Huius certaminis duplex fuit ratio. Ditissimus quisque inter plebeios asperrime ferebat, quod quamvis opibus et copiis afflueret non nisi minuto iure erat. Pauperiores contra non tam iura ipsa appetebant quam omni contentione elaborabant, ut ad meliorem vitae condicionem pervenirent, quod adeo primum erat ut ne ab illis discedere quidem eos paeniteret dummodo hanc adipiscerentur. Hoc dilucide apparet ex iis quae Livius narrat de legibus a C. Licinio et L. Sextio tribunis promulgatis: „Apparuit, quae ex promulgatis plebi, quae latoribus gratiora essent. nam de faenore atque agro rogationes iubebant, de plebeio consule antiquabant." [1]) Propter hoc praecipue litigabatur ante annum a. u. c. 305 (p. Chr. n. 449), legibus duodecim tabularum constitutis ad iuris aequationem magis pertinebant rogationes tribunorum. [2]) Saepius etiam ad causam patriciorum ditiores inter plebeios se adiunxisse [3]) videntur, quando hoc suis rationibus maxime conducere intellegebant. Quod res magis implicatas reddebat.

Monendum videtur priscis illis temporibus annorum digestionem prorsus esse incertam. Ut exemplo utar. Quamdiu Tarquinius vixit, auctore Livio plebi a primoribus „summa ope inservitum erat", [4]) quo mortuo plebem in summas angustias deductam continuo in montem sacrum secessisse idem Livius narrat; nullo igitur modo intellegi potest quando tandem eius condicio adeo in peiorem partem sit versa. Nec mirum viros antiquitatis peritissimos, Mommsen, [5])

[1]) Liv. VI, 39, 1, 2.

[2]) Cf. Schwegl. R. G. II pag. 34; Momms R G. I[8] pag. 287 seq.

[3]) Liv. II, 1, 10; IV, 48, 15; 53, 4; 60, 7; etc. Cf. Schwegl R. G. II pag. 20; Momms. R. G. I[8] pag. 268, 287.

[4]) Liv. II, 21, 6.

[5]) R. G. I[8] pag. 269.

Schwegler, [1]) alios, coniecisse inter Tarquinium expulsum et secessionem in montem sacrum plus quam sedecim annos esse praeterlapsos. Haec tamen si missa faciamus, quaerendum, unde explicari possit expulsis regibus plebeiorum res tam celeriter in deterius esse conversas. Tres, nisi fallor, potissimum causae malum illud contraxerunt: bella assidue cum finitimis populis gesta, condicio soli, magnitudo aeris alieni quo plebei erant demersi. Postrema ut multas miserias afferebat, ita ipsa ex magna parte a ceteris duabus est repetenda. Illustrantur haec exemplo illius centurionis, cuius, si Livio fidem habeas, insignis calamitas invidiam sua sponte gliscentem accendit. [2]) Is enim, postquam „cum omnium malorum suorum insignibus se in forum proiecit," [3]) „sciscitantibus, unde ille habitus, unde deformitas, cum circumfusa turba esset prope in contionis modum, Sabino bello ait se militantem, quia propter populationes agri non fructu modo caruerit, sed villa incensa fuerit, direpta omnia, pecora abacta, tributum iniquo suo tempore imperatum, aes alienum fecisse. id cumulatum usuris primo se agro paterno avitoque exuisse, deinde fortunis aliis, postremo velut tabem pervenisse ad corpus; ductum se ab creditore non in servitium, sed in ergastulum et carnificinam esse." [4])

a. Bella assidue cum finitimis populis gesta. Dicat quispiam patricios non minus quam plebeios iniuriis continuorum bellorum ceterisque incommodis fuisse expositos. Hunc ne fugiat: 1°. patricios, utpote ditiores, melius detrimentum in bello acceptum brevi tempore resarcire potuisse;

---

[1]) R. G. II pag. 206.
[2]) Liv. II, 23, 2. Cf. etiam Dion. VI, 26.
[3]) Liv. l. l. § 3.
[4]) § 5, 6.

2°. plebeios communes quidem cum patriciis belli casus sustinuisse, sed in partem praedae saepius non esse vocatos; [1]) 3°. plebeios gravius tributo pressos esse quam patricios, quod apparebit ex iis, quae iam dicturus sum de agro Romano.

b. Condicio soli. Ex antiquissimis quidem temporibus pauca tantum de agri ratione comperta habemus. Quae tamen effici possunt ex scriptorum testimoniis breviter exponam [2]). Ager Romanus tunc esse poterat: *a* ager publicus; *b* ager privatus. Quod contendunt omnem privatum agrum principio fuisse singularum gentium communem, immo hoc dominium gentilicium fortasse etiam antecessisse agro publico, hoc ad propositum nostrum non pertinet. [3]) Hoc tantum notemus saepius agrum publicum mutatum esse in agrum privatum. Sescenties legimus „publicatum esse illum agrum, qui ex hostibus captus erat". [4]) Victores tum si non omnem agrum, certe partem pristinis possessoribus reddere [5]) solebant, partem vero ipsi dividebant vel civibus suis vendebant [6]). Iam regibus regnantibus legimus tales agros viritim fuisse divisos, primo nimirum non nisi inter patricios. Sed haec tempora, ut parum certa, omittimus. Postea saepissime agri assignabantur, sive ut plebeis qui ab agro publico fruendo

[1]) Liv. II, 24, 2: „Patres militarent, patres arma caperent, ut penes eosdem pericula belli, penes quos praemia essent." Ib. 42, 1; „Malignitate patrum, qui ...... militem praeda fraudavere." Sic sescenties. Cf. tamen Schwegl. R. G. II pag. 212 adn. 2.

[2]) De hac re conferas Pauly-Wissowa, Real-Encycl. I² s. v. *ager*, pag. 789 seq.; Daremb. et Sagl., Dict. des Antiq., s. v. *ager publicus*; Schwegl. R. G. II pag. 402 seqq.; Lange Röm. Alt. I³ pag. 157 seqq.; Momms. StR. III pag. 84 seq.; Marq. StV. II² pag. 151 seqq.

[3]) Cf. Pauly-Wissowa l. l. pag. 790; Momms. StR. III pag. 24 seqq.; contra quem Valeton, Over de rechten der patric. gentes, pag. 374 (69) seqq. affirmat omnem agrum principio fuisse p u b l i c u m.

[4]) Pompon. Dig. XLIX, 15, 20, 1.

[5]) Plurima exempla vide apud Schwegl. R. G. II pag. 403 seq.

[6]) Hi agri postea appellabantur quaestorii; attamen, si verum quaeras, eorum dominium remanebat apud civitatem. Cf. Marq. l. l. pag. 156.

exclusi essent [1]) damnum restitueretur, sive ut coloniis constitutis defectiones praecaverentur. [2]) Reliquus autem ager publicus, quoad non elocabatur, [3]) si ad culturam idoneus erat, singulis quibusdam civibus occupandus tradebatur; sin manebat incultus, ususfructus concedebatur, plerumque ad pecora ibi pascenda. [4]) Qui tali agro compascuo utebatur, certum quoddam vectigal pendebat, cui nomen erat scripturae. Qui publicum agrum occupabant, possessionem illi quidem tenebant, nec non posteris in hereditate relinquebant, attamen nunquam suum appellare iis licebat. [5]) Statam partem proventus debebant rei publicae. Est quaedam inter viros doctos parva dissensio utrum plebei agrum publicum occupare vetiti fuerint iureque compascendi caruerint necne. [6]) Quoquo modo hoc se habet, plurimos plebeios reapse ab agro publico fruendo exclusos fuisse communis fama est. [7]) Quod effecit, ut etiam quod ad

---

[1]) De hac re statim in hac ipsa pagina dicturus sum.

[2]) Cf. Schwegl. R G. II pag. 416, et Libri II Caput de Agrorum assignationibus et de Coloniis.

[3]) Partem agri publici interdum elocatam esse discimus ex Appiano (De Bello civ. I, 7) apud quem legimus: „τῆς γῆς τῆς δορικτήτου τὴν μὲν ἐξειργασμένην τοῖς οἰκιζομένοις ἐπιδιῄρουν ἢ ἐπίπρασκον ἢ ἐξεμίσθουν." Schwegler (R. G. II pag. 409 seq.) docet apud scriptores Romanos „agrum publicum locare" sive „fruendum locare" aliud quid significare, sc. vectigalia vendere quae agri publici possessores debebant. Item Lange Röm Alt. I³ pag. 158.

[4]) Ceteros usus agri publici vide apud Marq. l. l, qui multo copiosius de hisce omnibus loquitur quam patitur huius libri ratio.

[5]) Cf Cic De Leg. agr. III Cap 3; Festus pag. 233: „Neque qui dicit se possidere, is suam rem potest dicere"; Idem pag 241: „Possessiones appellantur agri late patentes, publici privatique, qui non mancipatione, sed usu tenebantur, et ut quisque occupaverat, possidebat."

[6]) Cf. Schwegl. R. G. III pag. 448 seqq.; Marq. StV. I² pag. 99; Huschke, Ueber die Stelle des Varro von den Liciniern, pag. 13.

[7]) Mirum quantum discrepat Ihne a vulgatis opinionibus. Is putat (Röm. Forsch pag. 74 seqq.) plebeios — quos eosdem appellatos fuisse clientes (cf. supra pag. 22) contendit — nullum habuisse proprium dominium, contra ipsum publicum agrum co-

tributum attinet, commodiore condicione essent patricii. Tributum enim ex censu imponebatur. Censui censendo autem agri appellabantur, qui et emi et venire iure civili poterant, [1]) quorum igitur privati homines erant domini. Itaque in censu censendo neglegebantur agri publici possessiones, [2]) quibus magnam partem patriciorum divitiae contentae fuisse videntur. [3]) Ne vectigal quidem, quod agri publici possessores debebant, eos omni tempore solvisse apparet, [4]) quo necessario fiebat ut tributum augeretur, [5]) quod indicebatur, prout res postulabat. Etiam alia causa erat cur tributum magis premeret plebeios. Iam dixi antiquitus non nisi agros in censum delatos esse. [6]) Neglegebantur ergo pecuniae a patriciis faenore occupatae nec summa aeris alieni deducebatur, quod contraxerant plebei. [7]) Quin etiam cum patriciorum quis agrum plebei sui debitoris pignori acceperat, ad illum fructus redibat, hic tamen talis quoque agri tributum pendere debebat.

c. *Magnitudo aeris alieni quo plebei erant demersi.* Et haec gravis causa erat cur plebs miseriis esset cooperta. Locupletes enim grandi faenore, quin ante leges duodecim tabularum ex ipsorum libidine constituto [8]), pecunias occupare

---

lendum accepisse a patriciis quibus certum quoddam tributum deberent. Ita explicari quod semper patricios creditores cum debitoribus plebeis compositos videmus. Hos autem continuis bellis exhaustos solvendo non fuisse.

[1]) Paul. Diac. pag. 58.

[2]) Cf. Schwegl. R. G. I pag. 633; Marq. StV. II² pag. 167. Negatur tamen a Valeton l. l. pag. 374 (69).

[3]) Cf. Liv. IV, 48, 3.

[4]) Cf. Liv. IV, 36, et ibi interpretes; etiam Marq. StV. I² pag. 100.

[5]) Momms. R. G. I⁸ pag. 267.

[6]) Cf. etiam Momms. StR. II³ pag. 393.

[7]) Cf. de ea re Marq. StV. II² pag. 171; Momms. StR. II³ pag. 395, ubi simul breviter dicit de quibusdam locis Livianis (VI, 27; 31), qui contrarium docere videntur.

[8]) Tac. Ann. VI, 16.

solebant, ita ut multi mox „multiplici iam sorte exsoluta mergentibus semper sortem usuris obrut(i) faenore esse(nt).“ [1]) Si lenti infitiatores erant ex usura sors fiebat [2]) vel versuram facere cogebantur. [3]) Sin omnino non erant solvendo quam aspere tractarentur, e Liviani centurionis verbis, modo a me laudatis, apparet. Quae duodecim tabulae sanxerunt de „confessi aeris ac debiti iudicatis“ Gellius litteris custodivit: „Sic enim sunt, opinor, verba legis: A e r i s c o n f e s s i r e b u s q u e i u r e i u d i c a t i s t r i g i n t a d i e s i u s t i s u n t o. P o s t d e i n d e m a n u s i n i e c t i o e s t o, i n i u s d u c i t o. N i i u d i c a t u m f a c i t a u t q u i s e n d o e o i n i u r e v i n d i c i t, s e c u m d u c i t o, v i n c i t o a u t n e r v o a u t c o m p e d i b u s. Q u i n d e c i m p o n d o n e m i n o r e a u t s i v o l e t m a i o r e v i n c i t o. S i v o l e t s u o v i v i t o. N i s u o v i v i t, q u i e u m v i n c t u m h a b e b i t, l i b r a s f a r r i s e n d o d i e s d a t o. S i v o l e t p l u s d a t o. Erat autem ius interea paciscendi ac, nisi pacta forent, habebantur in vinculis dies sexaginta. Inter eos dies trinis nundinis continuis ad praetorem in comitium producebantur, quantaeque pecuniae iudicati essent, praedicabatur. Tertiis autem nundinis capite poenas dabant aut trans Tiberim peregre venum ibant. Sed eam capitis poenam sanciendae sicuti dixi, fidei gratia horrificam atrocitatis ostentu novisque terroribus metuendam reddiderunt. Nam si plures forent, quibus reus esset iudicatus, secare, si vellent, atque partiri corpus addicti sibi

---

[1]) Liv. VI, 14, 7.

[2]) Cf. Schwegl. R. G. II pag. 214.

[3]) Paul. Diac. pag. 379: „Versuram facere mutuam pecuniam sumere ex eo dictum est, quod initio qui mutuabantur ab aliis, non ut domum ferrent, sed ut aliis solverent, velut verterent creditorem.“

hominis permiserunt. Et quidem verba ipsa legis dicam, ne existimes, invidiam me istam forte formidare: T e r-t i i s, inquit, n u n d i n i s p a r t i s s e c a n t o. S i p l u s m i n u s v e s e c u e r u n t, s e f r a u d e e s t o. Nihil profecto inmitius, nihil inmanius, nisi, ut re ipsa apparet, eo consilio tanta inmanitas poenae denuntiatast, ne ad eam umquam perveniretur." [1]) Horrifica igitur illa capitis poena num unquam exacta sit Gellius dubitat. At etiam si ab hac immanitate recedas, inopum plebeiorum res satis afflictas fuisse quis erit qui neget?

---

[1]) Gell. XX, I, 45 seqq. Cf. etiam quae ipse de hac plebeiorum custodia scripsi in Prooemio (pag. 9) et Mommseni iudicium ibi allatum.

CAPUT II.

De adulto imperio Romano.

Legentium plerisque haud dubito quin — ut Livii verbis utar — primae origines proximaque originibus minus praebitura voluptatis sint festinantibus ad illa tempora, quibus iam pridem praevalentis populi vires se ipsae conficiunt. [1]) Horum desiderio indulgentes velut transiliamus ad illud temporis spatium, quod incipit a Gracchis.

Magna facta est rerum et animorum commutatio. Romana civitas, ab exiguis profecta initiis, eo crevit, ut iam magnitudine laboret sua. Ex omnibus bellis quae gessit, iisque maxime periculosis, superior discessit: Carthago, gravis illa aemula, funditus est sublata; Corinthum, totius Graeciae lumen, exstinctum esse voluit; [2]) Asiae magni spiritus fracti sunt et repressi. Iusto iure se ipsa terrarum dominam appellare potest.

Sed fallaces sunt rerum species quibus credimus. Si qui specie non decipiebantur, sed rerum rationem ad veritatem

---

[1]) Ita Livius (Lib. I, Praef. 4) scribit de suis temporibus et de iisquae proxime antecesserant; mihi tamen iam in Gracchorum aetate valere videntur.

[2]) Cf. Cic. De Imp. Cn. Pomp. 5, 11.

revocabant et longius in posterum prospiciebant futura, de re publica valde timebant cogitantes quod malum penitus eius visceribus inhaereret.

Acre illud certamen quad tam diu patriciorum et plebeiorum animos exacerbaverat, prope iam in oblivione iacebat. Temporibus mutatis nova nomina evalescebant. Erant sane factiones in re publica. „Qui ea, quae faciebant quaeque dicebant, multidudini iucunda volebant esse, populares, qui autem ita se gerebant, ut sua consilia optimo cuique probarent, optimates habebantur". [1]) Sed horum velitationes observans quaereres utrum asseveraretur an tentaretur. [2]) Nec vacabat offensione quod nobiles mox veram nobilitatem ex virtute pendere obliti quasi orbem quendam divitum gentium conficiebant quae paucae numero [3]) honores „inter se per manus tradebant". [4]) Haec omnia tamen minoris putabantur. Vulgus non iam iura publica affectabat: ratio atque inclinatio temporum omnia ad utilitatem solam referebat. Alia causa erat cur sub novis nominibus veteres discordiae repeterentur, tanto acriores, quanto ex genere quae est nobilitas minus odiosa esse solet, quam vix ferenda potentia eorum, qui magnis suis opibus elati putent „rem publicam

---

[1]) Cic. Pro Sest. 45, 96.

[2]) Cf. Momms. R. G. II[8] pag. 73.

[3]) Sall. Iug. 41, 7: „Paucorum arbitrio belli domique agitabatur; penes eosdem aerarium provinciae, magistratus gloriae triumphique erant."

[4]) Cf. Sall. Iug. 63, 6. Praesertim consulatum adipisci homini novo perdifficile erat. Cf. Sall. ibid. § 7: „Novus nemo tam clarus neque tam egregiis factis erat, quin is indignus illo honore et quasi pollutus haberetur." Cic. De Leg. agr. II, 1, 3: „Me perlongo intervallo prope memoriae temporumque nostrorum primum hominem novum consulem fecistis et eum locum, quem nobilitas firmatum atque omni ratione obvalatum tenebat, me duce rescidistis virtutique in posterum patere voluistis." Id. Pro Mur. 8, 17: „Cum vero ego tanto intervallo claustra ista nobilitatis refregissem, ut aditus ad consulatum posthac, sicut apud maiores nostros fuit, non magis nobilitati quam virtuti pateret . . . ."

in suum ius atque dicionem concessisse" [1]). Haec causa erat fortunarum inaequalitas, quae priscam aequabilitatem magis magisque exceperat. In societate civili tunc non nisi duo hominum genera [2]) erant: divites, qui lege Sempronia anni a. u. c. 631 (a. Chr. n. 123) in duos ordines, senatorium et equestrem, divisi sunt, et „plebs", [3]) ut cum contemptu quodam appellabantur omnes, qui illis ordinibus non continebantur. Etiam „populi" nomine notabantur, quod tamen fastidio carebat. [4]) Hi autem magnam partem inopes erant. Plebes media, [5]) homines modicae fortunae, quales apud nos sunt tabernarii, artifices, navi operarii, eiusmodi homines, tunc certe inter ingenuos non amplius multi inveniebantur [6]). Nec magis liberi agricolae stare poterant. Pro certo dici potest talem populum male se habere, praesertim cum, ut usque ad hunc diem Italiae incolae, natura ad agros colendos destinatus esse videatur. Praecipaus causas enumerare conabor, cum de agri cultura cur iaceret, tum cur media plebes Romae florere non posset.

---

[1]) Sall. Cat. 20, 7.

[2]) Cf. Voigt in Iw. v. M. 's Handb. IV, 2², pag. 337, et imprimis Momms. StR. III pag. 460 seqq., et ibi adnotationes.

[3]) „Plebis" vox igitur diversos intellectus habet, qui ex sermonis contextu facile internoscuntur.

[4]) Sall. Iug. 41, 5: („Post Carthaginem deletam) coepere nobilitas dignitatem, populus libertatem in lubidinem vortere, sibi quisque ducere trahere rapere. ita omnia in duas partis abstracta sunt, res publica, quae media fuerat, dilacerata." Cic. De Leg. agr. II, 26, 70: „Et nimirum idem est, quod ab hoc tribuno plebis dictum est in senatu, urbanam plebem nimium in re publica posse: exhauriendam esse; hoc enim est usus, quasi de aliqua sentina ac non de optimorum civium genere loqueretur." Cic. In Toga cand. ap. Ascon. pag. 90 Or.: „A senatoribus? . . . . Ab equestri ordine? . . . . A plebe?" Suet. Cal. 49: „Equestri ordini et populo; nam se neque civem neque principem senatui amplius fore." Sic passim.

[5]) Hoc vocabulum occurrit apud Plin. N. H. XXVI, 1, 3.

[6]) Cf. Marq. Privatl. ² pag. 401. Initio saltem Romanos ab artibus quae manu constarent non abhorruisse supra (pag. 32) docui. Ceterum Numae opificum collegia violentiam fortunae toleraverunt (ibid. pag. 31).

a. Crebra bella, quae ut agrorum colendorum facultatem ademerant, ita acerba tributa exegerant. Permultos igitur aere alieno fuisse obrutos facile quisque intellegat. [1]) Iam vidimus non multo post reges exactos eos, qui non nisi parvum dominium haberent, continuis bellis exhaustos non raro necessario coactos fuisse, ut patrimonium suum venderent. Hoc malum in dies latius manaverat. Ceterum imprimis Punico bello secundo tota Italia vastata [2]) Romanaeque iuventutis flos absumptus erat.

At tunc maxime male res se habere coepit, cum ipsa illa imperii et divitiarum profunda cupiditas invaderet animos. [3]) Fieri enim non poterat quin orientis regna in populi Romani potestatem redacta domesticae industriae funesta fierent. Tunc servorum efflorescebat ingens proventus — de quo iam iamque copiosius dicturus sum —; tunc magnae opes omnisque generis opera et artificia Romam confluebant; tunc mercatores in magnas societates coibant, quarum naves per omnia maria ad totius orbis terrarum caput merces advehebant. Alii miseras provincias quacumque ratione exhauriebant, ut publicani, ut magistratus, quos negotia contrahere non decebat. [4]) At exiguus erat numerus eorum quibus haec omnia ad commodum redundabant. „Patimur enim" — ait Cicero [5]) — „multos iam annos et silemus, cum videamus ad paucos

---

[1]) Sall. Iug. 41, 7: „Populus militia atque inopia urgebatur: praedas bellicas imperatores cum paucis diripiebant."

[2]) Liv. XXVI, 35, 5: „Per tot annos tributo exhaustos nihil reliqui praeter terram nudam ac vastam habere". Ib. XXXI, 13, 6 legimus magnam partem divitum privatorum „agros" dicere „volgo venales esse et sibimet emptis opus esse."

[3]) Cf. Roscher, Syst. d. Volkswirthsch., I[18] pag 538.

[4]) Liv. XXI, 63, 4: „Quaestus omnis patribus indecorus visus." [ubi *patribus* coniungendum cum *indecorus*.] Cf. etiam infra Libri II Caput de Faenore Romanorum.

[5]) Cic. Verr. V, 48, 126.

homines omnes omnium nationum pecunias pervenisse." Et: „Philippus, in tribunatu cum legem agrariam ferret (anno 650 a. u. c.=154 a. Chr. n.), ... 'non esse in civitate duo milia hominum, qui rem haberent.'" [1]) Quo molestius — nam ex contrario res magis eminere solent — rei familiaris angustias ferebat magna vis eorum, qui parce ac duriter vitam agebant. [2])

b. Locupletium avaritia. Divites non satis habebant parvo emere agros eorum, qui in summas angustias adducti essent, sed etiam vi aut dolo bona fortunasque tenuiorum vexabant. [3])

c. Servitia Romanorum. Tempora abierant, ubi „saturabat glaebula talis (sc. iugera bina) patrem ipsum turbamque casae, qua feta iacebat uxor et infantes ludebant quattuor, unus vernula, tres domini." [4]) Eri ipsi ruri habitare fastidientes — qui fuerat antiquus mos — agrestes labores servitiis iniungebant, quibus praeponebant vilicum vel actorem. [5]) Quamdiu enim servi fuerant pauci numero, multi qui id quod obtinebant amittere coacti erant, divi-

---

[1]) Cic. De Off. II, 21, 73. Attamen dubitari potest an Philippus rhetorice rem paulum exasperaverit. Voigt in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2², pag. 361 adn. 29, etiam laudat Cic. De Re publ. II, 22, 40. Ibi vero Cicero agit de antiquissimis (Servii Tullii) temporibus. Verba haec sunt: „Illarum autem sex et nonaginta centuriarum (sunt centuriae inferiorum classium) † in una centuria tum quidem plures censebantur, quam paene in prima classe tota."

[2]) Cf. Roscher l. l.

[3]) Sall. Iug. 41, 8: „Interea parentes aut parvi liberi militum, uti quisque potentiori confinis erat, sedibus pellebantur." Appian. B. C I, 7: „οἱ γὰρ πλούσιοι τῆσδε τῆς ἀνεμήτου γῆς τὴν πολλὴν καταλαβόντες, καὶ χρόνῳ θαρροῦντες οὔ τινα σφᾶς ἔτι ἀφαιρήσεσθαι, τά τε ἀγχοῦ σφισιν, ὅσα τε ἦν ἄλλα βραχέα πενήτων, τὰ μὲν ὠνούμενοι πειθοῖ τὰ δὲ βίᾳ λαμβάνοντες, πεδία μακρὰ ἀντὶ χωρίων ἐγεώργουν." Cf. etiam Marq. StV. I² pag. 103.

[4]) Iuv. XIV, 166 seqq.

[5]) Marq. Privatl.² pag. 139; Voigt l. l. pag. 368.

tibus operam suam locaverant. Cum autem servi undique ex subiectis terris Romam ducerentur, utebantur sane etiam mercennariis, „cum conducticiis liberorum operis res maiores, ut vindemias ac faenisicia, administra(re)nt"; [1]) at in plerisque operibus paulatim liberos agrorum cultores dimittebant coemptisque servitiis utebantur, ne ingenuis si uterentur, militiae causa hi ab opere avocarentur. [2]) Neque solum in rusticis rebus, sed etiam in artibus, quae manu constarent, liberi operae a servitiis submovebantur. Nec mirum, cum servilia ministeria haud dubie multo minoris parabilia essent, quaeque usibus Romanorum necessaria essent, quatenus non peregre inveherentur, commodius a servitiis confici possent. Immo ex servitiis, quae velut tabes erat antiquitatis, facile repetitur praecipua causa, cur operas praebendo vitam tenere parum honestum duceretur. [3]) Quod plane testatur Cicero [4]): „Opificesque omnes in sordida arte versantur; nec enim quicquam ingenuum habere potest officina." [5])

[1]) Varro R. R. I, 17, 2.

[2]) Appian. l. l.: „(οἱ πλούσιοι) πεδία μακρὰ ἀντὶ χωρίων ἐγεώργουν, ὠνητοῖς ἐς αὐτὰ γεωργοῖς καὶ ποιμέσι χρώμενοι τοῦ μὴ τοὺς ἐλευθέρους ἐς τὰς στρατείας ἀπὸ τῆς γεωργίας περισπᾶν, φερούσης ἅμα καὶ τῆσδε τῆς κτήσεως αὐτοῖς πολὺ κέρδος ἐκ πολυπαιδίας θεραπόντων, ἀκινδύνως αὐξομένων διὰ τὰς ἀστρατείας. ἀπὸ δὲ τούτων οἱ μὲν δυνατοὶ πάμπαν ἐπλούτουν, καὶ τὸ τῶν θεραπόντων γένος ἀνὰ τὴν χώραν ἐπλήθυε, τοὺς δ' Ἰταλιώτας ὀλιγότης καὶ δυσανδρία κατελάμβανε, τρυχομένους πενίᾳ τε καὶ ἐσφοραῖς καὶ στρατείαις. εἰ δὲ καὶ σχολάσειαν ἀπὸ τούτων, ἐπ' ἀργίας διετίθεντο, τῆς γῆς ὑπὸ τῶν πλουσίων ἐχομένης, καὶ γεωργοῖς χρωμένων θεράπουσιν ἀντὶ ἐλευθέρων." Cf. etiam Plut. Tib. Gracch. 8, 4. De hac re vide Marq. StV. I² pag. 104; Privatl.² pag. 137; Voigt l. l. pag. 368 seqq.

[3]) Non aliter iudicabant Graeci, quod copiose docet Drumann, Arbeiter und Communisten, pag. 23 seqq.

[4]) De Off. I, 42, 150.

[5]) Cf. etiam Dion. IX, 25, 2: „οὐδενὶ γὰρ ἐξῆν Ῥωμαίων οὔτε κάπηλον

d. Annonae vilitas, qua iam ob alias causas exiguus numerus eorum, qui agrum immunem liberumque arabant, magis magisque minuebatur. Non modo cum servitiis in frumento arando dimicare difficile erat, [1]) verum ex recens partis provinciis Sicilia, Sardinia, Aegypto, tanta vis frumenti subvehebatur, ut mox parvi ac paene nullius pretii esset. Immo tantum aberat ut qui rem publicam regebant prudentia acuti essent, ut ignavae multitudini morigerantes consulto et cogitate pretium frumenti minuerent. [2]) Quo factum est ut in ipsorum locupletium latifundiis frumentum cederet agresti ac villaticae pastionibus, [3]) oletis, vineis, silvis tam caeduis quam pascuis, lapicidinis quoque, fornacibus calcariis, figlinis, histonibus et quae sunt generis eiusdem. [4])

e. Immensa pecuniae cupiditas faeneratorum, qui non raro usuras ex libidine constituebant pecuniasque acerbe exigebant a miseris debitoribus.

De crebris legibus quibus Romani illorum astutiis occurrere conabantur, in altero libro agam. At viri civilibus artibus praestantes servorum quoque magno incremento ob

οὔτε χειροτέχνην βίον ἔχειν." [De hoc loco tamen supra pag. 32.] Liv. XXII 25, 18, 19: „(C. Terentius Varro) loco non humili solum sed etiam sordido ortus. patrem lanium fuisse ferunt, ipsum institorem mercis, filioque hoc ipso in servilia, eius artis ministeria usum." Plures locos vide apud Marq. Privatl.[2] pag. 401.

[1]) Cf. quae Plinius narrat de Tario quodam Rufo (N. H. XVIII, 6, 37): „L. Tarius Rufus infima natalium humilitate consulatum militari industria meritus, antiquae alias parsimoniae, circiter miliens HS. liberalitate divi Augusti congestum usque ad detractationem heredis exhausit agros in Piceno coemendo colendoque in gloriam."

[2]) Cf. Voigt in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2[2], pag. 362; Marq. Privatl.[2] pag. 398; StV. II[2] pag. 112 seqq.

[3]) Varro R. R. II, praef. 4: „Itaque in qua terra culturam agri docuerunt pastores progeniem suam, qui condiderunt urbem, ibi contra progenies eorum propter avaritiam contra leges ex segetibus fecit prata, ignorantes non idem esse agri culturam et pastionem."

[4]) Cf. Voigt l. l. pag. 362 seqq., et Marq. Privatl.[2] pag. 400, et ibi laudatos locos. Vide etiam Momms. R. G. I[8] pag. 842.

varias causas rei publicae funesto obviam ire itemque vinculum inicere periclitabantur immodicae cupiditati, qua divites agros continuabant [1]). Omnia frustra. Ordo senatorius, ut a negotiis gerendis exclusus erat, ita minus gravabatur [2]) „coniungere domum ad domum et agrum agro copulare usque ad terminum loci", ut illi locupletes quibus propheta Isaias [3]) Iehovae verbis minas iacit, cum acerba dissimulatione quaerens, numquid habitaturi essent illi „soli in medio terrae." Traditum est iam anno a. u. c. 620 (a. Chr. n. 234) in Etruria nullum amplius agricolam fuisse, qui agrum immunem liberumque araret. [4]) Sic oriebantur latifundia, [5]) quae Plinius in summis malis ponit quae civitati acciderint. Exclamat enim: „Verumque confitentibus latifundia perdidere Italiam, iam vero et provincias." [6]) Ita sors eorum qui quondam navi et industrii agricolae fuerant in dies

---

[1]) Haec omnia dilucide exposuit Appianus (B. C. I, 8) — respicit ad leges Licinias —: „ἔκριναν μηδένα ἔχειν τῆςδε τῆς γῆς πλέθρα πεντακοσίων πλείονα, μηδὲ προβατεύειν ἑκατον πλείω τὰ μείζονα καὶ πεντακοσίων τὰ ἐλάσσονα. καὶ ἐς ταῦτα δ' αὐτεὶς ἀριθμὸν ἐλευθέρων ἔχειν ἐπέταξαν, οἳ τὰ γιγνόμενα φυλάξειν τε καὶ μηνύσειν ἔμελλον. οἳ μὲν δὴ τάδε νόμῳ περιλαβόντες ἐπώμοσαν ἐπὶ τῷ νόμῳ καὶ ζημίαν ὥρισαν ...... φροντὶς δ' οὐδεμία ἦν οὔτε τῶν νόμων οὔτε τῶν ὅρκων κ. τ. λ." Cf. etiam Liv. XLII, 1, 6; Cic. De Leg. agr. II, 28, 78; Appian. l. l. Cap. 9 (de Tiberio Graccho); etc.; et in Libro II Caput de Legibus agrariis et de Coloniis.

[2]) Cf. Ed. Meyer, Die wirtschaftl. Entwickelung des Altertums, pag. 58 adn. 3.

[3]) Is. V, 8.

[4]) Momms. R. G. II[8] pag. 81, ubi errato typographico legitur annus a. u. c. 520.

[5]) Appian. l. l. (Cap. 7): „πεδία μακρὰ ἀντὶ χωρίων ἐγεώργουν."

[6]) Plin. N. H. XVIII, 6, 35. De modo quo haec Plinii verba accipienda sunt scribit Friedl. Sittengesch. Roms I[6] pag. 368 — secutus est Mommsen, Die italische Bodentheilung und die Alimentartafeln, in Hermes XIX (1884) —: „der ä. Plinius kann bei seinem bekannten Ausspruch, dass der Grossgrundbesitz Italien zu Grunde gerichtet habe, und nun auch die Provinzen, wol nur an die Verdrängung der ansässigen Kleinbauern durch die eigenthumlosen Kleinpächter gedacht haben." Hi *Kleinpächter* appellabantur „coloni," quibus locupletes fundos suos colendos tradidisse infra docebo.

iniquior fiebat. Quare „iuventus, quae in agris manuum mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita urbanum otium ingrato labori (praeferebat)". [1]) Iustis de causis igitur Livius cum quadam sermonis amaritudine de suo saeculo: „simile veri est, inquit, ... innumerabilem multitudinem liberorum capitum in eis fuisse locis, quae nunc vix seminario exiguo militum relicto servitia Romana ab solitudine vindicant." [2])

Priusquam de libera re publica transeamus ad Caesariana tempora, non indignum mihi videtur duo testimonia laudare, alterum Tiberii Gracchi, qui plebis condicionem, qualem ipse videbat, in hunc modum describit: „(ὁ γὰρ Τιβέριος . . . . . . ὁπότε τοῦ δήμου τῷ βήματι περικεχυμένου καταστὰς λέγοι περὶ τῶν πενήτων ὡς) τὰ μὲν θηρία τὰ τὴν Ἰταλίαν νεμόμενα καὶ φωλεὸν ἔχει καὶ κοιταῖόν ἐστιν αὐτῶν ἑκάστῳ καὶ κατάδυσις, τοῖς δ' ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας μαχομένοις καὶ ἀποθνήσκουσιν ἀέρος καὶ φωτός, ἄλλου δ' οὐδενὸς μέτεστιν, ἀλλ' ἄοικοι καὶ ἀνίδρυτοι μετὰ τέκνων πλανῶνται καὶ γυναικῶν, οἱ δ' αὐτοκράτορες ψεύδονται τοὺς στρατιώτας ἐν ταῖς μάχαις παρακαλοῦντες ὑπὲρ τάφων καὶ ἱερῶν ἀμύνεσθαι τοὺς πολεμίους· οὐδενὶ γὰρ ἔστιν οὐ βωμὸς πατρῷος, οὐκ ἠρίον προγονικὸν τῶν τοσούτων Ῥωμαίων, ἀλλ' ὑπὲρ ἀλλοτρίας τρυφῆς καὶ πλούτου πολεμοῦσι καὶ ἀποθνήσκουσι, κύριοι τῆς οἰκουμένης εἶναι λεγόμενοι, μίαν δὲ βῶλον ἰδίαν οὐκ ἔχοντες." [3]) Alterum testimonium Lucani poetae est qui imaginem Romae effingit de vita hominum media sumptam:

„Namque ut opes mundo nimias Fortuna subacto
Intulit, et rebus mores cessere secundis,

[1]) Sall. Cat. 37, 7. Liv. XXV, 1, 8 (ex anno 541 a. u. c. = 213 a. Chr. n.): „Rustica plebs, ex incultis diutino bello infestisque agris egestate et metu in urbem conpulsa". Appian. B. C. II, 120: „τό τε σιτηρέσιον τοῖς πένησι χορηγούμενον ἐν μόνῃ Ῥώμῃ τὸν ἀργὸν καὶ πτωχεύοντα καὶ ταχυεργὸν τῆς Ἰταλίας λεὼν ἐς τὴν Ῥώμην ἐπάγεται." Cf. etiam Suet. Aug. 42.

[2]) Liv. VI, 12, 5.

[3]) Plut. Tib. Gracch. 9, 4.

Praedaque et hostiles luxum suasere rapinae,
Non auro tectisve modus, mensasque priores
Aspernata fames; cultus, gestare decoros
Vix nuribus, rapuere mares; fecunda virorum
Paupertas fugitur, totoque accersitur orbe,
Quo gens quaeque perit. Tunc longos iungere fines
Agrorum, et quondam duro sulcata Camilli
Vomere et antiquos Curiorum passa ligones
Longa sub ignotis extendere rura colonis.
Non erat is populus, quem pax tranquilla iuvaret,
Quem sua libertas inmotis pasceret armis.
Inde irae faciles, et quod suasisset egestas
Vile nefas, magnumque decus ferroque petendum,
Plus patria potuisse sua; mensuraque iuris
Vis erat; hinc leges et plebis scita coactae,
Et cum consulibus turbantes iura tribuni,
Hinc rapti fasces pretio, sectorque favoris
Ipse sui populus letalisque ambitus urbi,
Annua venali referens certamina Campo;
Hinc usura vorax, avidumque in tempora faenus,
Et concussa fides, et multis utile bellum." [1])

Quae dixi partim etiam magis valent de Caesarum temporibus. Scio equidem eadem illa tempora — posteriora saecula pessimosque imperatores excipio — multis nominibus imperio Romano fuisse prosperrima. Res publica nimis diu undis et tempestatibus iactata respiravit sub Augusto, qui prudenter ac moderate imperium tractabat. Tiberius, quamvis non aeque sibi populi benevolentiam adiungeret, tamen a Tacito non integre iudicatus esse videtur. [2])

---

[1]) Lucan. Phars. I, 160 seqq (Ed. Francken).

[2]) Cf. Niese in Iw. v. M.'s Handb. III, 5², pag. 191.

Bona erant regna Vespasiani et Titi, laetiora tamen Traiani, Hadriani, Antoninorum, quorum saeculum multis nominibus in felicissimis poni licet, quae unquam populus Romanus viderit. Non solum Roma urbs summa tranquillitate pacis atque otii fruebatur, ut est apud Plinium [1]) „in hoc urbis otio et intimo sinu pacis," sed illis regnantibus saepius in ipsis imperii confiniis per multos annos pax non est turbata. Negotiatio quaestusque bene cedebant; multi opibus et copiis florebant; magnificae et lautissimae domus, amoenae villae aedificabantur; artes et disciplinae multum colebantur. [2]) Ac tamen multa erant quae in ipso rei publicae splendore propinquam ruinam denuntiarent. Opum incrementum vehementer pertinuit ad mores pervertendos. Quare Iuvenalis: „Nunc patimur longae pacis mala, saevior armis Luxuria incubuit victumque ulciscitur orbem. Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo Paupertas Romana perit." [3]) „Luxuriae enim — ita Livius [4]) — peregrinae origo ab exercitu Asiatico invecta in urbem est . . . . . . vix tamen illa, quae tum conspiciebantur, semina erant futurae luxuriae." [5]) Cum antea eri ex aequo viverent cum servis suis [6])

---

[1]) Paneg. 56.

[2]) Cf. Momms. R. G. V[3] pag. 4 seq.: „Noch heute giebt es manche Landschaft des Orients wie des Occidents, für welche die Kaiserzeit den an sich sehr bescheidenen, aber doch vorher wie nachher nie erreichten Höhepunkt des guten Regiments bezeichnet; und wenn einmal ein Engel des Herrn die Bilanz aufmachen sollte, ob das von Severus Antoninus beherrschte Gebiet damals oder heute mit grösserem Verstande und mit grösserer Humanität regiert worden ist, ob Gesittung und Völkerglück im Allgemeinen seitdem vorwärts oder zurückgegangen sind, so ist es sehr zweifelhaft, ob der Spruch zu Gunsten der Gegenwart ausfallen würde." Cf. etiam eundem, Die röm. Schweiz, pag. 24: „Dass die römische Kaiserzeit mehr geschmäht als gekannt ist."

[3]) Iuv. VI, 292 seqq. Haec satura edita est anno 116 vel 117 p. Chr. n.

[4]) Liv. XXXIX, 6, 7—9.

[5]) Secundum Sallustium (Cat. 9 seqq.) aliquanto post luxuria pullulare coepit.

[6]) Plut. (Cato maior 3, 2) de Catone: „ἂν μὲν ᾖ χειμὼν, ἐξωμίδα λαβὼν,

ipsique ruri habitarent, nunc iam „omnes enim (sicut M. Varro iam temporibus avorum conquestus est) patres familiae falce et aratro relictis intra murum correpsimus et in circis potius ac theatris quam in segetibus et vinetis manus movemus". [1]) De feminis idem Columella: „Nunc vero cum pleraeque sic luxu et inertia diffluant, ut ne lanificii quidem curam suscipere dignentur, sed domi [sedentes] confectas vestes fastidio habeant . . . . . nihil mirum est, easdem ruris et instrumentorum agrestium cura gravari sordidissimumque negotium ducere paucorum dierum tempus in villa morari." [2]) Ad diversissima autem ministeria et patres et matres familias servis utebantur, ita ut familia urbana rusticae non multum cederet. [3]) Festive Plinius: „Mancipiorum legiones, et in domo turba externa, ac servorum quoque causa nomenclator adhibendus." [4])

Antiqui scriptores Romanum luxum uno ore damnant. Non aliter Roscher multique alii viri docti Romae luxum pessimae fuisse naturae contendunt, quippe qui cum stultus esset tum turpis moresque corrumpens. Addunt divites in eam se consuetudinem adduxisse, ut inanes voluptates consectarentur, rarissimum quidque captarent, quam maximos sumptus facere pro magnifico acciperent. At Friedländer [5]) Romanum luxum nequaquam tantum fuisse putat, quantum auxerit fama, eundemque publicae potius saluti conduxisse. [6])

θέρους δὲ γυμνὸς ἐργασάμενος μετὰ τῶν οἰκετῶν ἐσθίει τὸν αὐτὸν ἄρτον ὁμοῦ καθήμενος καὶ πίνει τὸν αὐτὸν οἶνον."

[1]) Colum. I, praef. 15.

[2]) XII, praef. 9.

[3]) Marq. Privatl.[2] pag. 142 seqq.

[4]) Plin. N. H. XXXIII, 1, 26. Servorum numerum tamen sensim minutum esse, cum minus frequentes venales producerentur, infra docebo (pag. 55).

[5]) Sittengesch. Roms III[6] pag. 6 seqq.

[6]) Non omnem certe luxum damnosum esse iam antiquis patuisse videtur. Athenaeus enim verba laudat Heraclidis Pontici (Athen. XII, 5): „οἱ τύραννοι καὶ

Idem Friedländer [1]) antiquas divitias non tantas fuisse dicit atque recentiorum temporum. Hic tamen non simpliciter est quaerendum, sed comparate, utri ditiores existimandi sint ditissimi inter antiquos an nostrae aetatis. Quae quaestio uti iucundissima magnique momenti, ita difficillima est, quam ipse Friedländer [2]) nunquam persolutum iri opinatur. Rodbertus nescit an Romani palmam tulisse existimandi sint, Friedländer recentioribus priores partes deferendas esse videtur putare. [3]) Quicquid id est, quamvis non omnia quae traduntur ad verbum videantur accipienda, [4]) tamen quin multum inter se distarent divitum pauperumque fortunae non est dubium. [5]) Iam Crassus „in agris

---

οἱ βασιλεῖς τῶν ἀγαθῶν ὄντες κύριοι καὶ πάντων εἰληφότες πεῖραν τὴν ἡδονὴν προκρίνουσι, μεγαλοψυχοτέρας ποιούσης τῆς ἡδονῆς τὰς τῶν ἀνθρώπων φύσεις. ἅπαντες γοῦν οἱ τὴν ἡδονὴν τιμῶντες καὶ τρυφᾶν προῃρημένοι μεγαλόψυχοι καὶ μεγαλοπρεπεῖς εἰσιν, ὡς Πέρσαι καὶ Μῆδοι. μάλιστα γὰρ τῶν ἄλλων ἀνθρώπων τὴν ἡδονὴν οὗτοι καὶ τὸ τρυφᾶν τιμῶσιν ἀνδρειότατοι καὶ μεγαλοψυχότατοι τῶν βαρβάρων ὄντες. ἔστι γὰρ τὸ μὲν ἥδεσθαι καὶ τὸ τρυφᾶν ἐλευθέρων· ἀνίησι γὰρ τὰς ψυχὰς καὶ αὔξει· τὸ δὲ πονεῖν δούλων καὶ ταπεινῶν· διὸ καὶ συστέλλονται οὗτοι τὰς φύσεις. καὶ ἡ Ἀθηναίων πόλις ἕως ἐτρύφα μεγίστη τε ἦν καὶ μεγαλοψυχοτάτους ἔτρεφεν ἄνδρας. ἁλουργῆ μὲν γὰρ ἠμπίσχοντο ἱμάτια, ποικίλους δ' ὑπέδυνον χιτῶνας . . . ."

[1]) l. l. pag. 12.

[2]) pag. 17 seq. Scribit ibidem (pag. 18): „Eben so wenig wird sich wahrscheinlich jemals feststellen lassen, worauf es bei dem Vergleich der heutigen Reichthümer mit den damaligen hauptsächlich ankommt: ob die grössten Einkommen in der Kaiserzeit eine mittlere Jahresrente höher überragten als in der Gegenwart."

[3]) Friedl. l. l. pag. 158 seqq., ubi litteras Rodberti tradit antiquas cum huius aetatis divitiis comparantis.

[4]) Ut cum legimus apud Galenum (Vol. XIII pag. 636 Kühn) eum qui 20 000 000 HS. possideret Augusti temporibus pauperem esse existimatum. Cf. Marq. StV. II^2 pag. 56 cum adn. 4; cf. etiam adn. 5.

[5]) v. Ihering, Geist d. röm. Rechts, II, I^4, pag. 248 seq.: „Das grosse Vermögen (Grundbesitz wie Kapital) hatte über das kleine ein unverhältnissmässiges Uebergewicht. Der Mittelstand, der bei einer gesunden Gestaltung der Verhältnisse das

HS. |ꝏꝏ| possedi(sse)" narratur, [1]) idemque aedificia vel incensa vel his vicina a possessoribus, quos metus et incertus rerum eventus movebant, vili pretio redemisse eaque ratione magnam urbis Romae partem suam fecisse. Dicere autem solebat „neminem esse divitem, nisi qui exercitum alere posset suis fructibus." [2]) At Caesaribus regnantibus etiam maiores pecuniae commemorantur. Divitias Narcissi, „indulsit Caesar cui Claudius omnia", Iuvenalis [3]) cum Croesi fortuna Persicisque regnis pares ponit: habebat plus 400 000 000 HS. [4]) Qui Narcissus libertinus erat. Iam civilia bella multos cives in ipso aetatis flore absumpserant novisque partibus adversa fuerant. Qui remanserant cum maiorem partem a iustis matrimoniis abhorrerent — et hoc lubricum erat! — civium numerus etiam magis minuebatur. Roma quidem frequentia populi abundabat. At non erant antiquo genere cives; magnam partem erant libertini, servi, Graeculi, Iudaei, turba denique colluvione omnium gentium mixta. [5]) Qui peregrini, libertini praesertim, non raro ad ingentes opes, ad honores et dignitates procedebant. Ipsi Romani contra, ignavia fastidiove laboris fugientes, se terrarum dominos putabant ideoque res in toto orbe nascentes sibi facile obvenire postulabant. Quo factum est ut id temporis Romae constipata esset plebs illa numerosa, publico vel privatorum

---

Gleichgewicht der Gesellschaft herzustellen hat, konnte in Rom nicht gedeihen. Auf der einen Seite häufte sich immer massenhafter der Reichthum an, auf der andern die Armuth und das Proletariat; was dort einem Einzelnen zufloss, hätte bei richtiger Vertheilung genügt, um Tausenden eine ehrenhafte Existenz zu gewähren."

[1]) Plin. N. H. XXXIII, 10, 134.

[2]) Cic. Parad. VI, 45.

[3]) Iuv. XIV, 328 seqq.

[4]) Dio Cass. LX, 34, 4. Idem erat census Cn. Lentuli auguris (Senec. De Benef. II, 27, 1). Plura de hac re non dicam; qui plura scire velit, legat Marq. StV. II² pag. 55 seqq.; Friedl. Sittengesch. Roms I⁶ pag. 96.

[5]) Cf Friedl. l. l. pag. 22 seqq.

impendio vivens, quae ne omnia misceret magistratus perpetuo metuebant, nec non ipsis Caesaribus quodammodo erat potentior. At in Italia passim tantae solitudines erant, ut de statu civitatis solliciti essent imperatores. [1]) Accedebat quod, cum imperii fines promovere Romani desinerent, ipsi servi multo minus frequentes venales producebantur. Quod licet aliqua ex parte rei publicae non inutile esset, tamen habebat hoc malum, quod qui agros colerent deficere coeperunt. [2]) Veterani autem, qui mittebantur, „non tamen infrequentiae locorum subvenere . . . . neque coniugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti orbas sine posteris domos relinquebant." [3]) Rebus ita se habentibus facile intellegimus imperatores in illam praecipue curam incubuisse, ut et pubes ingenua proveniret et cadenti agri culturae subveniretur. Inde novae agrorum procurandorum rationes. Latifundia conductoribus colenda tradebantur, vel in parvas partes divisa in perpetuum locabantur colonis. [4])

Sed ad urbem Romam redeundum est, et postquam pauca monuimus de ingentibus divitiis nonnullorum, quos fortuna praeter alios complexa erat, nunc iam in infimae plebeculae vitas inspicere conemur. Dolendum est quod apud scriptores non nisi brevia quaedam vestigia inveniuntur, unde

---

[1]) Cf. locum ex Livio (VI, 12, 5) quem supra (pag. 49) laudavi.

[2]) Cf. Max Weber, Röm. Agrargesch., pag. 242; E. Meyer, Wirtschaftl. Entwickel. d. Altert., pag. 55 seqq.

[3]) Tac. Ann. XIV, 27. Cf. etiam Lib. II Caput de Agrorum assignationibus et de Coloniis.

[4]) Cf. Voigt in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2^2, pag. 434 seq. Vocabulum q. e. *colonus* diversos intellectus habet. Qui Caesarum temporibus ita appellabantur, agricolae erant ipsi liberi, licebatque iis habere rem familiarem, glaebae tamen cum progenie adhaerebant. Cf. Max Weber l. l. pag. 250: „Thatsächlich sind die Colonen erblich auf dem Gute sitzende, zwischen kleinen Bauern und Tagelöhnern ungefähr die Mitte haltende, abhängige Landwirte." Mommsen, Decret des Commodus, in Hermes XV, pag. 410: „(Des späteren Colonen,) der bei persönlicher Freiheit an die Scholle gebunden ist

illius morum vitaeque veram speciem capere difficile est.

Quod ad victum, nescimus quanti singula cibaria venirent plurimo minimoque. [1]) Exstat quidem de pretiis rerum venalium edictum Diocletiani et collegarum ann. p. Chr. CCCI. At in illo non nisi maxima pretia [2]) edita sunt, quae „in singularum rerum venditionibus excedere nemini licitum" [3]) erat. [4])

Frumento Romanos potissimum vixisse notum est, prius in pultis formam redacto, [5]) post panes ex eo efficiebant. Eius pretia non raro apud scriptores commemorantur, ex quibus viri docti [6]) mediam annonam efficere conati sunt.

---

und diese Bindung auf seine Kinder vererbt." De colonatus origine et natura multum disputaverunt viri docti. Cf. inter alios Savigny, Ueber den röm. Colonat in Verm. Schr. II (1850), pag. 1—66; Zumpt, Ueber die Entstehung u. histor. Entwickelung d. Colonats, im Rhein. Museum N. F. 1845 III pag. 1—69; Kuhn, Verf. d. röm. Reichs, I pag. 257 seqq.; Heisterbergk, Die Enstehung des Colonats; Jung, Zur Würdigung d. agrar. Verhältnisse in d. röm. Kaiserzeit; Fustel de Coulanges, Recherches sur quelques problèmes d'histoire; Karlowa, Röm. Rechtsgesch., I pag. 923 seqq.; Max Weber, Röm. Agrargesch. Quibus addas quae nuper emissa sunt, A. Schulten, Der röm. Kolonat; R. His, Die Domänen d. röm. Kaiserzeit.

[1]) Cf. Pöhlmann Übervölk. pag. 69.

[2]) Ed. Diocl. (C. I. L. III pag. 1926—1953; etiam seorsum editum et commentario instructum a Blümnero) II, 6 seqq: „non praetia venalium rerum . . . . . . sed modum statuendum esse censuimus; ut, cum vis aliqua caritatis emergeret — quod dii omen averterent! — avaritia . . . . . statuti nostri finibus et moderaturae legis terminis stringeretur. Placet igitur *ea* pretia, quae sub*di*ti brev*is* scriptura designat, ita totius orbis nostri *o*bs*er*vantia contineri, ut omnes intellegant egrediendi ea*d*em licentiam sibi esse praecisam."

[3]) Ed. Diocl. III. IV, 1. 2.

[4]) Ceterum ipsius frumenti pretium desideramus. Idem dici debet de hordeo, quod tamen minus refert, quia infimum putabatur ideoque parum in honore erat. Cf. Marq. Privatl.[2] pag. 414 et locum ex Galeno ibi allatum.

[5]) Varro L. L. V, 105: „De victu antiquissima puls." Plin. N. H. XVIII, 8, 83: „Pulte autem, non pane, vixisse longo tempore Romanos manifestum, quoniam et pulmentaria hodieque dicuntur." Cf. Marq. Privatl.[2] pag. 415; StV. II[2] pag. 110; et ibi plures locos.

[6]) Illorum enumeratio apud Marq. StV. l. l., quibus nunc addas Blümner ad Ed. Diocl. pag. 61 seqq.

Iure suo tamen monet Blümner [1]) illorum locorum plerosque inutiles esse, quia aut aliquid praecipui habeant aut ad urbem Romam non pertineant. Unum testimonium commemorare libet de Polybii aetate, quia suo genere singulare esse videtur. Narrat is de Gallia Cisalpina: „Περί γε μὴν τῆς ἀρετῆς, οὐδ' εἰπεῖν ῥᾴδιον. Σίτου τε γὰρ τοσαύτην ἀφθονίαν ὑπάρχειν συμβαίνει κατὰ τοὺς τόπους, ὥστ' ἐν τοῖς καθ' ἡμᾶς καιροῖς πολλάκις τεττάρων ὀβολῶν εἶναι τῶν πυρῶν τὸν Σικελικὸν μέδιμνον, τῶν δὲ κριθῶν δυοῖν, τοῦ δ' οἴνου τὸν μετρητὴν ἰσόκριθον." [2]) Quare caupones fere praebituros se hospitibus necessaria omnia, ita ut desit nihil, recipiunt semisse: „Ὡς μὲν οὖν ἐπὶ τὸ πολὺ παρίενται τοὺς καταλύτας οἱ πανδοχεῖς, ὡς ἱκανὰ πάντ' ἔχειν τὰ πρὸς τὴν χρείαν, ἡμιασσαρίου· τοῦτο δ' ἔστι τέταρτον μέρος ὀβολοῦ· σπανίως δὲ τοῦθ' ὑπερβαίνουσι." [3]) Sed ut talia omittamus, septimo et octavo a. u. c. saeculo frumenti modium Romae vulgo uno denario venalem fuisse viri docti [4]) colligunt, quod pretium et postea

---

[1]) l. l.

[2]) Polyb. II, 15, 1 (Ed. Didot).

[3]) Ibid. § 6. Semissem non prorsus idem valere atque oboli quartam partem monet Hultsch (Metrol.² pag. 253); in parvula tamen summa discrimen posse neglegi.

Ceterum etiam aliud testimonium exstat, idque ex Caesarum temporibus, in titulo Aeserniae in Samnio sitae invento, ubi „puella tunica chiridota amicta stat ad virum conversa, extensis dextrae digitis computantis in modum; vir indutus caracalla ...... stat item numerans dextrae digitis extensis; (iuxta) mulus ornatus sella ..... et capistro, quod vir tenet sinistra". [Momms. ad C. I. L. IX, 2689 (= Henzen 7306)] In illo titulo autem inter alia plura hoc scriptum videmus: HABES· VINI ƆI· PANE | A· I· PVLMENTAR·A· II· Quod Mommsen l.l. ita legit atque explicat: „Venit mulier: 'habes vini sextarium unum; panem, assem unum; pulmentarium, asses duos.'" Vinum sine pretio datum fuisse viri docti existimant. Tunc temporis assis nummi nostratis fere „3 cts." fuisse putandus est. Friedländer (Sittengesch. Roms II⁶ pag. 44), quem secutus est Uhlhorn (Christl. Liebesth.² pag. 97), idem valuisse docet atque „6½ Pf." Pristinam B o r u s s o r u m rationem secutus esse neque in novis editionibus ad huius temporis G e r m a n o r u m rationem revocavisse videtur. Quod olim in Borussia erat „6½ Pf.", facit recentioris nummi paulo plus quam „5 Pf."

[4]) Momms. R. G. I⁸ pag. 841 adn.; Hirschf. in Philol. XXIX (1870), pag. 68; Blümner l.l. pag. 63. Marquardt tamen (StV. II² pag. 53) frumenti modium

permanserit. [1]) Licet autem pecuniarum potestatem apud Romanos a nostra differret, et vix unquam fieri posse videatur, ut in contentionis iudicium vocentur, [2]) tamen illud pretium ut temporibus illis modicum existimandum esse videtur. Ab antiquissimis enim temporibus magistratus Romani omni ope atque opera enitebantur, ut annonam levarent. [3])

Ex communi more verborum in superioribus *frumentum* idem valet ac *triticum.* [4]) Ceteras frumenti species ut minoris momenti praetermitto. [5])

Inter Romanorum alimenta praeterea commemoranda videntur carnis varia genera, ut suilla bubula ovilla (agnina) caprina, tum legumina olera poma, [6]) condimenta. [7])

Ciceronis temporibus III HS. constitisse dicit. Cum autem singulis mensibus quinis modiis frumenti singuli homines eguisse putentur (Marq. l. l et pag. 111; cf. etiam quae ipse dicturus sum in Libri II Capite de Cura annonae et de Frumentationibus), et mercennarius eiusdem Ciceronis temporibus „duodecim aeris" mereret (Cic. Pro Rosc. com. 10, 28), is si Marquardtio fidem habeas quinque diebus tantum meruisse existimandus sit, ut sibi unius mensis frumentum emere posset. Idem Uhlhorn l. l. colligit ex parabola, quam Christus turbis proposuit de operariis in vinea laborantibus (Matth. XX, 1 seqq.). Fortasse recte. Si saltem unius denarii pretium etiam in Palaestina valebat, quod ego ignoro. In quae cum ad Romam non pertineant, non amplius inquiram.

[1]) Blümner l. l.

[2]) Cf. quae supra (pag. 53) scripsi de antiquis divitiis cum nostris comparatis. Praeterea interest utrum in aestimando auri an argenti rationem sequamur; si priorem (quod Marquardt, StV. II² pag. 70, fieri iubet cum agatur de imperatorum temporibus), denarius idem valere dicitur ac Germanorum 87 Pf., sin alteram (quod Blümner, alii, usque faciunt), idem atque 70 Pf. Cf. Hultsch l. l. pag. 711; Marq. l. l. pag. 71.

[3]) Cf. Libri II Caput de Cura annonae et de Frumentationibus.

[4]) Cf. Blümmer l. l. pag. 61.

[5]) De farre Blümner l. l. pag. 64: „Spelt wurde zu Brot, Graupe, Brei u. dgl. verwandt und war eine im Alterthum ungemein verbreitete und beliebte Getreideart. (vgl. Dion. Hal. II 25, 2)."

[6]) Plin. N. H. XIX, 4, 52: „Ex horto plebei macellum." Cf. Marq. Privatl.² pag. 424 seqq.

[7]) Marq. l. l. pag. 425: „Die Gewürzpflanzen . . . . . . lieferten theils dem Arbeiterstande seine schwer verdauliche Nahrung."

Caro licet plebi acceptus cibus esset, [1]) maiore stabat pretio. Legimus enim apud Lampridium de Alexandro Severo: „Cum uilitatem populus Romanus ab eo peteret, interrogavit per curionem, quam speciem caram putarent. illi continuo exclamauerunt, carnem bubulam atque porcinam." [2]) Imperator tamen remedium excogitavit quo pretium minueretur. „Tunc ille non quidem uilitatem proposuit sed iussit, ne quis suminatam occideret, ne quis lactantem, ne quis uaccam, ne quis damalionem, tantumque intra biennium uel prope annum porcinae carnis fuit et bubulae, ut, cum fuisset octominutalis libra, [3]) ad duos unumque utriusque carnis libra redigeretur." [4]) In Edicto Diocletiano caro bubula vilior est quam porcina, fortasse quia in hac plus alimenti esse, [5]) illa contra sanguinem crassum reddere putabatur. [6])

Quod ad hortensia Rodbertus [7]) quidem aliique putant Romae egentium condicionem tam miseram fuisse ut vel olera pomaque iis denegata essent. Quod efficiunt ex duobus locis Plinianis, quorum alter est: „Ob hoc insita et arborum quoque adulteria excogitata sunt, u t n e c p o m a p a u p e r i b u s n a s c e r e n t u r." [8]) Alter: „In his (sc. in

---

[1]) Marq. l. l. pag. 429: „Schliesslich wurde Rindfleisch ebenso wie Ziegen-Lamm-, Hammel- und Schweinefleisch ein unentbehrliches Nahrungsmittel des Volkes." Inter viliora genera agnina fuisse videtur. Hor. Epist. I, 15, 35: „Vilis et agninae."

[2]) Lamprid. Alex. Sev. 22, 7.

[3]) Blümner l. l pag. 73: „8 *minutuli* (d. h. *argentei minutuli* oder Silberdenare, deren Nominalwerth damals 73 Pf. betrug, die aber in Wirklichkeit bei der so ungemeinen Verschlechterung der Silberprägung sehr viel minderwerthig waren), was mit Recht als überaus theuer galt."

[4]) Lamprid. l. l. § 8.

[5]) Cf. Blümner l. l. et locos ibi laudatos.

[6]) Ibid.

[7]) Zur Frage des Sachwerths des Geldes im Alterthum, in Jahrbb. f. Nationalökon. u. Statist. XIV (1870), pag. 351 seq.

[8]) Plin. N. H. XVII, 1, 8.

herbis) quoque aliqua sibi nasci tribus negant caule in tantum saginato ut pauperis mensa non capiat?" [1]) Pöhlmann [2]) tamen recte monere in illis verbis minime inesse quod Rodbertus inde cogere conatur, cuique, opinor, patebit qui alterius saltem loci contextum legerit. Laudatis verbis haec antecedunt: „Ferendum sane fuerit exquisita nasci poma, alia sapore, alia magnitudine, alia monstro, pauperibus interdicta, inveterari vina saccisque castrari, nec cuiquam adeo longam esse vitam ut non ante se genita potet, e frugibus quoque quendam halitum sibi excogitasse luxuriam, ac medulla tantum earum superque pistrinarum operibus et caelaturis vivere, alio pane procerum, alio volgi, tot generibus usque ad infimam plebem descendente annona. etiamne in herbis discrimen inventum est, opesque differentiam fecere in cibo etiam uno asse venali?" Ex his verbis omnique contextu discimus Romanorum Croesos alimentis vulgaribus spretis sollertia quadam luxuriae generosissimum ac rarissimum quidque captavisse. Talia pauperibus fuisse denegata per se intellegitur. At tantum aberat ut etiam vulgaria genera parare non possent, ut ipse Plinius loquatur de „cibo uno asse venali." Ceterum equidem Plinium minus de solis egentibus agere credo, quam de universa plebe cui opponuntur locupletium lautitiae. [3])

Nec magis mihi persuadeo hac quidem in re pauperiorum sortem Romae valde fuisse iniquam, legenti ea quae Friedländer scribit de inferiorum ordinum cibariis. [4]) Fabae,

---

[1]) Ibid. XIX, 4, 54.

[2]) Übervölk. pag. 70.

[3]) De hac re copiosius acturus sum, ubi dicam de usu vocabuli q. e. *tribus*. Cf. Libri II Caput de Cura annonae et de Frumentationibus.

[4]) Friedländeri verba haec sunt (Sittengesch. Roms I[6] pag. 295): „Ausser Brot war die Hauptkost der untern Klassen Gemüse, namentlich Bohnen und Rüben (beide „Mittagessen der Handwerker"), Linsen, Zwiebeln, Knoblauch, Erbsen (an denen man

lentes, cicer, lupini, similia,[1]) nonne egregia magnique cibi nutrimenta sunt? Quid, quod vel uno asse cicere lupinisque famem explebant? [2])

Graviora sunt ea quae legimus apud Iuvenalem: „(Romae) magno servorum ventres, et frugi cenula magno." [3]) — et apud Martialem: [4]) „Hic pretiosa fames conturbatorque macellus." Hic tamen tenendum cum saturarum et epigrammatum scriptores res verbis exasperare solere tum utroque loco manifesto rusticanam vitam cum urbana conferri illamque magno studio commendari, hanc contra in deterius trahi. Iuvenalis enim Umbricium quendam, virum optimum, ex urbe Roma Cumas migrantem et sui discessus causam exponentem inducit, quod tantum peregrinis, sceleratis, adulatoribus pessimis, servientium animis, non autem viris bonis in urbe locus sit. Et apud Martialem laudatum versum subsequitur hic: „Mensa ibi (sc. in poetae patria Hispania) divitiis ruris operta sui." Non simpliciter, sed

---

sich für einen As satt essen konnte) und wohlfeile Fische; ein mit Lauch gesottener Schafskopf oder ein geräucherter Schweinskopf war ein Festessen." Haec verba Friedländerum revera in malam partem intellegi velle apparet, quippe quae legantur in loco, ubi pauperum misera condicio depingatur.

[1]) Cf. Mart. X, 48, 16: „Faba fabrorum". Iuv. III, 292 seqq.: „Cuius aceto, cuius conche tumes? quis tecum sectile porrum sutor et elixi vervecis labra comedit?" [Vet. Scholiast.: „Cuius conche Cuius faba inflatus es." Weidner ad h. l.: „*conchis* .... ist eine Art Linsenbrei."] Hor. Sat. II, 3, 182 seq.: „In cicere atque faba bona tu perdasque lupinis, latus ut in circo spatiere et aeneus ut stes." Mart. I, 41, 5 seq.: „Quod otiosae vendit qui madidum cicer coronae." Id. I, 103, 10: „Asse cicer tepidum constat." Et alios locos plures.

[2]) Cf. Friedl. loco modo citato; Mart. I, 103, 10 (modo laudatum); Petron. Sat. 14: „Praeter unum dipondium, quo cicer lupinosque destinaveramus mercari, nihil ad manum erat."

[3]) Iuv. III, 166 seq.

[4]) Mart. X, 96, 9. Utique Friedländer rem nimis urgere mihi videtur, ubi hoc loco tamquam adminiculo usus dicit (o. l. pag. 26; cf. etiam pag. 295): „Aber auch die Preise aller andern zum Leben nothwendigen Dinge waren sehr hoch, namentlich die . . . der Nahrungsmittel für die Armen kaum erschwinglich."

comparate si quaeritur, Romae cibos pluris stetisse quam in cetera Italia vel in Hispania facile credi potest.

Saepe tamen scriptores mentionem faciunt de frugum inopia, tempestatibus, similibus rebus, quae annonae caritatem inferre [1]) plebisque turbas excitare solebant. At vero tunc certe cum Romanum imperium florebat Caesares praecavisse videntur ne Roma urbs nimium damni inde contraheret. [2]) Nonnulla exempla afferam. De Tiberio Tacitus: „Saevitiam annonae incusante plebe statuit frumento pretium, quod emptor penderet, binosque nummos se additu-

---

[1]) Tac. Ann. III, 54: „At hercule nemo refert, quod Italia externae opis indiget, quod vita populi Romani per incerta maris et tempestatum cotidie volvitur." Ibid. XII, 43: „Frugum quoque egestas et orta ex eo fames in prodigium accipiebatur." Ibid.: „Quindecim dierum alimenta urbi, non amplius superfuisse constitit, magnaque deum benignitate et modestia hiemis rebus extremis subventum. at hercule olim Italia legionibus longinquas in provincias commeatus portabat, nec nunc infecunditate laboratur, sed Africam potius et Aegyptum exercemus navibusque et casibus vita populi Romani permissa est." Quin etiam interdum famem fuisse scriptores tradunt. Cf. praeter Taciti locum modo laudatum Suet. Nero 45; Spartian. Hadrian. 21; Capitol. Anton. Pius 9; Id. M. Ant. Philosoph. 8 etc. Haec sufficiant. Plura vide apud Friedl. l. l. pag. 34 seqq. Copiose Rodbertus (Zur Frage des Sachwerths des Geldes im Alterthum, in Jahrbb. f. Nationalökon. u. Statist. XIV (1870), pag. 357 seqq.) efficere conatus est antiquitus annonam multo magis variatam esse quam nostris temporibus. Aliter tamen Mommsen R. G. I[8] pag. 841 adn.: „Uebrigens dürfte es sehr zweifelhaft sein, ob in dem Rom dieser und der späteren Zeit die Kornpreise wirklich stärker geschwankt haben, als dies heutzutage der Fall ist. Vergleicht man Preise wie die oben angeführten von 4 und 7 Gr. den preussischen Scheffel mit denen der ärgsten Kriegstheuerung und Hungersnoth, wo zum Beispiel im hannibalischen Kriege der preuss. Scheffel auf 99 (1 Medimnos = 15 Drachmen: Polyb. 9, 44), im Bürgerkriege auf 198 (1 Modius = 5 Denare: Cic. *Verr.* 3, 92, 214), in der grossen Theuerung unter Augustus gar auf 218 Groschen (5 Modii = $27\frac{1}{2}$ Denare: Euseb. *chron. p. Chr.* 7 *Scal.*) stieg, so ist der Abstand freilich ungeheuer; allein solche Extreme sind wenig belehrend und könnten nach beiden Seiten hin unter gleichen Bedingungen auch heute noch sich wiederholen."

[2]) Strabo V, 7, de urbe Roma: „ἐφάνη συνδρομή τις ἀγαθῶν ἅπασαν εὐφυΐαν ὑπερβάλλουσα, δι' ἣν ἐπὶ τοσοῦτον αὐξηθεῖσα ἡ πόλις ἀντέχει τοῦτο μὲν τροφῇ . . . . ." Ex nonnullorum quidem opinione, cui cur accedamus non video, res multo peiores erant quam ex auctoribus intellegi potest. Ita

rum negotiatoribus in singulos modios." [1]) De Claudio Suetonius: „Artiore autem annona ob assiduas sterilitates, detentus quondam medio foro a turba conviciisque et simul fragminibus panis ita infestatus, ut aegre nec nisi postico evadere in Palatium valuerit, nihil non excogitavit ad invehendos etiam tempore hiberno commeatus. Nam et negotiatoribus certa lucra proposuit, suscepto in se damno, si cui quid per tempestates accidisset, et naves mercaturae causa fabricantibus magna commoda constituit pro conditione cuiusque." [2]) Potentissimum argumentum est id quod Tacitus narrat de Neronis regno: „Quin et dissimulandis rerum externarum curis Nero frumentum plebis vetustate corruptum in Tiberim iecit, q u o s e c u r i t a t e m a n n o n a e s u s t e n t a r e t. c u i u s p r e t i o n i h i l a d d i t u m e s t, quamvis ducentas ferme naves portu in ipso violentia tempestatis et centum alias Tiberi subvectas fortuitus ignis absumpsisset." [3])

At quantumvis parvo pretio cibi constent, si desit quo comparentur, quid iuvat? Quaeritur igitur fuerintne Romae

---

Nasse, Meletemata de publ. cura annon. ap. Roman., pag. 40: „Quod autem in horum temporum historia fere nunquam de fame et inopia urbana audimus, nescio an fontium quoque angustiis tribuendum sit." Cf. etiam Pöhlm. Überv. pag. 71. Quicquid id est, postea res minus prosperas fuisse ex Ammiano et Symmacho intellegitur. Cf. Krakauer, Das Verpflegungswesen der Stadt Rom in der späteren Kaiserzeit, pag. 53. Equidem hoc unum exemplum ponam. Ammian. XXVI, 3, 6: „Sub hoc tamen Aproniano (is erat praefectus urbi) ita iugiter copia necessariorum exuberauit, ut nulla saltim leuia murmura super inopia uictui congruentium orerentur, quod adsidue Romae contingit."

[1]) Tac. Ann. II, 87.

[2]) Suet. Claud. 18.

[3]) Tac. Ann. XV, 18. Equidem Friedländeri rationem non perspicio qui hunc locum sine dubio respiciens scribat. (l. l.) pag. 35 seq.): „Aber trotz alledem kehrten in den beiden ersten Jahrhunderten Theuerungen unter guten wie unter schlechten Regierungen immer von neuem wieder, ... theils weil die Vorräthe in den römischen Speichern verdarben, oder durch Feuer und Wasser zu Grunde gingen." Vetustate corruptum frumentum mihi potius affluentiae quam penuriae documentum est!

occasiones in qualicumque re quaestum faciendi. Quod revera ita fuisse Friedländer [1]) affirmat, Pöhlmann [2]) addubitat. Quodsi cogites quantam collegiorum frequentiam ipsa Caesarum tempora attulerint, [3]) simulque pedetentim servorum numerum esse minutum, [4]) ego asserere non dubitaverim occasionem victum quaeritandi et adfuisse et a multis fuisse arreptam. Non tamen est obliviscendum cives plerumque fabriles operas contempsisse et publicis sumptibus vixisse; quare magna pars operariorum e libertinis constitisse existimanda est. [5])

Itaque si rem omnem spectes nec non ante oculos habeas quantum commodi Romanae plebi redundaret non modo ex annonae cura, verum etiam ex frumenti gratuitis distributionibus, quibus addebantur vini salis olei, postea etiam carnis congiaria, porro ex epulis variisque sollemnibus — de quibus omnibus in altero libro dicturus sum —, iam constare mihi videtur utique in cibariis in urbe Roma pauperiorum condicionem non nimis fuisse iniquam. Attamen tenendum eos qui civitate non fruerentur multis nominibus fuisse deteriore statu. [6])

Quod ad d o m i c i l i a tenuiores minus bene se habuisse putandi sunt. Quod breviter demonstrare conabor. Praeclare et copiose hanc quaestionem tractavit Pöhlmann, [7])

---

[1]) l. l. pag. 298: „Gelegenheit zum Erwerb war auch dem Aermsten, wenn er keine Arbeit scheute, in Rom auf allen Seiten geboten."

[2]) l. l. pag. 36 adn. 2.

[3]) Cf. Waltzing, Étude hist. sur les corp. prof. chez les Rom., I pag. 32, 153 seq.

[4]) Cf. supra pag. 55.

[5]) Cf. Mommsen R. G. III[8] pag. 511: „Und eben die Freigelassenen zogen sich vor allem nach der Hauptstadt, wo es Verdienst mancherlei Art gab und der Kleinhandel wie das kleine Handwerk fast ganz in ihren Händen waren."

[6]) Cf. Prooemium pag. 8.

[7]) Übervölk. pag. 73—113. Etiam conferendus est Friedländer l. l. pag. 3 seqq., ubi agit de urbe Roma.

ad quem eos delego qui hac de re plura scire velint.

Iam Catonis maioris temporibus habitationum mercedes magnae erant, ut apparet ex iis quae Diodorus narrat de Ptolemaeo quodam, Aegypti rege a fratre e regno eiecto: „πεπυσμένος δε κατὰ τὴν πορείαν τὸ κατάλυμα τὸ τοῦ Δημητρίου τοῦ τοπογράφου πρὸς τοῦτον ζητήσας κατέλυσε πεφιλοξενημένον ὑπ' αὐτοῦ πλεονάκις ἐν τῇ κατὰ τὴν 'Αλεξάνδρειαν ἐπιδημίᾳ· ᾤκει δὲ ἐν ὑπερῴῳ στένῳ καὶ παντελῶς εὐτελεῖ διὰ τὸ μέγεθος τῶν ἐν τῇ 'Ρώμῃ μισθῶν." [1]) Aliquantulum in culpa erat avaritia eorum qui nullum genus quaestus inexpertum relinquentes lucri causa aedes coemerent. Ut Plutarchus narrat de Crasso: „Πρὸς δὲ τούτοις ὁρῶν τὰς συγγενεῖς καὶ συνοίκους τῆς 'Ρώμης κῆρας ἐμπρησμοὺς καὶ συνιζήσεις διὰ βάρος καὶ πλῆθος οἰκοδομημάτων, ἐωνεῖτο δούλους ἀρχιτέκτονας καὶ οἰκοδόμους. Εἶτ' ἔχων τούτους ὑπὲρ πεντακοσίους ὄντας ἐξηγόραζε τὰ καιόμενα καὶ γειτνιῶντα τοῖς καιομένοις διὰ φόβον καὶ ἀδηλότητα τῶν δεσποτῶν ἀπ' ὀλίγης τιμῆς προϊεμένων, ὥστε τῆς 'Ρώμης τὸ πλεῖστον μέρος ὑπ' αὐτῷ γένεσθαι. Τοσούτους δὲ κεκτημένος τεχνίτας οὐδὲν ᾠκοδόμησεν αὐτὸς ἢ τὴν ἰδίαν οἰκίαν, ἀλλ' ἔλεγε τοὺς φιλοικοδόμους αὐτοὺς ὑφ' ἑαυτῶν καταλύεσθαι χωρὶς ἀνταγωνιστῶν. [2]) De suo tempore Iuvenalis: „(Romae) magno hospitium miserabile". [3]) — et alibi: „Si potes avelli circensibus, optima Sorae Aut Fabrateriae domus aut Frusinone paratur, Quanti nunc tenebras unum conducis in annum." [4]) Quibus addas quod legitur apud Gellium: „Magni . reditus urbanorum praediorum." [5]) Et in Digestis: „Qui insulam triginta conduxerat, singula coenacula ita locavit, ut qua-

[1]) Diod. Sicul. Excerpt. Vatic. Lib. XXXI, 8 (Dindorf). Postrema verba ᾤκει δὲ e. q. s. Pöhlmann (pag. 74) ad Ptolemaeum refert; si verum quaeras, de Demetrio dicta sunt, ad quem ille deversus erat.

[2]) Plut. Crass. II, 5, 6 (Ed. Didot). De modo quo postrema verba interpretanda sint cf. Pöhlmann l.l. pag. 89.

[3]) Iuv. III, 166.

[4]) Ibid. vs. 223 seqq. In talibus locis tamen tenendum — quod et ipse semel atque iterum monui et Pöhlmann monet — Iuvenalem res exasperare solere.

[5]) Gell. XV, I, 3.

draginta ex omnibus colligerentur." [1]) Talia tamen parum sunt definita. Ex numeris vero qui traduntur, si non multum, quia de domuum ratione ac magnitudine nihil additum est, at saltem aliquid effici potest. Legimus autem apud Plutarchum: „φέροντες ἐνοίκιον αὐτὸς μὲν (i. e. ἀπελευθερικὸς ἄνθρωπος) τῶν ἄνω δισχιλίους νούμμους, ἐκεῖνος δὲ (i. e. Sulla) τῶν ὑποκάτω τρισχιλίους." [2]) Cicero in oratione quam pro Coelio habuit, narrat hunc P. Clodii in insula habitavisse, in aediculis, [3]) decem, ut opinatur, millibus. [4]) Velleius denique scribit: „Prosequamur nota severitatem censorum Cassii Longini Caepionisque, qui abhinc annos centum quinquaginta tris Lepidum Aemilium augurem, quod sex milibus HS. aedes conduxisset, adesse iusserunt. at nunc si quis tanti habitet, vix ut senator agnoscitur." [5]) Causa quam addit Velleius: „adeo natura a rectis in prava, a pravis in vitia, a vitiis in praecipitia pervenitur" — licet sine dubio aliqua ex parte vera sit, tamen ex nimia superfluentis populi frequentia facile intellegitur aliquantum aedium pretio accessisse.

Quod etiam inde explicari potest quod antiquitus urbes non tantum amplificari poterant quantum nostro tempore. [6]) Ut alia omittam, quantum commodius celeriusque hodie

---

[1]) Dig. XIX, 2, 30. Cf. etiam Cic. ad Att. XII, 32, 2; XVI, 1, 5.

[2]) Plut. Sulla 1.

[3]) Attendas diminutivum. Quod si Pöhlmann fecisset, non reprehendisset Marquardt, qui ex hoc quoque loco patere dicit Romae habitationum mercedes fuisse magnas. (StV. II² pag. 124 adn. 6)

[4]) Cic Pro Cael. 7, 17.

[5]) Vell. Paterc. II, 10, 1.

[6]) Cf. Pöhlm. l. l. pag. 78; Friedl. l. l. pag. 25. Orientis urbes, velut Babylonem, Ninum, secus se habuisse Pöhlmann docet (pag. 3 seq.), Curtii testimonium proferens dicentis (V, 1, 27 Damsté): „Ac ne totam quidem urbem tectis occupaverunt — per LXXX stadia habitabatur — nec omnia continua sunt, credo, quia tutius visum est pluribus locis spargi. Cetera serunt coluntque, ut, si externa vis ingruat, obsessis alimenta ex ipsius urbis solo subministrentur." Reminiscere etiam Ionae IV, 11.

quam tunc ex remotissimis magnae urbis partibus ad urbis medium accedi possit in promptu est. [1]) Quin Romae interdiu plaustris vehi vetitum erat. [2]) Iam intellegitur in omnes partes Romanis magnam fuisse parsimoniam spatii. Idcirco altae domus, angustae viae, tenues parietes. Aedificiis autem variae accessiones adiungebantur quae vias etiam magis coartabant. Ipsius structurae genus saepe speciosius quam firmius erat. Nec mirum „adsidue domus Romae ar(sisse)" [3]) et alias easdemque non paucas in ruinam fuisse pronas. [4]) Nero quidem post foedum incendium, quod eo imperatore magnam Romae partem delevit, urbem magnificentius restituendam curavit [5]) itaque ignis periculum aliquantum minuebat; [6]) attamen cum angustior fieret area

[1]) Quod idem Pöhlmann monet l. l. pag. 78. Ceterum in ipsa Roma itinerum spatia satis longinqua erant; cogita de clientibus qui vixdum certa luce in viam se dare solebant, ut patronos salutarent. Cf. Mart. I, 108; V, 22. Vide etiam Lib. II Caput de Clientela.

[2]) Cf. Friedl. l. l. et pag. 71 seqq.; Marq. Privatl². pag. 728 seqq.

[3]) Gell. XV, I, 3. Recte Ludwig Felix (Der Einfluss der Sitten und Gebräuche auf die Entwick. d. Eigenth, pag. 54) crebra incendia paupertatis causis adnumerat, quippe quibus pauperes pariter ac divites amissa tecta restituere cogerentur.

[4]) Magnam frequentiam locorum haec omnia probantium vide apud Pöhlmann et apud Friedländer. Cf. etiam John E. B. Mayor ad Iuv. III, 6 seqq.: „Nam quid tam miserum, tam solum vidimus, ut non Deterius credas horrere incendia, lapsus Tectorum adsiduos ac mille pericula saevae Urbis?" — et ad ibid. vs. 193 seqq.: „Nos urbem colimus tenui tibicine fultam Magna parte sui; nam sic labentibus obstat Vilicus, et veteris rimae cum texit hiatum, Securos pendente iubet dormire ruina."

[5]) Tac. Ann. XV, 43: „Ceterum urbis quae domus perierant non, ut post Gallica incendia, nulla distinctione nec passim erectae, sed dimensis vicorum ordinibus et latis viarum spatiis cohibitaque aedificiorum altitudine ac patefactis areis additisque porticibus, quae frontem insularum protegerent." Neronis vestigiis ingressus est Vespasianus testante Suetonio (Vespas. 8). Jordan (Topograph. d. Stadt Rom, I, 1, pag. 486 seqq.) conatur demonstrare Neronis incendium multo minus late vagatum esse quam e fontibus intellegatur.

[6]) Tu tamen Neronis consiliis ne nimis tribuas, reputa quam crebra et nonnunquam vastissima incendia et postea urbem vexaverint, de quibus legendi sunt viri docti modo laudati. Cf. etiam Gell. XV, I, 3: „Si quid autem posset remedii fore, ut

in qua domus aedificari liceret, [1]) fieri vix poterat quin mercedes habitationum annuae augerentur. Idem dicendum de Domitiani mandato contra institorum gentem. [2]) Item, si — quod non raro fiebat [3]) — Caesares nimiam domuum altitudinem impugnabant, mercedes totiens crevisse veri simile est.

Rebus ita se habentibus quam plurimos tenuiores in arta tecta fuisse confertos haud cuiquam in dubio erit. Quin Plutarchus narrat de Aemilii Paulli, clarissimi viri, qui anno a. u. c. 586 (a. Chr. n. 168) Perseum vicit, filia et genero: „Τῶν δὲ θυγατέρων τῶν Αἰμιλίου τὴν μὲν ὁ Κάτωνος υἱὸς ἔγημε, τὴν δ' Αἴλιος Τουβέρων, ἀνὴρ ἄριστος καὶ μεγαλοπρεπέστατα Ῥωμαίων πενίᾳ χρησάμενος. Ἦσαν γὰρ ἑκκαίδεκα συγγενεῖς, Αἴλιοι πάντες· οἰκίδιον δὲ πάνυ μικρὸν ἦν αὐτοῖς καὶ χωρίδιον ἓν ἤρκει πᾶσι μίαν ἑστίαν νέμουσι μετὰ παίδων πολλῶν καὶ γυναικῶν. Ἐν αἷς καὶ ἡ Αἰμιλίου τοῦδε θυγάτηρ ἦν δὶς ὑπατεύσαντος καὶ δὶς θριαμβεύσαντος, οὐκ αἰσχυνομένη τὴν πενίαν τοῦ ἀνδρὸς, ἀλλὰ θαυμάζουσα τὴν ἀρετὴν,

---

ne tam adsidue domus Romae arderent, venum hercle dedissem res rusticas et urbicas emissem."

[1]) Cf. Mart. I, 2, 8 de Neronis molibus: „Abstulerat miseris tecta superbus ager."

[2]) Cf. Mart. VII, 61:

„Abstulerat totam temerarius institor urbem,
Inque suo nullum limine limen erat.
Iussisti tenues, Germanice, crescere vicos,
Et modo quae fuerat semita, facta via est.
Nulla catenatis pila est praecincta lagonis,
Nec praetor medio cogitur ire luto,
Stringitur in densa nec caeca novacula turba,
Occupat aut totas nigra popina vias
Tonsor, copo, cocus, lanius sua limina servant.
Nunc Roma est, nuper magna taberna fuit."

Poetam Domitiani adulandi studio provectum rem in maius extollere credi potest. Utique ex Herodiani aliisque testimoniis patet ne postea quidem eiusmodi aedificia lignea vias praestruentia Romae fuisse rara. Herod. VII, 12, 5: „εἴ τινες ἦσαν ξύλων ἐξοχαί (πολλαὶ δὲ αὗται κατὰ τὴν πόλιν)." De hac re cf. Pöhlmann l. l. pag. 79.

[3]) Cf. e. g. Taciti locum modo laudatum.

δι' ἣν πένης ἦν." [1]) Plutarchi temporibus nobiles quidem tale quid aspernabantur, [2]) at pauperes talem luxum sibi indulgere non poterant. [3]) Insulae appellabantur magnae illae aedes conducticiae, in quibus multae familiae, eaeque plerumque pauperiores, una habitabant. [4]) Per se intellegitur nec non ex auctoribus comperimus pauperrimum quemque in summis aedium partibus habitavisse. [5]) Ita iam Plautus de Iove Amphitruonis forma induto: „In superiore qui habito cenaculo. [6]) (Varro L. L. V, 162: „Superioris domus universa cenacula dicta".) Horatius: „Quid pauper? ride: mutat cenacula, lectos." [7]) Iuvenalis: „Tabulata tibi iam tertia fumant: Tu nescis; nam si gradibus trepidatur ab imis, Ultimus ardebit, quem tegula sola tuetur A pluvia, molles ubi reddunt ova columbae." [8]) Martialis: „Et scalis habito tribus, sed altis". [9]) Cf. etiam

---

[1]) Plut. Aemil. Paul. V, 5, 6 (Ed. Didot). Idem narrat Valer. Maxim. IV, 4, 8.

[2]) Cf. Plut. l. l. § 7.

[3]) Talis incolarum obstipatio quam adversa sit valetudini quantumque valere soleat ad mores corrumpendos, monet Pöhlmann l. l. pag. 105 seq., 116, 137 seqq.

[4]) Forcellini in Lexico: „Huiusmodi insulae plura saepe coenacula, et cubicula habebant, quae pluribus familiis locabantur, et fere pauperiorum .... Hinc licet. discrimen colligere inter domum, et insulam, ut illa sit, in qua una familia habitat, quod fere ditiores faciunt ....; haec, in qua plures, et pauperiores." Ceterum *insulae* singulis saeculis quid fuerint, non ita facile est ad dicendum. De iis conferas quae digna quae legantur scripsit O. Richter in Hermae Vol. XX, pag. 91 seqq.

[5]) Nam pauperes in tabulatis quoque subterraneis viverent, ex auctoribus non intellegitur. De hac re cf. Pöhlmann l. l. pag. 96 seqq. Qui quo iure tale quid depromat ex Mart. X, 5, 6 seq.: „Illi December longus et madens bruma C l u s u s q u e f o r n i x triste frigus extendat" — ego non perspicio. Martialis generaliter: „fuscae pensio c e l l a e" (III, 30, 3); „pauperis c e l l a m" (III, 48); cf. etiam VII, 20, 21; VIII, 14, 5. Item Seneca: „pauperum c e l l a s" (Ep. Mor. II, ep. 6 (18), 7).

[6]) Plaut. Amph. III, 1, 3.

[7]) Hor. Epist. I, 1, 91.

[8]) Iuv. III, 199 seqq.

[9]) Mart. I, 117, 7. (De hoc loco vide Pöhlmann l. l. pag. 91 seq. contra Friedländer, Sittengesch. Roms, qui tamen in posterioribus huius operis editionibus sen-

quae Suetonius narrat de L. Orbilio Pupillo grammatico, qui „Romam consule Cicerone transiit docuitque maiore fama quam emolumento": „Namque iam persenex *pauperem se et habitare sub tegulis* quodam scripto fatetur." [1]) Nec dubium videtur quin pauperes saepius sua „non rect(i) tecta subire" [2]) possent. Tabernas multis simul habitationum vel potius cubilium loco fuisse suo iure viri docti contendunt. [3]) Complures quoque sub divo vel sub fornicibus pernoctasse putandum est. [4])

Quod ad supellectilem ac vestitum, dormiebant in „grabatis", lectulorum humilium genere; [5]) pro culcitis Circensi tomento [6]) utebantur, quod „fiebat ex palustrium arundinum paniculis concisis et fartis" (Forcell.); reliquam supellectilem aeque vilem fuisse dubitationem non habet. [7])

---

tentiam suam mutavisse videtur.) Cf. etiam Mart. I, 108, 3: „At mea Vipsanas spectant cenacula laurus." VII, 20, 20: „Haec per ducentas cum domum tulit scalas."

1) Suet. De Gramm. 9. Plures locos vide apud Ruperti et Mayor ad Iuv. III, 199—201.

2) Cf. Mart. II, 53, 8.

3) Cf. Friedl. l. l. pag. 66; Pöhlm. l. l. pag. 74 adn. 1; Voigt in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2², pag. 338; etiam laudant Nissen, Pompejan. Studien, pag. 600. Loci quo nituntur hi sunt. Hor. Carm. I, 4, 13 seq.: „Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas Regumque turris.' Tac. Hist. I, 86: „(Inundatione Tiberis) plures in tabernis et cubilibus intercepti." Ulpian. Dig. L, 16, 183: „'Tabernae' appellatio declarat omne utile ad habitandum aedificium." Quo iure tamen huc trahant Horat. De Arte poet. 229 non intellego.

4) Cf. Friedl. l. l.

5) Cf. Cic. De Divin. 63, 129: „Deosne immortales .... concursare omnium mortalium, qui ubique sunt, non modo lectos, verum etiam grabatos." Verg. Moret. 5: „Membra levat vili sensim demissa grabato." Cf. etiam Senec. Ep. Mor. II, ep. 6 (18), 7; Mart. I, 92, 5; VI, 39, 4; XI, 56, 5.

6) Senec. De Vita beata 25, 2: „Nihilo miserius ero, si lassa cervix mea in manipulo foeni adquiescet, si super Circense tomentum per sarturas veteris lintei effluens incubabo." Mart. XIV, 160: „Tomentum concisa palus Circense vocatur. Haec pro Leuconico stramina pauper emit."

7) De valde inopum, mendicorum puta, supellectile plures locos vide infra pag. 73 seqq.

In memoriam revocare non erit necesse quanta olim fuerit togae dignitas; sed qui tunc vivebant homines decoris minus studiosi erant. Quare Augustus „visa quondam pro contione pullatorum turba, indignabundus et clamitans: *En Romanos, rerum dominos, gentemque togatam!* negotium aedilibus dedit, ne quem posthac paterentur in foro circave nisi positis lacernis togatum consistere." [1]) Tenuiores imprimis posita toga in tunicis prodire non sunt veriti. Inde apud Horatium: „Volteium mane Philippus Vilia uendentem tunicato scruta popello Occupat." [2]) Et apud Tacitum: „Vulgus quoque imperitum et tunicatus hic populus." [3]) Cf. etiam Senec. Ep. Mor. II, ep. 6 (18), 5: „Dura atque horrida veste." — ibid. § 7: „Grabatus ille verus sit et s a g u m. . . . ." „*Pullati*" igitur „etiam dicebantur infimae plebis homines, quod sive togati, sive paenulati, sive tantum tunicati essent, ipso suae artis usu, tum angustia rei familiaris impedirentur albas ac nitidas semper vestes habere." (Forcell.) [4])

Tenuiorum hominum vita aliqua ex parte cognoscitur ex poetis Iuvenali et Martiali, e quibus aliquot locos laudare ad egentes pertinentes non alienum videtur.

Inter magnae urbis incommoda quae pauperes imprimis vexarent — nam „magnis opibus dormitur in urbe" [5]) — Iuvenalis commemorat perpetuum strepitum in plateis et foro qui somnum iis adimebat multisque causa erat ut as-

---

[1]) Suet. Aug. 40. Cf. etiam Cap. 44: „Sanxitque ne quis pullatorum media cavea sederet."

[2]) Hor. Epist. I, 7, 64 seqq.

[3]) Tac. Dial. de orat. 7.

[4]) Cf. etiam Calpurn. Ecl. 7, 26 seq.: „Venimus ad sedes, ubi pulla sordida ueste Inter femineas spectabat turba cathedras" Ibid. vs. 80 seqq.: „Sed mihi sordes Pullaque paupertas et adunco fibula morsu Obfuerunt."

[5]) Iuv. III, 235.

sidua insomnia vel vigilia aegroti perirent. [1]) Adnecti possunt „alia ac diversa pericula noctis":

„Quod spatium tectis sublimibus unde cerebrum
Testa ferit, quotiens rimosa et curta fenestris
Vasa cadant, quanto percussum pondere signent
Et laedant silicem. possis ignavus haberi
Et subiti casus inprovidus, ad cenam si
Intestatus eas: adeo tot fata, quot illa
Nocte patent vigiles te praetereunte fenestrae.
Ergo optes votumque feras miserabile tecum,
Ut sint contentae patulas defundere pelves." [2])

Non raro misero famelico, cum per lunam vel ad candelae breve lumen domum peteret, ebrii ac petulantes iuvenes vim afferebant: [3])

---

[1]) Ibid. vs. 232 seqq.:

„Plurimus hic aeger moritur vigilansque, sed ipsum
Languorem peperit cibus inperfectus et haerens
Ardenti stomacho; nam quae meritoria somnum
Admittunt? magnis opibus dormitur in urbe.
Inde caput morbi. raedarum transitus arto
Vicorum inflexu et stantis convicia mandrae
Eripient somnum Druso vitulisque marinis."

Meritoria illa videntur esse cenacula, cubicula, tertia tabulata, a pauperibus conducta. Cf. Ruperti et Mayor ad hunc locum.

Non secus Martialis (XII, 57, 3 seqq.):

„Nec cogitandi, Sparse, nec quiescendi
In urbe locus est pauperi. Negant vitam
Ludi magistri mane, nocte pistores,
Aerariorum marculi die toto e. q. s."

Cf. eundem X, 74, 12: „Quid concupiscam quaeris ergo? dormire." — et XII, 18, 13 seqq.:

„Ingenti fruor improboque somno,
Quem nec tertia saepe rumpit hora,
Et totum mihi nunc repono, quidquid
Ter denos vigilaveram per annos."

Plures locos vide apud Mayor ad Iuv. III, 235.

[2]) Iuv. III, 269 seqq.

[3]) Ibid. vs. 286 seqq.

„Libertas pauperis haec est:
Pulsatus rogat et pugnis concisus adorat,
Ut liceat paucis cum dentibus inde reverti." [1])

Immo ne clausis quidem domibus obseratisque tabernis miseri egentes tuti erant:

„Nec tamen haec tantum metuas. nam qui spoliet te
Non derit, clausis domibus postquam omnis ubique
Fixa catenatae siluit compago tabernae.
Interdum et ferro subitus grassator agit rem e. q. s." [2])

Et si forte infelices suam paupertatem omnem perdiderant incendio,

„Ultimus autem
Aerumnae est cumulus, quod nudum et frusta rogantem
Nemo cibo, nemo hospitio tectoque iuvabit." [3])

His omnibus commotus Iuvenalis satis amare:

„Agmine facto
Debuerant olim tenues migrasse Quirites." [4])

De „tenuibus Quiritibus" generatim agit Iuvenalis. Iam vero Martialis loci quos in mente habebam, cum maxime pertinent ad eos qui ad extremum inopiae venissent vitamque mendicando tolerare coacti essent.

Epigr. XII, 32 egregie depingit miserandam cuiusdam viri sortem, cui pro habitationis mercede retro debita meliorem supellectilis partem locator pignus abstulerat. Res suas tollere et alium locum quaerere iussus, miser ille vir tribus mulieribus comitatus Kalendis Iuliis [5]) fortunarum

---

[1]) Ibid. vs. 299 seqq.
[2]) Ibid. vs. 302 seqq.
[3]) Ibid. vs. 209 seqq.
[4]) Ibid. vs. 162 seq.
[5]) Ut apud nos Kalendis Mais, ita Romae Kalendis Iuliis e conductis aedibus migrabatur.

naufragium (misellas reliquias!) secum trahit. Sed ipsius Martialis versus transcribamus:

„O Iuliarum dedecus Kalendarum,
Vidi, Vacerra, sarcinas tuas, vidi;
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat uxor rufa crinibus septem
Et cum sorore cana mater ingenti.
Furias putavi nocte Ditis emersas.
Has tu priores frigore et fame siccus
Et non recenti pallidus magis buxo
Irus tuorum temporum sequebaris.
Migrare clivum crederes Aricinum.
Ibat tripes grabatus et bipes mensa,
Et cum lucerna corneoque cratere [1])
Matella curto rupta latere meiebat;
Foco virenti suberat amphorae cervix;
Fuisse gerres aut inutiles maenas
Odor impudicus urcei fatebatur,
Qualem marinae misit aura piscinae.
Nec quadra deerat casei Tolosatis,
Quadrima nigri nec corona pulei
Calvaeque restes alioque cepisque,
Nec plena turpi matris olla resina,
Summoenianae qua pilantur uxores.
Quid quaeris aedes vilicosque derides,
Habitare gratis, o Vacerra, cum possis?
Haec sarcinarum pompa convenit ponti."

Ad ultimam egestatem nimirum etiam referendi sunt versus hi: [2])

---

[1]) Fortasse legendum „corneaque laterna". Cf. Friedl. ad h. l.
[2]) Cf. etiam XIV, 81; Iuv. IX, 139 seqq.

Epigr. I, 92, 5 seqq.:

„Sed si nec focus est nec nudi sponda grabati
Nec curtus Chiones Antiopesve calix,
Cerea si pendet lumbis et scripta lacerna
Dimidiasque nates Gallica braca tegit,
Pasceris et nigrae solo nidore culinae
Et bibis immundam cum cane pronus aquam."

XI, 32:

„Nec toga nec focus est nec tritus cimice lectus
Nec tibi de bibula sarta palude teges,
Nec puer aut senior, nulla est ancilla nec infans,
Nec sera nec clavis nec canis atque calix.
Tu tamen affectas, Nestor, dici atque videri
Pauper, et in populo quaeris habere locum.
Mentiris vanoque tibi blandiris honore.
Non est paupertas, Nestor, habere nihil."

Ibid. 56, 1 seqq.:

„Quod nimium mortem, Chaeremon Stoice, laudas,
Vis animum mirer suspiciamque tuum?
Hanc tibi virtutem fracta facit urceus ansa,
Et tristis nullo qui tepet igne focus,
Et teges et cimex et nudi sponda grabati,
Et brevis atque eadem nocte dieque toga.
O quam magnus homo es, qui faece rubentis aceti
Et stipula et nigro pane carere potes!" [1])

Quae omnia si ita sunt, haud scio an vero proxime ab-

---

[1]) Ceterum in his epigrammatis Martialis sine dubio secutus est Catullum (23, 1 seqq.): „Furei, quoi neque servos est neque arca Nec cimex neque aranea neque ignis e. q. s." Cf. etiam Catull. 24, 5. Simile quid iam apud comicos Graecos. Aristoph. Plut. 540 seq.: „ἀντὶ δὲ κλίνης στιβάδα σχοίνων κόρεων μεστήν, ἢ τοὺς εὕδοντας ἐγείρει." Alexis in Meinekii fragm. Com. III, 465: „οὐκ ἔχων δὲ τυγχάνω οὐ βόλβον, οὐ πῦρ, οὐ κύμινον, οὐχ ἅλας."

simus, si statuamus paūperes in domiciliis atque cultu minus bene se habuisse quam in cibariis. Hic tamen non est obliviscendum — quod ipse in Prooemio [1]) iam monui — in terris ad meridiem spectantibus homines paucioribus rebus egere ad vivendum. Quod maxime cadit in domicilia, quia ut septentrionalium regionum incolae multum in publico versari, ita meridianarum magis domi se continere solent. Ipse Pöhlmann — qui ceteroqui nescio an nimis triste de rebus Romanis iudicet [2]) — hoc agnoscit. [3]) Neque hoc praetermittendum, plurima testimonia esse repetita ex Iuvenali et Martiali, in quibus legendis cautionem quandam adhibendam esse iam saepius dixi. Quod praecipue cadit in Martialis locos et propter causam modo [4]) indicatam et ob

---

[1]) pag. 15.

[2]) Pöhlmann, quatenus idoneos auctores non habemus, ex praesentibus praeterita fingit: „Es wäre eine schöne Aufgabe, die Einwirkungen der grossstädtischen Wohnungsnoth auf die ethischen, socialen, ökonomischen Zustände der Bevölkerung des Näheren zu verfolgen. Allein der Literatur, die uns hier, da die monumentalen Quellen versagen, allein Aufschluss gewähren könnte, der Geschichtschreibung insbesondere mit ihrem einseitigen Interesse für die Haupt- und Staatsactionem, für die Persönlichkeiten und das Spiel um den Thron der Cäsaren lagen derartige Probleme viel zu ferne, als dass sie — ausser gelegentlich mit unterlaufenden Notizen, die wir in der obigen Darstellung möglichst zu verwerthen suchten — irgend brauchbare directe Beobachtungen über diese bedeutungsvolle Culturfrage hinterlassen hätte. Die Analogien des modernen Lebens, das ja gerade in diesem Punkte sich so nahe mit dem des ausgehenden Alterthums berührt, müssen hier für das Verständniss das Beste thun." (l. l. pag. 113) Fortasse non ita pauci erunt qui num talia satis conclusa sint in dubium vocent.

[3]) l. l. pag. 73 seq.: „Das ausserhäusliche Leben ging im Alterthum so weit, dass zahlreiche Familien in Kneipen speisten und für viele das Bedürfniss nach eigener Wohnung wesentlich mit dem nach einem Nachtlager zusammenfiel, weshalb gewiss Tausende von Wohnungen blossen Schlafstellencharakter hatten. Wie man mit Recht bemerkt hat, war der einzige Zweck bei den Häusern der Alten Schutz gegen die Witterung, das Mobiliar in der Regel auf das Allerunentbehrlichste beschränkt, so dass z. B. wenigstens vier der pompejanischen Zimmer oder Kammern in einem mässig grossen unserer Zeit Platz fänden."

[4]) pag. 75 adn. 1.

id ipsum quod illi ad omnium tantum egêntissimos, peregrinos plerosque, [1]) spectant.

Itaque circumspectis rebus omnibus rationibusque subductis facile adducor ut credam pauperiorum condicionem Romae non ita miseram fuisse. [2]) In eadem sententia, credo, erat Seneca, qui etiamsi concedat non „iucunda(m) re(m) es(se) aqua(m) et polenta(m) aut frustum hordeacei panis," [3]) tamen illa „multa milia pauperum," [4]) qui tam parce vivere coacti essent, commiseranda esse non iudicet. Scio equidem Senecae auctoritati, ut philosophi Stoici, non nimis dandum ésse. Attamen nonnulla silentio praeterire nolo quae amico suo Lucilio de iisdem pauperibus scribit. In hunc modum eum hortatur: „Interponas aliquot dies, quibus contentus minimo ac vilissimo cibo, dura atque horrida veste dicas tibi: „hoc est quod timebatur?"" [5]) Quin si vere cogitare velit, Lucilium dupondio saturem exsulta-

---

[1]) Cf. Prooemium pag. 6.

[2]) Nimirum ab antiquitate exspectari non licet quae nostra demum tempora afferre potuerunt. Unum exemplum ponam. Si omittamus talem egentium curam quae in medicamentis gratis subministrandis vel eiusmodi rebus versetur, quantam utilitatem ipsa exculta medicina etiam pauperibus praebeat, in promptu est. Romani autem, licet in cura valetudinis magnos progressus haberent (Friedl. l. l. pag. 38 (39) adn. 10), tamen aeque efficienter varios morbos impugnare non poterant atque nos. Addas loci gravitatem: iam mirari desines et urbem identidem pestilentiis esse conflictatam et quotannis permagnum fuisse numerum cum ceterorum tum maxime infantium qui morte absumerentur. (De infantibus morte absumptis vide Pöhlm. l. l. pag. 27 adn. 2; Friedl. l. l. pag. 62 adn. 2. De pestilenti urbis Romae natura Friedl. l. l. pag. 37 seqq., ubi variarum pestilentiarum conspectus; Pöhlm. l. l. pag. 114 seqq. Cf. etiam Ammian. XIV, 6, 23: „Quoniam apud eos, ut in capite mundi, morborum acerbitates celsius dominantur, ad quos uel sedandos omnis professio medendi torpescit.") Quandoquidem autem morborum vis maxime vagari solet per ignota capita, pro certo sumi potest non solum simpliciter, sed etiam comparate inter has mortes longe maiorem partem fuisse pauperiorum.

[3]) Senec. Ep. Mor. II, ep. 6 (18), 10.

[4]) Ibid. § 8.

[5]) Ibid. § 5.

turum esse dicit: „Grabatus ille verus sit et sagum et panis durus ac sordidus. hoc triduo et quatriduo fer, interdum pluribus, ut non lusus sit, sed experimentum: tunc, mihi crede, Lucili, exsultabis dipondio satur et intelleges ad securitatem non opus esse fortuna: hoc enim, quod necessitati sat est, dat et irata." [1]) Paulo infra [2]) denique scribit: „Securius divites erimus, si scierimus, quam non sit grave pauperes esse." Si quis tamen Senecae verbis nihil moveatur, is meminerit fere ne tenuiores quidem servorum ministeriis carere potuisse. [3]) Illum qui servum (vel servos) alere possit miseratione vehementer dignum esse equidem non dixerim. [4])

De civili Romanorum communitate nec non de pauperibus eorumque condicione haec habui quae scriberem. Iam transeamus ad alteram huius disputationis partem, qua agam de modo quo Romani pauperioribus prospiciebant.

---

1) Ibid. § 7.

2) § 8.

3) Cf. Marq. StV. II² pag. 123. Qui nulla mancipia haberet, mendicus erat. Cf. Marq. l. l. et locos ex Catullo (23, 1 seqq.; 24, 5) et Martiali (XI, 32) supra (pag. 75 cum adn. 1) laudatos.

4) Ceterum urbanam vitae rationem ornatum quendam flagitasse et decorum, quae multis maiora essent quam facultates Friedländer (l. l. pag. 26) monet: „Ueberdies war jeder, der nicht gerade zu den untersten Klassen gehörte, durch die Verhältnisse unaufhörlich zu einem an sich nicht nothwendigen Aufwande gezwungen. Die Sitte forderte auch von Geringeren einen gewissen Glanz in der äusseren Erscheinung, der häufig ihre Kräfte überstieg, bei Geschäftsleuten am meisten. Man schämte sich von Thon zu speisen, konnte sich öffentlich nicht anders als in der Toga zeigen, und Viele nicht ohne eine Anzahl von Begleitern und Sklaven. Eine glänzende Armuth, eine kostspielige Hungerleiderei war sehr verbreitet, Schwindelei und Bankerotte an der Tagesordnung." Cf. Mart. II, 57 de viro quodam qui magnificus et potens videri studebat:

„Quem grex togatus sequitur et capillatus
Recensque sella linteisque lorisque:
Oppigneravit modo modo ad Cladi mensam
Vix octo nummis anulum, unde cenaret."

LIBER ALTER.

QUO AGITUR DE IIS, QUI UT PAUPERUM CONDICIONEM MELIOREM FACERENT OPERAM DEDERUNT.

PARS PRIMA.

Num sacerdotes pauperum rationem duxerint.

In Prooemio [1]) iam mentionem feci de pane quodam quem Varro dicit datum esse quibusdam miseris ope indigentibus. Res tradita est a Nonio cuius sub voce *Pandere* sequentia verba laudo: „PANDERE Varro existimat ea causa dici, quod qui ope indigerent et ad asylum Cereris confugissent panis *is* daretur [p a n d e r e ergo quasi panem dare] de vita populi Romani lib. I: hanc deam Aelius putat esse Cererem; sed quod in asylum qui confugissent panis *is* daretur, esse nomen fictum a pane dando; et quod numquam fanum talibus clauderetur, *dictum* p a n d e r e quod est aperire." [2]) Res perantiqua et verba, credo, non ex

---

[1]) pag. 8.

[2]) Nonius, pag. 60 Ed. Luc. Müller (pag. 44 edit. Mercerianae).

omni parte satis perspicua! Haec tamen statui posse videntur:

a. Agi de hominibus qui ope indigerent.

b. Iis refugium fuisse templum Cereris.

c. Haec dea cum patrona esset plebis, [1]) miseros illos fuisse plebeios.

d. Panem iis fuisse distributum.

Hanc rem quodammodo coniunctam fuisse cum quadam cura quam sacerdotes habuerint pauperiorum, absurdum quidem non est, effici tamen nequit. Immo obici potest:

a. Non esse additum qua de causa illi homines tali ope indigerent. Quod pro *templo* Cereris legitur *asylum* Cereris, liceatne inde colligere eos fuisse reos vel maleficos?

b. Cererem quidem patronam plebis fuisse, nihil tamen quod sciam notum esse unde effici possit egentissimo cuique maxime rationem intercessisse cum illa dea. „Plebs" simpliciter opponitur patriciis, non divitibus, licet satis notum sit re in universum considerata patricios meliore condicione fuisse quam plebeios. [2]) Ita Gellius: [3]) „Quam ob causam patricii Megalensibus mutitare soliti sint, plebes Cerealibus." [4])

c. Aediles plebis, non sacerdotes, illis panis distributionibus praefuisse, ut iusto iure Niebuhr [5]) contendere videtur,

---

[1]) Cf. infra.

[2]) Cf. quae ipse scripsi pag. 33 seqq.

[3]) XVIII, II, 11.

[4]) De Cerere plebis patrona cf. Roscher, Lex. d. gr. u. röm. Mythologie, I pag. 864 seq.: „Die Hauptbedeutung der Ceres für Rom war indes eine socialpolitische, und wie alle griechischen Kulte ist auch dieser in Anlass bestimmter Verhältnisse des Staatslebens eingeführt worden. Es geschah als Konzession an die Plebs. Die Plebs war es, die der Ceres, d. h. billigeren Kornes bedurft hatte; und bis hinab in die Gracchischen Unruhen ist sie so Patronin der Forderungen des Volks im Gegensatz zum Patrizier und Grossgrundbesitzer." Cf. etiam Niebuhr R. G. I² pag. 651; Marq. StV. III² pag. 361 seq.

[5]) l. l.

cum haud dubie impensae tolerarentur multis ab aedilibus plebis impositis, quae multae ad Cereris templum redibant. [1])

Etiam minus effici potest ex Plauti Rudentis II, 3, 18—20:

„Ex malis multis metuque summo
Capitalique ex peric<u>lo orbas auxilique opumque huc
Recepit ad se Veneria haec sacerdos me et Palaestram."

Non solum ex hoc loco nihil nisi propria illius sacerdotis misericordia elucet in duas naufragas puellas, sed etiamsi res aliter se haberet, Plautus non de suo haec scribit, verum res Graecas depingere secundum Diphilum Sinopensem satis habet.

---

1) Cf. Niebuhr l. l.; Marq. l. l. pag. 362 adn. 1.

PARS ALTERA.

Quo modo rei publicae pauperum sors fuerit curae.

De cura quam sacerdotes habuerint egentium quicquam asseverare lubricum est. Non ita de re publica. Quae quam varie tenuiorum rationibus prospexerit, [1]) perlucebit si animum verterimus

a. ad agrorum assignationes et colonias Romanorum;
b. ad faenus Romanorum;
c. ad curam annonae et frumentationes;
d. ad congiaria, epulas, similia;
e. ad publica alimenta.

Hos locos — quatenus quidem ad propositum meum pertinent — deinceps tractare in animo est.

[1]) Haec omnia tamen plurimum differre ab egentium cura quam nos proprie appellamus, in Prooemio exposui.

Caput I.

De agrorum assignationibus et de coloniis.

Ab antiquissimis temporibus de agro Romano controversia fuit. De illo litigabant patricii et plebei; de illo litigari non intermissum est cum patriciis et plebeis quod ad publica iura aequatis nobiles in patriciorum locum successissent. Nec mirum leges de agro assignando latas maiorem partem ad hoc certamen pertinuisse. Caesaribus demum regnantibus ager publicus in controversia esse desiit. [1])

Cum Marquardtio [2]) in re agraria describenda tria spatia temporis distinguenda sunt:

a. Ab antiquissimis temporibus usque ad Gracchos.
b. De Gracchis usque ad Augustum.
c. Imperatorum tempora.

a. Ab antiquissimis temporibus usque ad Gracchos.

De regum temporibus, [3]) ut parum certis, non multa dicenda sunt. Accedit quod illis regnantibus publicus ager

---

[1]) Cf. Marq. StV. I² pag. 124 cum adn. 2.
[2]) l. l. pag. 92 seqq.
[3]) De regum temporibus conferatur Schwegl. R. G. II pag. 456 adn. 1.

6*

non nisi patriciis assignabatur. Si Dionysio fidem habeas, duo reges excipiendi sunt, unus Tullus Hostilius, qui terram eximiam quandam, regum sortem, „ἐπέτρεψε τοῖς μηδένα κλῆρον ἔχουσι 'Ρωμαίων κατ' ἄνδρα διανείμασθαι", [1]) quo facto „ἅμα τῷ παραλαβεῖν τὴν ἀρχὴν ἅπαν τὸ θητικὸν τοῦ δήμου καὶ ἄπορον οἰκεῖον ἔσχεν." [2]) Alter est Servius Tullius qui eodem teste „ἐπὶ τὸ δημαγωγεῖν καὶ θεραπεύειν τοὺς ἀπόρους τῶν πολιτῶν ἐτρέπετο" [3]) et in contione populum in hunc modum allocutus est: „δοκεῖ δέ μοι καὶ τῆς δημοσίας γῆς, ἣν διὰ τῶν ὅπλων κτησάμενοι κατέχετε, μὴ τοὺς ἀναιδεστάτους ὥσπερ νῦν κρατεῖν οὔτε χάριτι λαβόντας οὔτ' ὠνῇ κτησαμένους, ἀλλὰ τοὺς μηδένα κλῆρον ἔχοντας ὑμῶν, ἵνα μὴ θητεύητε ὄντες ἐλεύθεροι μηδὲ τὰς ἀλλοτρίας κτήσεις, ἀλλὰ τὰς ἰδίας γεωργῆτε· οὐ γὰρ ἂν γένοιτο φρόνημα εὐγενὲς ἐν ἀνδράσιν ἀπορουμένοις τῶν καθ' ἡμέραν ἀναγκαίων." [4]) Verba res secuta est, nam „εὐθὺς ἅμα τῷ παραλαβεῖν τὴν ἀρχὴν διένειμε τὴν δημοσίαν χώραν τοῖς θητεύουσι 'Ρωμαίων." [5]) Livius magis generaliter: „Conciliata prius voluntate plebis agro capto ex hostibus viritim diviso." [6])

Regibus exactis cum maxime de iure certabatur, quod plebei, ipsos nihil minus quam patricios, in agrum se habere contendebant, in quo capiendo vitae periculum cum illis sociare non haesitassent. [7]) Quae tunc ferebantur agrariae leges eo spectabant, ut damnum quodammodo resarciretur plebeis, quibus ager publicus non aeque ac patriciis possidendus concederetur. [8]) Iis legibus patricii summa ope reniti solebant, quia ipsorum possessiones ne publicarentur

---

[1]) Dionys. Halic. III, 1, 5 (Ed. Jacoby).
[2]) Ibid. § 4.
[3]) Dionys. Halic. IV, 8, 3.
[4]) Dionys. Halic. IV, 9, 8.
[5]) Dionys. Halic. IV, 13, 1. Cf. etiam 10, 3; 11, 2.
[6]) Liv. I, 46, 1.
[7]) Cf. Liv. II, 24, 2; 48, 2; IV, 49, 11; Dionys. Halic. X, 36; 37.
[8]) Cf. Schwegl. R. G. II pag. 416 et supra Lib. I pag. 37.

metuebant. [1]) Quare Livius de lege Cassia agraria mentionem faciens: [2]) „Tum primum (i. e. anno a. u. c. 268 = a. Chr. n. 486) lex agraria promulgata est, numquam deinde usque ad hanc memoriam sine maximis motibus rerum agitata." De his agrariis legibus apud scriptores saepe mentio fit; omnes referre longum est, [3]) nec necesse videtur cum non nisi circuitione quadam ad pauperum curam pertinere dici possint. Ad o m n e s enim plebeios pertinebant; assignationes viritim factas esse legimus; pauperrimi cuiusque maxime rationem habitam esse nullum indicium est. At non minus verum est plebeios, quamdiu ab agro publico excluderentur, non raro deteriore statu fuisse, ideoque cum in illius partem vocarentur multorum fortunas aliquantum amplificatas esse. Saepius ut agrariae legis desiderium diminueret et patriciorum possessiones integras servaret, senatus coloniam deducendam curabat, quae velut delenimentum esset plebi. [4]) Hanc tamen procul relegari pigebat, cum uberes amplique agri prope Romam in conspectu essent. [5]) Quicquid id est, agrariis legibus non est impeditum, quo minus paulatim nonnulli locupletes, non raro vi vel dolo, agros continuarent liberosque agricolas submoverent. [6]) Nec mirum, cum Roma

---

[1]) Cic. De Leg. agr. II, 26, 68: „Antea, cum erat a tribuno plebis mentio legis agrariae facta, continuo, qui agros publicos aut possessiones invidiosas tenebant, pertimescebant."

[2]) Liv. II, 41, 3.

[3]) Exempla assignationis viritim factae aliaque eiusdem generis apud scriptores relata diligenter congessit Mommsen C. I. L. I pag. 88 seqq.

[4]) Liv. III, 1, 5: „Antium ..... coloniam deduci posse; ita sine querellis possessorum plebem in agros ituram, civitatem in concordia fore."— IV, 51, 5: „Aptissimum tempus fuerat vindicatis seditionibus delenimentum animis Bolani agri divisionem obici, quo facto minuissent desiderium agrariae legis, quae possesso per iniuriam agro publico patres pellebat." — Cf. etiam V, 24, 4; VI, 16, 6; VIII, 16, 13.

[5]) Cf. Liv. III, 1, 7; V, 24, 5.

[6]) Cf. Lib. I pag. 45, 48 cum nonnullis exemplis ibi congestis.

per totam Italiam imperium suum propagaret, senatum occasionem arripere non haesitasse colonias deducendi in regiones Italiae nuper subactas, ubi copia erat nova praedia aedificandi. [1]) Licet igitur negari non possit, ut agrarias leges, ita colonias non prorsus disiunctas fuisse a pauperum cura, immo qui in colonias irent veterani, non raro spe vitae facilius sustentandae ducerentur, tamen coloniae ob id ipsum potissimum deduci solebant, ut terra ab hostibus capta muniretur. [2]) Suo iure igitur Madvig eos refutat, qui populi *faecem*, ut ex urbe exhauriretur, in colonias illas missam fuisse contendant. [3]) Nec praetermittendum mihi videtur ante Marium faecem populi militia vacasse ideoque antiquos veteranos ex illa faece iudicari non licere.

b. De Gracchis usque ad Augustum.

Patriciorum et plebeiorum discordiis compositis omnium quidem ius in agrum publicum sanctum erat; re tamen tempore procedente universum fere agrum Italum pauci nobiles obtinebant. Crebrae quidem occasiones fuerant nova praedia aedificandi tum cum bellis Punicis omnis Italia erat vastata. [4]) At hoc remedium non nisi breve et ad tempus erat; terram autem extra Italiam sitam dividere rerum natura et civilium temporum non pati existimabatur. [5]) In priore libro [6]) docuimus quam miser esset agriculturae plebisque condicio, cum Gracchi huius eiusdem oppressae plebis patrocinium profiterentur.

---

[1]) Cf. Mommsen R. G. I[8] pag. 303, 818.

[2]) Cic. De Leg. agr. II, 27, 73: „Est operae pretium diligentiam maiorum recordari, qui colonias sic idoneis in locis contra suspicionem periculi collocarunt, ut esse non oppida Italiae, sed propugnacula imperii viderentur."

[3]) Cf. Madvig, De iure et condic. colon. pop. Rom., in Opusc. Acad.[2], pag. 199.

[4]) Momms. R. G. I[8] pag. 818.

[5]) Momms. R. G. II[8] pag. 80.

[6]) pag. 43 seqq.

Gracchi cum in re agraria novam rationem receperint plurimumque et vivi et mortui valuerint, haud absurdum quidem videri possit in universum quaerere quam naturam haberent eorum consilia quidque nobis de iis sit iudicandum. Atqui id dictu quam re facilius est. Non solum enim inde ab omni tempore prout quisque de re publica ipse sentiebat, ita aut magna Gracchorum admiratione tenebatur aut severissime eos corripiebat — unde periculum ne quasi per caliginem res videamus [1] —; verum etiam, si ab iis discesseris, quae compluribus locis dispersa apud scriptores leguntur, totum rerum ordinem comperimus ex Plutarcho et Appiano, [2]) qui ipsi Graeci sub Hadriano demum imperatore vixerunt neque in fontibus suis legendis subtile iudicium adhibere solebant. [3]) Hoc tamen pro certo dici posse videtur, Gracchorum rationes multis partibus nos admonere de „Socialistis" qui hodie vocantur. [4]) Omnem

---

[1]) Ut ex iis qui Gracchorum prope aequales fuerunt unum Ciceronem commemorem, quam longe absit, ut incorrupte atque integre de iis indicaverit, in promptu est. Cf. eum De Off. II, 12, 43 de Gracchis: „Nec vivi probabantur bonis et mortui numerum optinent iure caesorum." Ceterum idem coram plebe (De Leg. agr. II, 5, 10): „Non sum autem ego is consul, qui, ut plerique, nefas esse arbitrer Gracchos laudare: quorum consiliis, sapientia multas esse video reipublicae partes constitutas."

[2]) De fontibus ex quibus historia Gracchorum cognoscitur cf. Nitzsch, Die Gracchen, pag. 437 seqq.

[3]) Cf. Christ in Iw. v. M.'s Handb. VII² sub illis nominibus.

[4]) Quack, De Socialisten, I pag. 54 seq.: „Het is nu uiterst eigenaardig, dat de sporen van het Romeinsche socialisme juist in dat voor de Romeinen zoo belangrijk element van de akkers zijn ontstaan. Toen de oorspronkelijke landbouwtoestanden bedierven: toen het steeds zich uitbreidend getal van slaven de produktie in 't groot aldaar mogelijk maakte: toen concentratie der vele gronden in weinig handen, en absenteïsme der eigenaars toestanden in het leven riepen, welke aan die van Ierland doen denken: toen ontstond het agrarische proletariaat, en tevens een poging om revolutionair" — cf. infra quae laudavi ex Mommsenii Historia Romana — „te helpen en in te grijpen: een agrarisch Socialisme." — Rud. Leonhard, Roms Vergangenheit und Deutschlands Recht, pag. 66: „Mögen die wahren Triebfedern der Gracchen noch so zweifelhaft sein, die ungeheuere Tragweite ihrer Wirksamkeit ist

enim spem ponebant in re publica. Omnem in subiectis regionibus terram civitati adiudicabant; ut publice agri emerentur, qui plebi assignarentur, flagitabant; ut publico sumptu inopes cives in colonias deducerentur operam dabant. Roscher quinque causis enumeratis quae „Socialismo" suffragari soleant [1]) et ad alia tempora delegat et ad id saeculum quod incipit a Gracchis tanquam tempus quo „Socialistarum" consilia latissime fuerint diffusa. [2])

Quaenam autem erant ipsa Gracchorum consilia agraria? Nominatim alter eorum Gaius a tralaticio more recessit. Nam

---

unbestreitbar. Sie schleuderten einen Feuerbrand in die Welt, dessen Wirkung erst nach Jahrhunderten gedämpft, niemals aber ganz verglommen ist, das Streben nach einer staatlichen Versorgung der ärmeren Klassen." Pergit tamen: „Obwohl wir also schon in jener Zeit allenfalls von einer Sozialen Frage reden können, so würden wir uns dennoch sehr täuschen, wenn wir in jenen römischen Volksführern Vorkämpfer für die unbeschränkte Staatsallmacht sehen wollten. Für die Beseitigung des Eigenthums und die Umwandlung der freien Verkehrsbewegung in ein grosses Zwangsarbeitshaus hat kein Römer gekämpft .... Nur eine Verwaltungsmassregel, keine Rechtsänderung war es, welche die römische Volkspartei begehrte, eine gleichmässige Vertheilung des eroberten Staatslandes ...."

[1]) Syst. d. Volkswirthsch., I[13] pag. 176 seqq., 181 seqq. Quinque illae causae sunt: *a.* Ein schroffes Gegenüberstehen von Reich und Arm. *b.* Ein hoher Grad von Arbeitstheilung. *c.* Hohe Ansprüche der niederen Klassen als Folge demokratischer Staatsverfassung. *d.* Verwirrung des öffentlichen Rechtsgefühls durch Revolutionen. *e.* Allgemeine Abnahme der Religiosität und Sittlichkeit im Volke.

[2]) Modum quo incepta sua exsequi conabantur Mommsen nomine q. e. *Revolution* signare non dubitat. Illius de Gracchis iudicium dignum est quod ad verbum describatur. — De Tiberio (R. G. II[8] pag. 93): „Rom wurde um diese Zeit regiert durch den Senat. Wer gegen die Majorität des Senats eine Verwaltungsmassregel durchsetzte, der machte Revolution. Es war Revolution gegen den Geist der Verfassung, als Gracchus die Domänenfrage vor das Volk brachte; Revolution auch gegen den Buchstaben, als er das Correctiv der Staatsmaschine, durch welches der Senat die Eingriffe in sein Regiment verfassungsmässig beseitigte, die tribunicische Intercession durch die mit unwürdiger Sophistik gerechtfertigte Absetzung seines Collegen nicht bloss für jetzt, sondern für alle Folgezeit zerstörte. Indess nicht hierin liegt die sittliche und politische Verkehrtheit von Gracchus Thun. Für die Geschichte giebt es keine Hochverrathsparagraphen; wer eine Macht im Staat zum Kampf aufruft gegen die andere, der ist gewiss ein Revolutionär, aber vielleicht zu-

frater eius Tiberius antiquam tantum legem Liciniam, paulum sane immutatam atque auctam, ab oblivione vindicavit, „ne quis plus quingenta iugera agri possideret.“ [1]) Se autem et C. Gracchum fratrem et Ap. Claudium socerum triumviros ad dividendum agrum creavit. [2]) De legibus Semproniis agrariis Mommsen: „Quibus hominibus quaque ratione ex iis agri dandi essent nusquam quidem traditur; at id ipsum non obscure indicat adsignationem fuisse viri-

gleich ein einsichtiger und preiswürdiger Staatsmann. Der wesentliche Fehler der gracchischen Revolution liegt in einer nur zu oft übersehenen Thatsache: in der Beschaffenheit der damaligen Bürgerversammlungen . . . .“ — De Gaio (pag. 117 seq.): „Er war ein politischer Brandstifter; nicht bloss die hundertjährige Revolution, die von ihm datirt, ist, so weit sie eines Menschen Werk ist, das Werk des Gaius Gracchus, sondern vor allem ist er der wahre Stifter jenes entsetzlichen von oben herab beschmeichelten und besoldeten hauptstädtischen Proletariats, das durch seine aus den Getreidespenden von selber folgende Vereinigung in der Hauptstadt theils vollständig demoralisirt, theils seiner Macht sich bewusst ward und mit seinen bald pinselhaften bald bübischen Ansprüchen und seiner Fratze von Volkssouveränetät ein halbes Jahrtausend hindurch wie ein Alp auf dem römischen Gemeinwesen lastend nur mit diesem zugleich unterging. Und doch — dieser grösste der politischen Verbrecher ist auch wieder der Regenerator seines Landes. Es ist kaum ein constructiver Gedanke in der römischen Monarchie, der nicht zurückreichte bis auf Gaius Gracchus. Von ihm rührt der wohl in gewissem Sinne im Wesen des althergebrachten Kriegsrechts begründete, aber in dieser Ausdehnung und in dieser praktischen Anwendung doch dem älteren Staatsrecht fremde Satz her, dass aller Grund und Boden der unterthänigen Gemeinden als Privateigenthum des Staats anzusehen sei — ein Satz, der zunächst benutzt ward um dem Staat das Recht zu vindiciren diesen Boden beliebig zu besteuern, wie es in Asien, oder auch zur Anlegung von Colonien zu verwenden, wie es in Africa geschah, und der späterhin ein fundamentaler Rechtssatz der Kaiserzeit ward. Von ihm rührt die Taktik der Demagogen und Tyrannen her auf die materiellen Interessen sich stützend die regierende Aristokratie zu sprengen, überhaupt aber durch eine strenge und zweckmässige Administration anstatt des bisherigen Missregiments die Verfassungsänderung nachträglich zu legitimiren. Auf ihn gehen vor allem zurück die Anfänge einer Ausgleichung zwischen Rom und den Provinzen, wie sie die Herstellung der Monarchie unvermeidlich mit sich bringen musste . . . . . .“ — Cf. etiam Quack l. l. pag. 55 seqq., qui tamen Mommsenum potissimum secutus est.

[1]) Liv. VI, 35, 5.

[2]) Cf. Liv. Per. LVIII.

tanam et ad omnes inde cives portionem aliquam agri publici pervenire debuisse. Quod ipsum quodammodo voluerat lex Licinia, nam cum agri publici possessores singulos intra certum modum cohiberet, si ad effectum lex perducta esset, ad agri publici communicationem alii deinceps aliique modoque sufficiente tandem aliquando omnes cives pervenissent." [1]) At Gaius novum quid in Romanorum mores introduxit. Inde ab eo populares, cum locupletes de possessionibus usu captis dimoveri non posse viderent, de ipsis coloniis agrarias leges tulerunt, [2]) ita ut neglectam atque oppressam plebem in coloniis collocarent. Nec Italia se continebat C. Gracchus, sed primus in transmarinas regiones colonias deducere coepit. Rubrium collegam adduxit ut legem ferret, qua Carthago colonia conderetur; [3]) ipse „colonos Capuam et Tarentum mittendos censuit." [4]) Ceterum ut Tiberii fratris ita haec Gai incepta ad finem non venisse senatus pervicacia in causa fuit. Liberaliter pollicendo — promissa nunquam effecta sunt — C. Gracchum apposite senatus vicit; nam Livio Druso concessit, ut plebis animorum conciliandorum causa de d u o d e c i m ducendis coloniis legem ferret, in quas singulas tria milia inopum [5]) mitterentur. Qua re imprimis laetata plebs Gracchi leges contemnere coepit. [6]) Accedit quod Gracchus, si Plutarcho fidem habemus, magis honestissimo cuique in miseriis subvenire cogitabat quam perditam plebeculam curabat. [7])

---

[1]) Momms. C. I. L. I pag. 89.

[2]) Cf. Marq. StV. I² pag. 94, 105.

[3]) Vell. Pat. I, 15; Plut. C. Gracch. 10, 11, 14; Appian. B. C. I, 24; Punic. 136.

[4]) Aur. Vict. 65. Cf. etiam Liv. Per. LX et Plut. C. Gracch. 8.

[5]) „τῶν ἀπόρων" Plut. Locum vide infra adn. 7.

[6]) Cf. Plut. C. Gracch. 9; Appian. B. C. I, 23.

[7]) Plut. l. l. § 2: „τὸν μὲν γὰρ ἀποικίας δύο γράψαντα καὶ τοὺς

Quae Gracchi instituerant Gaio occiso mox sublata sunt, cuius rei memoria invenitur apud Appianum: „καὶ ἡ στάσις ἡ τοῦ δευτέρου Γράκχου ἐς τάδε ἔληγε· νόμος τε οὐ πολὺ ὕστερον ἐκυρώθη, τὴν γῆν, ὑπὲρ ἧς διεφέροντο, ἐξεῖναι πιπράσκειν τοῖς ἔχουσιν· ἀπείρητο γὰρ ἐκ Γράκχου τοῦ προτέρου καὶ τόδε. καὶ εὐθὺς οἱ πλούσιοι παρὰ τῶν πενήτων ἐωνοῦντο, ἢ ταῖσδε ταῖς προφάσεσιν ἐβιάζοντο. καὶ περιῆν ἐς χεῖρον ἔτι τοῖς πένησι, μέχρι Σπόριος Θόριος [1]) δημαρχῶν ἐσηγήσατο νόμον, τὴν μὲν γῆν μηκέτι διανέμειν, ἀλλ' εἶναι τῶν ἐχόντων, καὶ φόρους ὑπὲρ αὐτῆς τῷ δήμῳ κατατίθεσθαι, καὶ τάδε τὰ χρήματα χωρεῖν ἐς διανομάς. ὅπερ ἦν μέν τις τοῖς πένησι παρηγορία, διὰ τὰς διανομάς, ὄφελος δ' οὐδὲν ἐς πολυπληθίαν. ἅπαξ δὲ τοῖς σοφίσμασι τοῖσδε τοῦ Γρακχείου νόμου παραλυθέντος, ἀρίστου καὶ ὠφελιμωτάτου, εἰ ἐδύνατο πραχθῆναι, γενομένου, καὶ τοὺς φόρους οὐ πολὺ ὕστερον διέλυσε δήμαρχος ἕτερος, καὶ ὁ δῆμος ἀθρόως ἁπάντων ἐξεπεπτώκει." [2])

Praetermitti posse mihi videntur turbida tempora, quibus Marius et Sulla inter ipsos bello lacessebant omnemque Italiam vastabant. Hoc tantum memorandum, quamvis ne togatorum quidem rationes prorsus neglegerentur, inde ab illo tempore colonias fuisse militares, quare Velleius: „In Bagiennis Eporedia (deducta colonia est) Mario sexiens Valerioque Flacco consulibus. Neque facile memoriae mandaverim, quae, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit." [3]) Recte Zumpt: „Coloniae . . . . . praemia militiae coeperunt esse ipsaque necessitas Romanos coëgit, ut eam rationem invenirent. Nam milites, qui pridem vel locupletes homines fuerant vel ii, qui defuncti bellis ad pacis negotia redire

---

χ α ρ ι ε σ τ ά τ ο υ ς τῶν πολιτῶν εἰσάγοντα δημοκοπεῖν ᾐτιῶντο (sc. senatores), Λιβίῳ δὲ δώδεκα κατοικίζοντι καὶ τρισχιλίους εἰς ἑκάστην ἀποστέλλοντι τ ῶ ν ἀ π ό ρ ω ν συνελαμβάνοντο."

[1]) Libri MSS. Βόριος. Θόριος reponere iussit Hotomannus. De hac quaestione cf. Mommsen ad C. I. L. I, 200.

[2]) Appian. B. C. I, 27.

[3]) Vell. Pat. I, 15, 5.

sibique solita ratione victum quaerere possent, iam esse coeperunt pauperes homines, qui praeter id, quod manu atque armis quaesivissent, nihil possiderent, quibus bello finito necessario erat consulendum." [1]) In re agraria C. Marius parum valuit; nam Apulei Titiique rogationes agrariae optimatium conspiratione oppressae sunt. [2]) L. Sulla adversariis devictis et ubique e possessionibus exturbatis passim veteranos suos in agris tam publicis quam privatis constituit.

Venimus ad P. Servilium Rullum tribunum, contra quem Cicero orationes habuit „de lege agraria." De hoc P. Rullo eiusque rogatione, non minus quam de Gracchis, inter viros doctos mira quanta dissensio est. [3]) Alius Rulli consilium ve-

---

[1]) Zumpt Comm. Epigr. I pag. 205.

[2]) Cf. Marq. l. l. pag. 110.

[3]) A Zumptio, quem Marquardt (l. l. pag. 112 seq.) secutus est, Rulli consilium laudibus effertur (l. l. pag. 263): „Sulla enim cum totius Italiae faciem commutasset, plurimos homines non ex sedibus modo suis sed ex omnibus bonis evertisset, in agris ereptis alienos milites collocasset vel quos agros non diviserat, passim potentibus occupandos concessisset, ingens multitudo hominum egentium orta erat, ad omnem reipublicae ventum ac tempestatem intenta. (In adnotatione addit: „Hac autem ipsa re P. Servilium in lege senatui probanda usum esse ostendit Cic. in Rull. II, 26, 70 . . . . . ." De modo quo Cicero hic Rullo odium conflare conatur cf. infra pag. 94 adn. 3) Quibus consulendum esse etsi qui prudentiores erant intelligebant, tamen nec, qui legibus Corneliis agros acceperant, quia ex iis legibus acceperant, quae sine eversione totius reipublicae mutari nequibant, moveri posse videbantur, et qui contra leges possederant, eos exturbari erat illud quidem iustum, sed ipso genere periculosum terrebantque Gracchorum exitus, qui similia ausi foede perierant. Quare si vere iudicare volemus, Servilia hac lege conciliationem quandam temptatam esse dicemus inter eos, qui ante Sullam agros Italiae habuerant et inter Sullanos homines, quae conciliatio si tum esset perfecta, nec Catilinaria ulla existere potuit coniuratio nec Caesar summam in re publica adipisci imperii." Idem in praefatione editionis, quam paravit de M. Tullii Ciceronis orationibus tribus de lege agraria (pag. XIV): „Quae cum ita sint, Rullum intelligemus magna et moderatione et prudentia in lege agraria ferenda esse usum, non tam partium studio ductum quam utilitate publica, ut rempublicam emendaret, partium contentiones minueret, quod urbi Italiaeque prodesset, perageret." — Ut a Zumptio laudatur, ita a Roschero (Syst. d. Volkswirthsch. I[13] pag. 182) vehementer vituperatur: „Sehr viel weiter noch gingen die socialistischen Pläne des Rul-

hementer laudat, alius vituperat, alius moderatius iudicare videtur. Alius Rullum revera egenae plebis commodis consuluisse putat, alius eum Caesaris, alius Pompei rationibus se adiunxisse suspicatur. Utcumque est, hoc certum videtur, rogatio si perlata esset, Servilium plebem egenam et pauperem in agris collocando Italiam frequentaturum, et cum omnes assignationes ac possessiones confirmaret, quicquid largiretur ex publico erepturum fuisse. [1]) Ceterum

lus, der mit seinem Ackergesetze, wenn es durchgeführt wäre, ziemlich den ganzen Staat zu Gunsten der Armen (und ihrer Demagogen!) confiscirt haben würde. Wäre der Vorschlag (kurz vor der Catilinarischen Verschwörung!) genehmigt, so hat Cicero gewiss Recht, dass er nur zwei Menschenklassen genützt haben würde: den „acres, ad vim prompti, ad seditionem parati, qui, simulac Decemviri concrepuerint, armati in cives et expediti ad caedem esse possint"; ferner den „pauci, opibus et copiis affluentes", die Alles an sich gebracht hätten. (De lege agrar. II, 30)." — Mommsen haec expromit (R. G. III[8] pag. 181): „Als ..... Publius Servilius Rullus ein Ackergesetz beantragte, das den Führern der Demokraten eine ähnliche Stellung verschaffen sollte, wie sie in Folge der gabinisch-manilischen Anträge Pompeius einnahm. Der nominelle Zweck war die Gründung von Colonien in Italien ......" Idem paulo post (pag. 182): „Die Menge, die es bequemer fand, das Getreide im Schatten der römischen Hallen aus den öffentlichen Magazinen sich zumessen zu lassen, als es im Schweisse des Angesichts selber zu bauen, nahm den Antrag an sich schon mit vollkommener Gleichgültigkeit auf. Sie fühlte auch bald heraus, dass Pompeius einen solchen in jeder Hinsicht ihn verletzenden Beschluss sich nimmermehr gefallen lassen werde und dass es nicht gut stehen könne mit einer Partei, die in ihrer peinlichen Angst sich zu so ausschweifenden Anerbietungen herbeilasse." — Drumann (R. G. III pag. 147 seqq.) totam hanc tribuniciam rogationem terrendorum optimatium causa de industria a C. Caesare excogitatam esse Serviliumque nescio qua re inductum Caesaris consiliis inservivisse contendit. — Niese (in Iw. v. M's. Handb. III, 5[2], pag. 141) denique haec scribit: „Ciceros Konsulat (63 v. Chr.) ist namhaft durch heftige politische Kämpfe. Die bevorstehende Rückkehr des Pompeius, von der alles abhing, zeigte schon ihre Wirkung. Zu Anfang des Jahres beantragte der Tribun Servilius Rullus ein Ackergesetz. Eine auf fünf Jahre zu wählende Kommission von zehn Männern sollte über den gesamten *ager publicus* und sonstige Einkünfte innerhalb und ausserhalb Italiens verfügen, um aus deren Erlös das arme Volk mit Land zu versorgen. Das Gesetz beabsichtigte wahrscheinlich vor allem die Befriedigung der Veteranen des Pompeius und wurde von Cäsar unterstützt. Aber es ward von Cicero lebhaft bekämpft, und man liess es fallen."

[1]) Cf. etiam Marq. l. l.

cum certamen difficillimum cum optimatibus sibi instare intellegeret, ipse Servilius rogationem suam dimisit.

Pompeius ex Asia rediens per Flavium agere coepit ut militibus suis agri assignarentur. Quod quo facilius impetraret, Flavius adiecit ut etiam omnibus civibus [1]) sortes agrorum darentur. At „huic toti rationi agrariae senatus adversabatur, suspicans Pompeio novam quandam potentiam quaeri." [2]) Cicero quidem rogatio ut perferretur operam dedit. Scribit enim: „Ego autem magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium privatorum possessiones: — is enim est noster exercitus, hominum, ut tute scis, locupletium: — populo autem et Pompeio — nam id quoque volebam — satisfaciebam emptione: qua constituta diligenter, et sentinam urbis exhauriri [3]) et Italiae solitudinem frequentari posse arbitrabar." [4]) „Sed haec tota res interpellata bello refrixerat." [5])

Ea quae frustra Pompeius conatus erat, Caesar impetravit. Is enim omnem agrum publicum, qui in Italia supererat, praeter Campanum atque etiam, ut probabiliter contendit Zumpt, [6]) praeter campum Stellatem divisit, idque ita „ut ager emeretur, non tanto, quanto vellent agrorum divisores, quod fuerat aliquando reprehensum in lege Servilia, sed quanti aestimatus esset in proximo censu, nec ab invitis, sed a volentibus, quod iam Servilius prae-

---

[1]) Ita legitur apud Dionem Cassium (XXXVII, 50, 1): „καὶ πᾶσι τοῖς πολίταις." Zumpt (l. l. pag. 274), quem Marquardt (l. l. pag. 113) et Pöhlmann (o. l. pag. 154 adn. 5) secuti sunt, minus accurate de sola plebe urbana loquitur, quamquam hanc potissimum respectam fuisse facile crediderim.

[2]) Cic. Ad Att. I, 19, 4.

[3]) Attendas vocabulum. Illo ipso cum Rullus usus esset in simili re, Cicero ad iram excitandam verba in malam partem detorserat! Vide Cic. De Leg. agr. II, 26, 70. De hac re cf. etiam Pöhlm l. l. pag. 154.

[4]) Cic. Ad Att. l. l.

[5]) Ibid.

[6]) Vide eum l. l. pag. 278.

scripserat." [1]) Ut autem in Flavii rogatione fuerat, „ut ager hac adventicia pecunia emeretur, quae ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur" [2]) — ita Caesar „*χρήματά τε γὰρ πολλὰ ἀπό τε τῆς λείας, ἣν ὁ Πομπήιος εἰλήφει, καὶ ἀπὸ τῶν φόρων τῶν τε τελῶν τῶν προκαταστάντων περιεῖναί σφισιν ἔλεγε καὶ χρῆναι αὐτὰ ἅτε καὶ τοῖς τῶν πολιτῶν κινδύνοις πεπορισμένα ἐς αὐτοὺς ἐκείνους ἀναλωθῆναι.*" [3]) Ita res rursus eo spectabat, ut omnia fierent aerarii impendio. De legis ratione ac consilio Dio Cassius: „*τοῦ μὲν δὴ οὖν νόμου ἕνεκα οὐδεὶς αὐτῷ οὐδὲν ἐπικαλέσαι ἠδύνατο· τό τε γὰρ πλῆθος τῶν πολιτῶν ὑπέρογκον ὄν, ἀφ' οὗπερ καὶ τὰ μάλιστα ἐστασίαζον, πρός τε τὰ ἔργα καὶ πρὸς γεωργίας ἐτράπετο, καὶ τὰ πλεῖστα τῆς Ἰταλίας ἠρημωμένα αὖθις συνῳκίζετο, ὥστε μὴ μόνον τοὺς ἐν ταῖς στρατείαις τεταλαιπωρημένους, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἄλλους ἅπαντας διαρκῆ τὴν τροφὴν ἔχειν μήτε τῆς πόλεως οἴκοθέν τι δαπανωμένης μήτε τῶν δυνατῶν ζημιουμένων, ἀλλὰ καὶ τιμὴν καὶ ἀρχὴν πολλῶν προσλαμβανόντων.*" [4]) Coloni autem partes suas intra annum vigesimum vendere vetabantur. [5]) At plura consilia Caesaris commemoranda sunt. In solum agrum Campanum Stellatemque ad viginti milia civium deduxit, quibus terni pluresve liberi erant. [6]) Hos fuisse pauperiores, immo partim inopes, scriptores testantur. Appianus: [7]) „*νόμους ὑπὲρ τῶν πενήτων ἐς τὸ βουλευτήριον ἐσέφερε, καὶ γῆν αὐτοῖς διένεμε, καὶ τὴν ἀριστεύουσαν αὐτῆς μάλιστα περὶ Καπύην, <ἢ> ἐς τὰ κοινὰ διεμισθοῦτο τοῖς οὖσι πατράσι παίδων τριῶν, ἔμμισθον ἑαυτῷ τῆσδε τῆς χάριτος πλῆθος τοσόνδε ποιούμενος.*"

---

[1]) Zumpt l. l. Cf. Dio Cass. XXXVIII, 1, 4.

[2]) Cic. l. l.

[3]) Dio Cass. XXXVIII, 1, 5.

[4]) l. l. § 2, 3.

[5]) Zumpt hoc vere effecit ex Appian. B. C. III, 2 extr. Vide eum l. l. pag. 280.

[6]) Vell. Pat. II, 44; Suet. Iul. 20; Appian. B. C. II, 10; Dio Cass. XXXVIII, 7; Plut. Cato min. 33.

[7]) l. l.

Plutarchus: [1]) „εἰσέφερε νόμους τοῖς πένησι κληρουχίαν καὶ νομὴν χώρας διδόντας" — et paulo post: [2]) „ἐπαρθεὶς οὖν ὁ Καῖσαρ ἄλλον εἰσέφερε νόμον, τὴν Καμπανίαν σχεδὸν ὅλην προσκατανέμοντα τοῖς ἀπόροις καὶ πένησιν." Praeterea quid sibi vellet, quod cum maxime ii, quibus terni pluresve liberi essent, mittebantur, si non id ageret, ut urbem inopi multitudine levaret! [3]) Et Suetonius eum octoginta civium milia in transmarinas colonias distribuisse narrat. [4]) Coloni illi magnam partem erant libertini, ut diserte narrat Strabo de Corintho hisce verbis: „ἡ Κόρινθος ἀνελήφθη πάλιν ὑπὸ Καίσαρος τοῦ θεοῦ διὰ τὴν εὐφυΐαν, ἐποίκους πέμψαντος τοῦ ἀπελευθερικοῦ γένους πλείστους." [5]) Ex eodem Strabone cognoscimus eos saltem qui Carthaginem mitterentur non nisi ex parte fuisse veteranos. Scribit enim: „σχεδόν τι τὸν αὐτὸν χρόνον ὅνπερ καὶ Κόρινθος, ἀνελήφθη πάλιν περὶ τοὺς αὐτούς πως χρόνους ὑπὸ Καίσαρος τοῦ θεοῦ πέμψαντος ἐποίκους Ῥωμαίων τοὺς προαιρουμένους καὶ τῶν στρατιωτῶν τινας." [6]) Appianus utrosque uno nomine inopum comprehendit: „καὶ μετ' οὐ πολὺ τῶν ἀπόρων αὐτὸν ἐς Ῥώμην <ἐπανελθόντα> περὶ γῆς παρακαλούντων, συνέτασσεν, ὡς πέμψων τοὺς μὲν ἐς τὴν Καρχηδόνα, τοὺς δ' ἐς Κόρινθον." [7]) Ceterum in dubium vocari potest num revera omnes illi coloni (octoginta milia) deducti sint; [8]) nam Caesar morte videtur esse impeditus, quo minus incepta prorsus exsequeretur. [9]) De Carthagine certe diserte narrat

---

[1]) Cato min. 31.
[2]) Cap. 33.
[3]) Cf. etiam Marq. l. l. pag. 114.
[4]) Suet. Iul. 42.
[5]) Strabo VIII, 6, 23.
[6]) Strabo XVII, 3, 15.
[7]) Appian. Punic. 136.
[8]) Cf. Zumpt l. l. pag. 318; Marq. l. l. pag. 116.
[9]) Appian. l. l.

Appianus coloniam ab Augusto demum esse constitutam.

In turbis domesticis, quas triumviri rei publicae constituendae in imperio Romano moliebantur, quicquid in re agraria latum est, ea etsi ad plebis egentis utilitatem videbantur esse suscepta, necessario tamen ad militum magis commoda spectabant. [1]) Sullana tempora rediisse videbantur. Qui tunc vivebant poetae omnes fere queruntur de iniuria sibi a militibus illata. Queritur Horatius, [2]) queritur Tibullus, [3]) queritur Propertius, [4]) queritur etiam Vergilius. [5]) Nec mirum, cum post proelium Philippense amplius CLXX militum milibus esset prospiciendum, [6]) quod sine possidentium eversione fieri non poterat. [7])

c. Imperatorum tempora.

Tempora illa rei publicae tristissima, de quibus modo egimus, quasi transitus erant ad principatum. Quem armis quaesitum armis teneri necesse erat. Nec mirum Augustum, cum colonias iniussu senatus vel populi deducendas curaret, de militum potissimum commodis cogitavisse. In Monumento Ancyrano agros bis a se divisos esse gloriatur: „Pecuniam [*pro*] agrís, quós in consulátú meó quár-

---

[1]) Singula facta igitur silentio praetereo, praesertim cum nonnullae leges, ut M. Antonii de coloniis in agros deducendis et Lucii fratris agraria, odio optimatium sublatae, nullum effectum habuerint.

[2]) Ep. II, 2, 50.

[3]) I, 1, 19; IV, 1, 182.

[4]) IV, 1, 129.

[5]) Eclog. 9, 28; Cf. Mart. VIII, 56.

[6]) Cf. Appian. B. C V, 5.

[7]) Ne damnum quidem deturbatis restituendi triumviris copia erat, quamvis vellent. De hac re cf. Schiller — qui summatim de Romanorum coloniis agit — in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2^2, pag. 174 seq.

to [1]) et posteá consulibus M. Cr[*asso e*]t Cn. Lentulo augure [2]) adsignávi militibus, solví múnicipís. Ea [*s*]u[*mma sest*]ertium circiter sexsiens milliens fuit, quam [*p*]ró Italicís praed[*is*] numeravi, § et ci[*r*]citer bis mill[*ie*]ns et sescentiens, quod pro agrís próvin[*c*]ialibus solví. § Id primus et [*s*]olus omnium, qui [*d*]edúxerunt colonias militum in Italiá aut in provincís, ad memor[*i*]am aetátis meae feci." [3]) Ut tamen in antiquis illis coloniis militaribus plebeiorum rationes non prorsus neglegebantur, ita legimus Augustum in nonnullas togatos cives misisse. [4])

Caesaribus regnantibus ager publicus in controversia esse desierat. Incolarum numerus per omnes imperii partes adeo minuebatur, ut quorsum evaderet vererereris. Nec veterani qui in colonias mittebantur infrequentiae locorum subveniebant, quia „neque coniugiis suscipiendis neque alendis liberis sueti orbas sine posteris domos relinquebant." [5]) Imperatores igitur, qui agri publici condonandi ipsi facultatem habebant, [6]) in Italiam stirpis augendae causa colonias mittere solebant, in provinciis potius id agebant, ut imperii fines a barbarorum iniuriis tutos redderent. [7]) De imperatoribus brevi praecidere mihi liceat. Illi enim, quatenus agros donabant, [8]) militibus donare solebant; „nam plebem quidem"

---

1) anno a. u. c. 724 (a. Chr. n. 30).

2) anno a. u. c. 740 (a. Chr. n. 14).

3) Lat. 3, 22 seqq. Vide Mommsen in Commentario suo (RGDA.²) ad hunc locum.

4) Cf. Marq. l. l. pag. 94; Zumpt l. l. pag. 362.

5) Tac. Ann. XIV, 27.

6) Marq. l. l. pag. 124 cum adn. 2.

7) Cf. Marq. l. l.

8) Tiberium e. g., qui „missiones veteranorum rarissimas fecit, ex senio mortem, ex morte compendium captans" (Suet. Tib. 48) — illum minime saepe agros assignavisse et per se probabile est et auctorum silentio confirmatur. De Caligula nihil notum est. Sic pergere possum.

— ut recte monet Zumpt [1]) — „in possessionibus collocari, quia Augustus providerat, nec opus erat amplius magnopere nec invenitur factum esse ab ullo eorum, qui proxime imperarunt." Quos si praetermitto, unum Nervam excipio, cuius etiam alia in pauperes benevolentia consilia nota sunt. [2]) Idem agris vetere more emendis dividendisque [3]) egentem plebem consolatus esse fertur, de qua re Dio Cassius: „τοῖς τε πάνυ πένησι τῶν Ῥωμαίων ἐς χιλιάδα καὶ πεντακοσίας μυριάδας γῆς κτῆσιν ἐχαρίσατο, βουλευταῖς τισι τήν τε ἀγορασίαν αὐτῶν καὶ τὴν διανομὴν προστάξας." [4])

Quodsi quaerimus num re in universum considerata ex agrariis legibus coloniarumque deductionibus egentes multum commodi cepisse putandum sit, si quid video, id erit negandum. Qui in primis pauperum commoda tuebantur, Gracchi, Rullus, ipse etiam Caesar, eorum consilia omnino aut magna ex parte perversa sunt. Pöhlmann [5]) multos egentes ab imperatoribus in colonias missos esse ille quidem probare conatur, at quae in hanc sententiam promit mera coniectura nituntur. Ut recte cum vi quadam monet Ruggiero, [6]) belli potissimum rationi coloniae serviebant; sin minus, in iis deducendis veteranis loca ac sedes parabantur. Hac ipsa tamen re coloniae magnae utilitati erant. Ut omittam periculum quod communi saluti perpetuo instaret a veteranis in summi imperii domicilio ac sede constipatis, istorum desidiosa turba si Romae

[1]) l. l. pag. 381 seq.
[2]) Cf. infra Caput de Alimentis publicis.
[3]) Plin. Ep. VII, 31, 4.
[4]) Dio Cass. LXVIII, 2, 1.
[5]) l. l. pag. 157—160.
[6]) in Dict. suo epigr. s. v. *colonia*, quae commentatio etiam separatim in lucem prodiit. (*Le colonie dei Romani*, Spoleto 1897.)

mansisset, pauperum numero nescio quantum adiecisset. Verissime igitur idem Pöhlmann docet quantae miseriae quantaque egestas arcerentur intenta illa cura, qua qui summam imperii tenebant veteranis militibus agros assignabant.

Caput II.

De faenore Romanorum.

Notiones, quae in re pecuniaria apud veteres populos praevalebant, a nostris plurimum discrepant. Quas cognitas habere necesse est, si crebras leges quibus Romani usuras minuere conati sunt, et intellegere et iuste iudicare velis. Testis sit Aristoteles, quo altiora in rerum contemplatione studia nemo ex antiquis posuit. Cuius verba quominus nonnusquam paululum praecisa describam — ex versione Latina, quam edidit Academia regia Borussica — mihi temperare nequeo. Inveniuntur in primo libro quem scripsit de re publica. [1])

„Primum dubitaverit aliquis utrum ratio pecuniae quaerendae (ἡ χρηματιστική) eadem sit atque rei familiaris tuendae ratio (ἡ οἰκονομική), an pars aliqua, an eius administra."

Tum ostendit non idem esse rationem tuendae rei familiaris atque artem pecuniae quaerendae: huius enim esse suppeditare, illius uti; et pergit:

„Vivendi genera, quae quidem opera nativa constent (αὐτόφυτον ἔχουσι τὴν ἐργασίαν) et non permutatione aut cauponatione victum suppeditent, haec fere sunt, pecuarium, in agro colendo occupatum, in latrocinando positum, piscatorium, venaticum . . . . . . una igitur species

[1]) Caput 8—11, pag. 1256 seqq.

artis ad quaerendum comparatae, quae naturae congruat (κτητικῆς κατὰ φύσιν), rationis tuendae rei familiaris pars est; cui quidem aut suppetere oportet res necessarias, aut ipsam suppeditare, ut eae pecuniae suppetant ac praesto sint quae recondi ac reponi solent tanquam ad vitam degendam necessariae et ad communionem civitatis aut domus utiles. et vero ex his verae divitiae videntur constare. talis enim rerum partarum et quaesitarum copia bonis omnibus cumulata, nihilque praeterea desiderans, ad bene vivendum non est infinita . . . . . haeret enim divitiis certus aliquis finis, quemadmodum et aliis artibus: nullum enim cuiusquam artis instrumentum neque multitudine infinitum est neque magnitudine immensum, divitiae autem instrumentorum domesticorum et civilium sunt multitudo . . . .

(Cap. 9.) Est autem genus aliud artis quaerendi (κτητικῆς), quam appellant maxime et meritissimo artem pecuniae quaerendae (χρηματιστικήν), propter quam nullus videtur divitiarum et rerum quaesitarum finis esse; quam unam et eandem esse atque eam quae a nobis modo dicta est multi existimant, propter similitudinem ac vicinitatem. sed neque eadem est atque ea quam diximus, neque longo ab illa distat intervallo. (constat autem earum altera natura, altera non natura, sed usu quodam potius et arte tractatur atque exercetur.) atque hinc de ea disputandi exordium sumamus. uniuscuiusque rei quae paratur ac possidetur, duplex usus est. uterque autem per se quidem est, verum non similiter per se, sed alter rei accomodatus ac proprius, alter alienus neque proprius, verbi gratia calceum induere et calceum permutare. utroque enim modo calceo uti licet: nam etiam qui calceo numo aut victu permutat cum eo qui eget calceo, utitur ille quidem calceo, qua ratione calceus est, sed non ex usu proprio: non enim permutationis causa factus calceus est. idemque de aliis rebus quae parantur ac possidentur sentiendum. nam permutandi ratio omnibus in rebus locum habet; eaque primum quidem duxit initium ex eo quod est naturae consentaneum, quia homines aliarum rerum maiorem aliarum minorem copiam, quam satis esset, habebant. ex quo licet intelligere cauponariam seu mercaturam sordidam, quam profitentur atque exercent ii qui ab aliis emunt quod pluris revendant, non esse partem artis pecuniae quaerendae natura: nam quoad eis satis esset, eatenus rerum commutationem necessario facerent. in prima igitur societate, hoc est in domo, perspicuum est commutatione non opus esse, sed tum denique cum iam maior societas est: inter illos enim eorundem omnium erat communio, hi autem a multis semoti ac seiuncti rursus etiam alia communia inter se habebant, quae pro cuiusque egestatibus necesse erat inter se impertiri. quemadmodum etiam nunc multae faciunt barbarae nationes: ipsa enim utilia cum utilibus commutant, nihil amplius, ut vinum pro frumento dantes et accipientes, et unumquidquid aliud tale. talis igitur permutandi ratio neque aversa a natura est neque ulla est artis pecuniae quaerendae species: ad supplendam enim copiam suis

opibus instructam et cumulatam, naturae consentaneam, valebat. ex hac tamen nata illa est convenienter rationi. cum enim subsidium illud fieret magis ac magis externum ac longinquum, partim supportandis iis quibus egebant, partim exportandis quibus abundabant, necessario numi usus comparatus est. non enim facilis est ad portandum unaquaeque earum rerum quae sunt necessariae natura. quapropter ad res contrahendas tale quiddam de communi sententia constituerunt inter se dare et accipere, quod cum esset e numero rerum utilium, usum haberet tractabilem ac facilem ad vitam degendam; quale est ferrum et argentum et si quid tale aliud est, primo quidem simpliciter magnitudine et pondere definitum, ad extremum vero etiam ab iis nota signatum, ut labore metiendi ac ponderandi defungerentur: nota enim impressa est ad quantum significandum. numo igitur ex necessaria permutatione comparato ac suppeditato, alia species artis pecuniae quaerendae orta est, mercatura cauponaria; quae initio quidem fortasse simpliciter factitabatur, postea vero propter usum et peritiam callidius iam atque artificiosius, cum quaereret unde et quomodo permutando plurimum lucri faceret. quocirca videtur ars pecuniae quaerendae maxime in numo versari, et eius esse munus, unde maxima vis pecuniae suppetat, videre ac dispicere posse. existimatur enim divitiarum et pecuniarum causa efficiens esse. divitias enim saepenumero statuunt numorum multitudinem, propterea quod ars pecuniae quaerendae et mercatura cauponaria in hac re versentur. interdum vero contra nugatorium quiddam videtur esse numus, et lege prorsus constare, nullus autem natura, quia ubi, qui eo utuntur, eum immutarunt, nihili est neque ad ullam rem necessariam parandam est utilis, et saepe evenire potest ut is qui numis circumfluit, rebus ad victum necessariis egeat. atqui absurdum est tales esse divitias, quibus qui abundat, fame periturus est; quemadmodum et Midam illum fabulantur, cum omnia quae ei apponebantur, propter optatum inexplebile aurea fierent. quocirca alias quaerunt divitias aliamque pecuniae quaerendae rationem; et merito quaerunt: alia enim pecuniae quaerendae ratio est aliaeque divitiae, nempe naturae congruentes et consentaneae. atque haec quidem ad rationem rei familiaris tuendae pertinet: illa autem cauponaria est, quae pecuniae effectrix est non omni modo, sed pecuniae permutatione. et videtur haec in numo versari: numus enim elementum et extremum est permutationis. infinitae igitur sunt hae divitiae quae ab hac pecuniae quaerendae ratione proficiscuntur. quemadmodum enim medicina sanandi cupida est usque in infinitum et unaquaeque ars finem suum expetit in immensum (quam maxime enim illum consequi et efficere vult), ea autem quae ad finem pertinent, non persequitur infinite (omnibus enim artibus finis est extremum), ita et huius rationis pecuniae quaerendae finis nullum habet extremum. eius autem rationis finis sunt tales divitiae et pecuniarum possessio. rationis autem tuendae rei familiaris, non rationis pecuniae quaerendae, aliquod est

extremum. non enim est hoc rationis tuendae rei familiaris munus, rem augere . . . .

(Cap. 10.) Videre ut pecunia suppetat, aliqua ratione est eius qui rem familiarem tuetur atque administrat, aliqua ratione non est, sed artis ministrae et subservientis. maxime autem, quemadmodum ante dictum est, eam praesto esse oportet natura. naturae enim munus est victum ei quod procreatum est praebere: omni enim eius, unde oritur, reliquum victus est. quare ea pecuniae quaerendae ratio naturae consentanea omnibus est, quae est a fructibus et animalibus. cum sit autem ea duplex, quemadmodum diximus, et altera quidem sit cauponaria, altera ad rem familiarem tuendam pertinens; et haec quidem necessaria sit et laudetur, illa autem, quae in permutatione numi consistit, merito vituperetur (non enim naturae consentanea est, sed in ea alter ab altero lucrum aucupatur), optima ratione omnibus in odio est ratio feneratrix, quod ab ipso numo quaestus fiat et non ad quam rem paratus est usurpent. permutationis enim gratia natus est, fenus autem eum auget et multiplicat. unde etiam apud Graecos hoc nomen reperit (*τόκος* enim a pariendo, quod illi dicunt *τίκτειν*, manavit, et apud Latinos fenus a fetu): similia enim sunt ea quae pariuntur, iis quae gignunt et procreant. in fenore autem pecunia pecuniae partus ac fetus est. quapropter maxime omnium quaerendae pecuniae rationum abhorret haec a natura."

Aristoteles rationem naturalem (*οἰκονομική*) a ratione artificiosa (*χρηματιστική*) seiungens — in illa autem quanti singulae res sint aestimatur ex consumptione (*gebruikswaarde*), in hac ex permutatione (*ruilwaarde*) — prima fundamenta posuit illius doctrinae quam nostrates appellant *Staathuishoudkunde.* [1]) Docent enim illi quoque, qui hanc doctrinam profitentur, populos in infimo cultu et humanitate collocatos illam rationem vitae communis constituendae sequi, qua non nisi res naturales in pretio sint [Germanice *Naturalwirtschaft*], in cultioribus vero terris singularum rerum potestatem ad pecuniam revocari [Germanice *Geldwirtschaft*].

Cave tamen credas in ratione illa naturali pecuniam semper prorsus esse ignotam. Ipse Aristoteles dicit non

---

[1]) Cf. v. Kirchmann, Erläuter. zu des Aristot. Politik (Phil. Biblioth. Bd. 85), No. 20; Roscher, Syst. d. Volkswirthsch., I[18] pag. 289.

omnem permutandi rationem aversam esse a natura: nummum autem ex necessaria permutatione comparatum esse ac suppeditatum. Atqui tum ipsa pecunia secundas partes agit: ei tantum honos est, quoad facultatem det multa consumendi. [1])

Longe aliter vero res se habet, cum pecunia fit mensura, regula et pretium omnium rerum. In promptu manifestumque est tum minus cogitari de usu quem pecunia habet ad necessaria emenda. [2]) Pecunia ipsa multum valet; pecunia ipsa appetitur; „circa pecuniam plurimum vociferationis est. [3])" Talem autem usum pecuniae, qui in permutatione nummi consistit, merito vituperari Aristoteles dicit: non enim naturae consentaneum esse, sed in eo alterum ab altero lucrum aucupari.

Consulto feci quod Aristotelis rationem supra satis accurate perscripsi. In illa enim multa sunt digna quae nostrorum quoque aequalium cogitationes occupent. Quod ne ita intellexeris quasi me fugiat hac fide atque hac ratione pecuniarum quae nunc viget [Germanice *Kreditwirtschaft*] homini magis quam antea facultatem esse oblatam ut terram omnesque eius

---

[1]) Cf. H. v. Scheel in Jahrbb. f. Nationalökon. u. Statist. VI pag. 16: „Freilich wird dieses Geld der Naturalwirthschaft die Qualität als solches noch vornehmlich seinem hervorragenden Consumtionswerthe zu verdanken haben — auf ihn stützt sich noch vorzüglich der Tauschwerth. Das Geld der Naturalwirthschaft ist nicht eine reine Zwischenwaare, sondern zugleich eine vorzügliche Consumwaare, und die Eigenschaft, dass massenhafter Besitz derselben dem Besitzer Reichthum verleiht, liegt weniger darin, dass derselbe Macht zu kaufen, als dass er Fülle zu consumiren giebt." Roscher l. l. pag. 289 adn. 10: „Natural-und Geldwirthschaft bestehen meist neben einander, und man nennt den ganzen Zustand nach der vorherrschenden Seite."

[2]) v. Scheel l. l. pag. 20: „Der Begriff des Tauschwerths wird durch die sich stets mehrenden Geldumsätze stärker ausgebildet und man gewöhnt sich mehr und mehr daran, zunächst nicht den directen Consumtionswerth der Güter, sondern den Tauschwerth zu beobachten."

[3]) Sen. De Ira III, 1, 33.

vires subiciendo ipsam legem expleret, qua creatus esset. [1]) Calvino ut in aliis rebus multis ita in isto quoque genere debetur laus quod rationes acrius perspexit et contra tritum illud mediae (quam dicunt) aetatis *nummus nummum non parit* [2]) pecuniam recte faenore occupari defendit. [3])

Attamen tenendum societatem civilem antiquitus longe aliter fuisse conformatam atque Calvini vel nostris temporibus. Multiplex operarum varietas, officinarum opera immensis finibus descripta, crebra vincula exsoluta, quae operam astrictam tenebant — in his imprimis cogitandum de servitute sublata —, fides, quamvis non prorsus ignota antiquis, nunc in sublime fastigium elata, magna competitorum aemulatio, nescio quae alia, nimium quantum valuerunt ad omnia novanda. Quod idem de pecuniarum ratione dicendum: haec ipsa iam pridem prorsus est commutata.

Divites qui nunc sunt suas copias in omnis generis publicas privatasque rationes conferunt, ut certa quaedam pars lucri ad ipsos redundet. Pecunia credita ipsa se non

[1]) Genes. I, 28.

[2]) De mediae vero aetatis ratione cf. pag. 107 adn. 2.

[3]) Locum quo Calvinus praecipue scripsit de hac re invenias in editione quam curaverunt Baum Cunitz Reuss Vol. X, 1 ubi in Quaestionibus Iuridicis agens *De usuris* haec dicit (pag. 247): „La raison de sainct Ambroyse laquelle aussi pretend Chrysostome est trop frivolle a mon iugement: ascavoir que largent nengendre point largent. La mer, quoy? la terre, quoy? Ie recois pension du louage de maison. Est ce pource que largent y croist? Mais elles procedent des champs dou largent se faict. La commodite aussi des maisons se peust raschepter par pecune. Et quoy? L'argent nest il pas plus fructueux es marchandises, que aulcunes possessions quon pourroit dire? . . . . . . Certes ie confesse ce que les enfans voyent, ascavoir que si vous enfermes largent au coffre il sera sterile. Et aussy nul nempronte de nous a ceste condition affin quil supprime largent oyseux et sans le faire proffiter. Parquoy le fruit nest pas de largent mais du revenu." Si mavis versionem Latinam, invenitur in editione Schipperi (Amst. 1667), Vol IX, Epist. et Respons. pag. 223 seq. De Calvini iudicio cf. etiam Wiskemann, Darstell. der in Deutschl. zur Zeit der Reformat. herrsch. nationalökon Ansichten (1861), pag. 80 seq.; Endemann, Studien in der roman.-kanonist. Wirthschafts- u. Rechtslehre, Vol. I (1874) pag. 41.

multiplicat, sed labor multifariam dispertitus fructus partem vindicat; pecunia quae ad quemque pervenit non nisi adiumentum est, quo aequabiliter varia munera metiamur. Aliter antiqui. Multi viri docti eo rem demittunt, praeter ea quibus natura ipsa facultatem dederit fructus ferendi vel genus suum propagandi, ut agros arbores servos reliquaque animalia, re in universum considerata antiquos nullas res novisse ex se fertiles. Neque, inquiunt, pecuniae inopes ideo mutuabantur, ut rem gererent, sed neccessitate coacti. Itaque cum damno aliorum vulgo se collocupletasse faeneratores. Quamvis cavendum ne plus dicamus quam patiatur veritas, [1]) tamen tota rei imago videtur vera esse. [2]) Quod

---

[1]) Quod haud dubie facit v. Scheel, cum scribit (l. l. pag. 24): „Im Alterthum findet sich die Anschauung vom productiven Kapital nicht. Die alte Welt ging an ihrer Unproductivität zu Grunde und mit ihr die alte Geldwirthschaft." Aliter Billeter, Geschichte des Zinsfusses im gr.-röm. Altertum, quod opus nuper (1898) in lucem emissum est (pag. 241 seq.): „Dass aber infolge genügender Entwicklung der Waarenproduktion und speziell der Mobilisierung des Grund und Bodens — einer Hauptquelle für verzinsliche Darlehnsschulden — jene höhere Stufe schon erreicht war, wo das Leihen auf Zins schon normal funktionell zu sein begonnen hat . . . . . . — das kann gewiss nicht bezweifelt werden und zeigt wohl das in dieser Arbeit vorgelegte Material deutlich." De Platone et Aristotele ita iudicat (ibid.): „Die Angriffe des Plato und Aristoteles sind daher gerade umgekehrt als Reaktion gegen relativ entwickelte Zustände aufzufassen; das hat auch Pöhlmann, Geschichte des antiken Kommunismus und Sozialismus I (1890) p. 235—241 richtig betont."

[2]) Roscher, Ansichten der Volkswirtsch. aus dem geschicht. Standpunkte, pag. 15 (cf. eundem Syst. d. Volkswirthsch., I[18] pag. 109 seq.): „In der wirthschaftlichen Entwickelung jedes höher gebildeten Volkes wiederholen sich drei Perioden, wesentlich entsprechend den drei Factoren, welche zu jeder Production vereinigt werden müssen: Natur, Arbeit und Kapital . . . . Es ist aber das Eigenthümliche der alten Volkswirthschaften, dass sie verhältnissmässig nie sehr weit über die zweite Stufe hinausgekommen sind. Namentlich ist ein grosser Theil desjenigen, was bei uns den Maschinen obliegt, im Alterthume durch Sklavenarbeit gethan worden." — Hac quidem in re mediae aetati quaedam similitudo erat cum antiquitate. Cf. Endemann, Die nationalökon. Grundsätze d. Canonist. Lehre (Aus B. Hildebrand's Jahrb. f. Nationalök. u. Statist. Bd. I. besonders abgedruckt), pag. 81: „Die Zins-

si ita est, vox illa Aristotelis, quam primo aspectu ut stolidam ac prope vecordem tanto viro indignam iudicare velimus, non amplius mira nobis videtur. „Optima ratione omnibus in odio est ratio feneratrix, quod ab ipso numo quaestus fiat et non ad quam rem paratus est usurpent. permutationis enim gratia natus est, fenus autem eum auget et multiplicat." [1])

Aristotelis verba ne nunc quidem prorsus refrixisse dixi. Licet enim Calvini sagacitatem admiremur facileque concedamus hac quoque in re antiquitatem haud quaquam no-

---

verbote, die Unproductivität des Geldes proklamirend, sprechen dem Begriff des im Geld enthaltenen, productiven Werthes, dem Kapital, die Existenz ab." Ibid. pag. 112: „Der *Gebrauchs*werth der Sachen steht entschieden im Vordergrunde der Betrachtung, oder vielmehr er ist der einzige Gegenstand der Betrachtung." Ibid. pag. 135: „Nun ist dargestellt worden, wie das canonische Recht sogar im Gelde die Productivität verleugnete. Es vernichtete den wahren Begriff des Capitals, d. h. des zur Production benutzbaren und daher zu einem Miethgeld für seine Benutzung berechtigten Werthes selbst in dem Gelde."

[1]) Cf. etiam Ludwig Felix, Der Einfluss der Sitten und Gebräuche auf die Entwick. d. Eigenth., pag. 51: „Bei wenig entwickelten wirthschaftlichen Verhältnissen ist die Berechtigung des Zinsennehmens kaum fassbar." Duo praeterea notanda sunt. Unum, antiquos populos et licitas et iniquas usuras uno nomine appellare. Graecis erant δανεισμός et τόκος, Latinis *faenus* et *usura*, Hebraeis מַרְבִּית, תַּרְבִּית, נֶשֶׁךְ. Ne nostrum quidem vocabulum *woeker* vel Germanum *Wucher* olim ita dicebatur ut in vitio nomina haec essent. Reminiscere e. g. Matth. XXV, 27; Luc. XIX, 23. Tum in istis nominibus plerisque proprie inest notio *subolis*, in verbis, unde derivantur, *pariendi*. Ita τόκος a τίκτω, *f(a)enus* a * *feo* (*fetus*), מַרְבִּית (תַּרְבִּית) a רבה *multiplicatus est*, Hiphil *multum fecit*, ita ut מַרְבִּית proprie significet *multitudo*, *magnitudo*, deinde *suboles*, *incrementum familae*, inde *faenus* quasi *summae capitalis incrementum*. Neque aliter Kluge, Etym. Wörterb. d. deutschen Sprache[5], s. v. *Wucher*: „Die ahd. mhd. Bedeutung 'Nachkommenschaft' weist auf eine germ. Wz. wak 'entstehen, tragen.'" Quod nummus autem nummum *pareret* et antiquitati et mediae aetati videbatur naturae repugnare. Cf. pagg. 104, 106.

biscum pari fastigio stare, tamen saeculo quo vivimus „materialismo" (quem vocant) addicto denuo pecuniae ipsi inhiare homines satis constat; usura vorax multos omnibus bonis evertit, acre certamen ortum est inter eos qui rem, et eos qui operam conferunt, conductio operum et rerum omnium commercia fere in paucorum potestatem redacta sunt, ita ut opulenti ac praedivites perpauci prope servile iugum infinitae proletariorum multitudini imposuerint. [1]) Num alienum est hic in memoriam revocare praeclara illa verba quae antiquitus scripsit Aristoteles? Equidem magni fecerim, si homines morem illum abicere et velint et possint quo ficta pretia coemant, tantum ut pluris postea vendant. Quod facientes si una naturae magis convenienter — ut in agris colendis — pecunias collocent, mea quidem opinione res aliquantum minus afflictae futurae sint. [2])

Iam ad Romanos revertamur. Quae ad omnem antiquitatem pertinent, ea non minime cadunt in Romanos, qui „maxime sua esse credebant quae ex hostibus cepissent." [3]) Quomodo divitias sibi colligebant? Facile ad nummos perveniebant qui sive magistratus [4]) sive publicani [5]) in provinciis commorantes ut ita dicam sanguinem mittebant miseris indigenis, qui varia pecuniae negotia gerebant, [6]) qui pecunias

---

[1]) Cf. Leonis Papae XIII Litt Encycl. De Cond. Opif. (Ed. Friburg. pag. 9).

[2]) Etiam „Socialismi" columina (Marx) ad Aristotelem redire docet Schäffle, Bau und Leben des socialen Körpers, I pag. 254.

[3]) Gaius Inst. IV, 16.

[4]) Cic. De Imp. Cn. Pomp. 22, 65 : „Difficile est dictu, Quirites, quanto in odio simus apud exteras nationes propter eorum, quos ad eas per hos annos cum imperio misimus, libidines et iniurias."

[5]) Liv. XLV, 18, 4: „Ubi publicanus est, ibi aut ius publicum vanum aut libertatem sociis nullam esse."

[6]) Qui diversi generis nummos permutabant, et accipiebant pecuniam et erogabant per partes (Dig. II, 13, 9, 2), per mensam argentum credere solebant ad usuram,

faenori dantes non raro gravissimas usuras stipulabantur. [1]) Ipse Plinius in hac re *quaestuosam segnitiam* dicit. [2]) Multi quidem pecunias collocabant. Vulgo tamen aliter atque nos. Quia vectigalia singularum provinciarum a censoribus simul locari solebant, itemque ut melius aleam subire possent, publicani inibant societates, in quibus socii erant ex parte sortis quam ministraverant. [3]) Quin pro varietate rerum infinitae erant redemptorum species, qui opera publica curanda recipiebant, [4]) conducebant praebenda quae ad exercitum opus erant, [5]) et alia generis eiusdem. [6]) Alii pecuniam in ea conferebant quae solo continentur. Omitto eam quam „fundabant nitidis villis" [7]) vel „regiis molibus." [8]) Ut vero ipsa latifundia ingenti numero servorum colenda curabant, [9]) ita varia quoque opera, quae in fundis habebant, [10]) si non locabant conductoribus, servis vel libertinis curanda tradebant. [11]) Paene omnia, quibus dominus egeret, servi ipsi fabricabantur. [12]) Vix opus est dicere divitum pecuniam

---

cetera. Appellabantur argentarii, nummularii, mensarii. Cf. Drumann, Arbeiter u. Communisten, pag. 291; Marq. StV. II² pag. 64 seqq.

[1]) Exemplum afferam. Legimus apud Ciceronem (Ad Att. V, 21, 12): „(Salaminiis) Bruti familiares, freti gratia Bruti, dare volebant quaternis (48%), si sibi senatus consulto caveretur."

[2]) Plin. N. H. XXXIII, 3, 48.

[3]) Marq. l. l. pag. 300.

[4]) Cic. Parad. VI, 46; Liv. XXXIX, 44, 5; etc.

[5]) Cf. e. g. Liv. XXIII, 48, 11.

[6]) Privati quoque homines in eam se consuetudinem adducebant ut opera facienda locarent culturamque agrorum operarum mancipi traderent. Cf. Suet. Vesp. 1.

[7]) Hor. Epist. I, 15, 46.

[8]) Hor. Carm. II, 15, 1 seqq.

[9]) Cf. Sen. De Benef. VII, 10, 5.

[10]) Ut textrinae, histones, figilinae, argenti fodinae et alia metalla, lapicidinae, harenariae, tabernae quoque deversoriae, quas fructuosas fuisse Varro narrat. De hisce omnibus cf. Varro R. R. I, 2, 21 seqq.

[11]) Cf. Marq. Privatl.² pag. 161 seqq.

[12]) Quod tam generaliter dictum impugnant, de imperatorum aetate — cui prisca

magnam partem in servis fuisse collocatam. [1]) Rationes illae quamvis fortasse egregiae essent ad opes comparandas, tamen cum f r u c t u o s o pecuniae usu — qualem nos accipimus — coniunctae fuisse dici non possunt. [2]) Quin etiam commerciis Romanorum ut ita dicam natura erat propria et sua: merces tantum importabant, nihil fere exportabant. [3])

Notionibus rationibusque cognitis quae in re pecuniaria praevalebant apud antiquos, cum simul ante oculos habeamus quantum Romani et decori essent studiosi et rursus avidissime appeterent divitias, iam intellegemus non solum omnium odia arsisse in faeneratores, verum etiam crebras leges fuisse latas quae avaritiam cohiberent et usurarum

---

certe tempora addenda mihi videntur, cum homines paucis contenti nondum illi quidem multos servos habebant (cf. pag. 31 seq.), at paene omnia quibus egebant ipsi conficiebant cum filiis (cf. pag. 26 seq.) — concedunt nonnulli recentiores, ut Max Weber (Röm. Agrargesch. pag. 241) et E. Meyer (Wirtschaftl. Entwickel. d. Altert. pag. 1 seqq.). Weberi verba haec sunt: „Die Autarkie des „Oikos", auf welche Rodbertus [in Jahrbb. f. Nationalökon. u. Statist.; cf. imprimis „Zur Gesch. d. röm. Tributsteuern seit Augustus", I (Vol. IV (1865), pag 339 seqq.)] . . . den gesamten Gang der antiken Wirtschaftsgeschichte gründet, welche aber nach ihm mit der Kaiserzeit im Verschwinden begriffen sein müsste, war also auf den ländlichen Grundbesitzungen zum wesentlichen Teil erst Entwickelungsprodukt (der Kaiserzeit)."

[1]) Marq. l. l.

[2]) v. Scheel l. l. pag. 21: „Wir finden in der römischen Geschichte nirgends den Begriff des productiven Kapitals, sondern nur in Tauschwerthen bestehende Kapitalien: sors, caput, pecunia. Es wird wohl auch von einem vivum gesprochen im Gegensatz zu pecuniae otiosae, aber es ist immer nur Zinsen tragendes Geld, nicht lebendiges, productives Kapital. Daher werden auch die Zinsen nicht als Früchte des Kapitals betrachtet, denn das Geld ist nicht zur Production bestimmt. Es ist etwas rein Consumtibles."

[3]) Strabo XVII, 1, 7: „ταύτῃ δὲ καὶ τὰ ἐκκομιζόμενα ἐξ Ἀλεξανδρείας πλείω τῶν εἰσκομιζομένων ἐστί· γνοίη δ' ἄν τις ἔν τε τῇ Ἀλεξανδρείᾳ καὶ τῇ Δικαιαρχείᾳ γενόμενος, ὁρῶν τὰς ὁλκάδας ἔν τε τῷ κατάπλῳ καὶ ἐν ταῖς ἀναγωγαῖς ὅσον βαρύτεραί τε καὶ κουφότεραι δεῦρο κἀκεῖσε πλέοιεν." Cf. v. Scheel l. l. pag. 22; Momms. R. G. I[8] pag. 854; Voigt in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2[2], pag. 376.

quantitatem circumscriberent. Quid quod apud nos usurae modus ultro terminatur?

Faeneratores multiplici invidia flagrasse ex variis locis facile apparet. Nonnullos afferam. Cato in Prooemio [1]) illius libri quem scripsit de agri cultura hoc dicit: „Maiores nostri sic habuerunt et ita in legibus posiverunt, furem dupli condemnari, feneratorem quadrupli. quanto peiorem civem existimarint feneratorem quam furem, hinc licet existimare." Idem Cicerone auctore faenerari non magis iustum esse censet quam hominem occidere. [2]) — Plautus faeneratores cum lenonibus eodem loco et numero habet. [3]) — Cicero scribit: „Improbantur ii quaestus, qui in odia hominum incurrunt, ut portitorum, ut faeneratorum." [4]) Idem ad Atticum cum contemptu quodam vocabulum tocullionis usurpat. [5]) — Columella: „An foeneratio probabilior sit, etiam his invisa, quibus succurrere videtur?" [6]) — Seneca: „Video istic diplomata et syngraphas et cautiones, vacua habendi simulacra, umbra-[*cula*] avaritiae quaedam laborantis, per quae decipiat animum inanium opinione gaudentem. quid enim ista sunt? quid fenus et calendarium et usura, nisi humanae cupiditatis extra naturam quaesita nomina? Possum de rerum natura

---

[1]) § 1.

[2]) Cic. De Off. II, 25, 89: „Et cum ille, qui quaesierat, dixisset: 'Quid faenerari?', tum Cato: 'Quid hominem', inquit, 'occidere?'"

[3]) Plaut. Curc. IV, 2, 19 seqq.:

„LYCO (TRAPEZITA). Edepol lenones meo animo nouisti, lusce, lepide.
CVRCVLIO (PARASITVS). Eodem hercle uos pono et paro: parissumi estis hibus.
Hi saltem in occultis locis prostant, uos in foro ipso:
Vos faenore, hi male suadendo et lustris lacerant homines.
Rogitationis plurumas propter uos populus sciuit,
Quas uos rogatas rumpitis: aliquam reperitis rimam:
Quasi aquam feruentem frigidam esse ita uos putatis leges."

[4]) Cic. De Off. I, 42, 150.

[5]) Ad Att. II, 1, 12: „Neque te in tocullionibus habebam."

[6]) Colum. I, praef. 8.

queri, quod aurum argentumque non interius absconderit, quod non illis maius quam quod detrahi posset pondus iniecerit: quid sunt istae tabulae, quid conputationes et venale tempus et sanguinolentae centesimae? voluntaria mala ex constitutione nostra pendentia, in quibus nihil est quod subici oculis, quod teneri manu possit, inanis avaritiae somnia." [1]) — Immo Romani tanto tenebantur studio decori, ut Q. Claudius tribunus plebis tulerit legem [2]) „ne quis senator cuive senator pater fuisset maritimam navem, quae plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. id satis habitum ad fructus ex agris vectandos; quaestus omnis patribus indecorus visus." [3]) Tales leges tamen mox

---

[1]) Senec. De Benef. VII, 10, 3, 4. De huius loci interpretatione vide Billeter l.l. pag 233 seq. Ceterum ipsi Senecae religioni non erat quominus Britannos iniquo faenore premeret; nam Dione auctore Britannicum bellum ortum „ὅτι ὁ Σενέκας χιλίας σφίσι μυριάδας ἄκουσιν ἐπὶ χρησταῖς ἐλπίσι τόκων δανείσας ἔπειτ' ἀθρόας τε ἅμα αὐτὰς καὶ βιαίως εἰσέπρασσεν." (Dio Cass. LXII, 2, 1) Cf. etiam Tac. Ann. XIII, 42, et Friedl. Sittengesch. Roms I⁶ pag. 256.

[2]) Lex videtur esse lata anno a. u. c. 534 vel 535 (a Chr. n. 220 vel 219). Cf. Lange Röm. Alt. II³ pag. 162

[3]) Liv. XXI, 63, 3, 4. *Patribus* hic esse coniungendum cum *indecorus* supra monui (pag. 44 adn. 4). Immo senatores quaestum dedecere Romanorum animis tam penitus insitum erat, ut pluribus saeculis post Alexander Severus imperator „senatores si fenerarentur, usuras accipere primo uetu(er)it, nisi aliquid muneris causa acciperent; postea tamen iussit ut semisses acciperent, donum munus tamen sustulit". (Lamprid. Alex. Sev. 26, 3) Ineptam esse Mommsenii coniecturam, qui pro *postea tamen iussit* legi iubet (StR. III pag. 899 adn. 5) *postea admisit,* monet Billeter (l.l. pag. 276 adn. 1 coll. pag. 172); *iussit ut semisses acciperent* enim idem esse atque *iussit ut usque ad (non plus quam) semisses* (6⁰/₀) *acciperent.* [Huius usus alterum exemplum vide infra pag. 119] Ceteri creditores usque ad alterum tantum (12⁰/₀) acciperent tunc licuisse infra docui (pag. 119 seq). Idem Billeter (pag. 276 seqq.) conferendus de legibus etiam recentioribus quibus senatores aut pecunias faenore occupare omnino vetabantur aut in faenerando intra semisses usuras cohibebantur. — Cf. etiam Gardthausen, Augustus u. seine Zeit, I pag. 576: „Die alten Gesetze, welche den Senatoren Handel und Gewerbe verboten, hat das Kaiserreich erneuert; ein Senator durfte nur Gutsbesitzer sein".

in oblivionem venerunt. [1]) Haud dubie ipsa Romanorum avaritia in causa erat. Vim legis eludere ne Cato quidem censorius religioni ducebat, [2]) vir qui ceterum tam celebrati nominis famam habebat, ut Seneca dicere non dubitaret: „(Catonem) tam e republica fuit nasci quam Scipionem, alter enim cum hostibus nostris bellum, alter cum moribus gessit." [3]) Legimus enim de Catone: „ἐχρήσατο δὲ καὶ τῷ διαβεβλημένῳ μάλιστα τῶν δανεισμῶν τῷ ἐπὶ ναυτικοῖς [4]) τὸν τρόπον τοῦτον. ἐκέλευε τοὺς δανειζομένους ἐπὶ κοινωνίᾳ πολλοὺς παρακαλεῖν, γενομένων δὲ πεντήκοντα καὶ πλοίων τοσούτων αὐτὸς εἶχε μίαν μερίδα διὰ Κουϊντίωνος ἀπελευθέρου τοῖς δανειζομένοις συμπραγματευομένου καὶ συμπλέοντος. ἦν δ' οὖν οὐκ εἰς ἅπαν ὁ κίνδυνος, ἀλλ' εἰς μέρος μικρὸν ἐπὶ κέρδεσι μεγάλοις." [5]) Ex illis verbis quae addit „διὰ Κουϊντίωνος ἀπελευθέρου" cognoscimus quaenam artificia excogitarent, ut verba ac litteras legis sequerentur. Haec usitata res erat, ut conductoribus, libertinis servisve talia negotia gerenda traderent quae ipsos dedecere sentiebant. [6]) Ita tamen ne sordidissimum quidem in modum pecuniam facere quicquam pensi habebant. [7])

---

[1]) Cic. Verr. V, 18, 45: „Noli metuere, Hortensi, ne quaeram, qui licuerit aedificare navem senatori. Antiquae sunt istae leges et mortuae, quem ad modum tu soles dicere, quae vetant."

[2]) Mommsen (R. G. I⁸ pag. 856 adn.) Catonem hoc probro solvere conatur: quo iure mihi non liquet. Ipsum tamen asperiorem in faenore coercendo ex Sardinia insula faeneratores fugavisse narrat Livius (XXXII, 27, 3, 4).

[3]) Senec. Ep. Mor. XIII, ep. 2 (87), 9.

[4]) Hoc faenus, quod Latine dicitur *nauticum*, usque ad Iustinianum non fuit circumscriptum ob maris et negotiationis aleam. Cf. Marq. StV. II² pag 64. De „nautico faenore" copiose egit Billeter l.l. pag. 242 seqq., 323 seqq.

[5]) Plut. Cato mai. 21.

[6]) Cf. Marq. Privatl.² pag. 166; Friedl. l.l.

[7]) Hic mihi in mentem venit narratiunculae illius, quam tradit Suetonius de Vespasiano (Vespas. 23): „Reprehendenti filio Tito, quod etiam urinae vectigal commentus esset, pecuniam ex prima pensione admovit ad nares, sciscitans *num odore offenderetur;* et illo negante *Atqui* inquit *e lotio est*". Et in Digestis (V, 3, 27, 1)

Mirabili ingenii acumine Cicero, officiorum ille conformator, doctrinam ad usum adiungere conatur. „Inliberales autem," inquit, [1]) „et sordidi quaestus mercennariorum omnium, quorum operae, non quorum artes emuntur; est enim in illis ipsa merces auctoramentum servitutis. Sordidi etiam putandi, qui mercantur a mercatoribus, quod statim vendant; nihil enim proficiant, nisi admodum mentiantur; nec vero est quicquam turpius vanitate. Opificesque omnes in sordida arte versantur; nec enim quicquam ingenuum habere potest officina. [2]) Minimeque artes

hoc praescriptum legimus: „Sed et pensiones, quae ex locationibus praediorum urbanorum perceptae sunt, venient, licet a lupanario perceptae sint; nam et in multorum honestorum virorum praediis lupanaria exercentur." Cf. etiam Iuv. XIV 200 seqq., ubi „clamosus iuvenem pater excitat":

„Pares quod vendere possis
Pluris dimidio, nec te fastidia mercis
Ullius subeant ablegandae Tiberim ultra,
Neu credas ponendum aliquid discriminis inter
Unguenta et corium; lucri bonus est odor ex re
Qualibet. illa tuo sententia semper in ore
Versetur dis atque ipso Iove digna poeta:
"Unde habeas, quaerit nemo, sed oportet habere".
Hoc monstrant vetulae pueris repentibus assae,
Hoc discunt omnes ante alpha et beta puellae."

1) De Off. I, 42, 150, 151.

2) Operam contemptam fuisse iam saepius monui. Cf. pagg. 2, 32, 46, 64. Huius rei praecipuam causam plane et omnino quod sciam a viris doctis servitiis assignari solet. Ab iis prorsus dissentit Ed. Meyer, cuius opinio utique commemoranda mihi videtur. Scribit enim (Wirtschaftl. Entwickel. d. Altert., pag. 34): „Die soziale Kluft zwischen den Grundbesitzern und den Angehörigen der höheren, der sogenannten freien Berufe und den Subalternen, den Handwerkern, den Arbeitern ist genau so gross wie im Altertum, einem modernen Gelehrten scheint es im allgemeinen ebenso unnatürlich und degradierend, dass sein Sohn Handwerker wird, wie einem antiken, der Kaufmann sieht in unseren modernen demokratischen Handelsstädten mit derselben Geringschätzung auf den kleinen Geschäftsmann und den Krämer herab, wie in Athen der ἔμπορος auf den κάπηλος, und wie tief die Anschauung von der Verwerflichkeit des Geldgeschäfts im Volksbewusstsein wurzelt, wird uns ja gerade gegenwärtig durch das ständige Anwachsen der antisemitischen Bewegung drastisch vor Augen geführt." Vitium est ubique quod nimium est. Nescio tamen an Meyer hic magis peccet quam viri docti quos impugnat.

eae probandae, quae ministrae sunt voluptatum:

Cetárii, lanií, coqui, fartóres, piscatóres, ut ait Terentius; adde huc, si placet, unguentarios, saltatores totumque ludum talarium. Quibus autem artibus aut prudentia maior inest aut non mediocris utilitas quaeritur, ut medicina, ut architectura, ut doctrina rerum honestarum, eae sunt iis, quorum ordini conveniunt, honestae. Mercatura autem, si tenuis est, sordida putanda est; sin magna et copiosa, multa undique apportans multisque sine vanitate inpertiens, non est admodum vituperanda, atque etiam, si satiata quaestu vel contenta potius, ut saepe ex alto in portum, ex ipso portu se in agros possessionesque contulit, videtur iure optimo posse laudari." Viro, ipsi equestri loco nato, qui, ut mos est novorum hominum, nobilium gratiam aucupabatur, nihil hercule facilius erat quam contemnere eos qui in sudore vultus sui pane vescerentur, sibi contra suique generis hominibus sumere magnas facere mercaturas, e quibus cum maximam pecuniam redegissent „otium et oppidi laudabant rura sui," [1]) quaestum quem fecerant in colendos agros insumentes. [2])

Quomodo autem a locupletium sordibus faeneratorumque astutiis tegebantur miseri inopes, qui pecuniam mutuari coacti erant? Crebra sunt leges plebi scita iudicia quibus Romani avaritiam cohibere usurarumque quantitatem circumscribere conati sunt. Ex ipsa hac frequentia facile conicias ea parum fuisse efficacia. In praecipuis consiliis hic paucis commorandum est. [3])

---

[1]) Hor. Carm. I, 1, 15.

[2]) Ita postrema verba illius loci Ciceroniani interpretatur Marq. I l. pag. 402.

[3]) Multa huc pertinentia et accuratissime et copiosissime nuper tractavit Billeter

Vetera tempora brevi in conspectu posuit Tacitus. [1]) Cognoscimus inde „primo duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario faenore [2]) amplius exerceret, cum antea ex libidine locupletium agitaretur; dein rogatione tribunicia ad semuncias redactum, postremo vetita(m) versura(m).“ Lex illa de unciario faenore tamen mox esse abrogata vel neglecta videtur. [3]) Livius saltem de anno a. u. c. 397 (a. Chr. n. 357) scribit: „Haud aeque laeta patribus insequenti anno C. Marcio Cn. Manlio consulibus de unciario faenore a M. Duillio L. Menenio tribunis plebis rogatio est perlata; et plebs aliquanto eam cupidius scivit.“ [4]) De semunciis Livius quoque meminit scribens T. Manlio Torquato C. Plautio consulibus (anno a. u. c. 407 = a. Chr. n. 347) „semunciarium tantum ex unciario faenus factum.“ [5]) Po-

in opere quod supra (pag. 107 adn. 1) iam commemoravi. Cf. etiam Streuber, Der Zinsf. b. d. Röm; Baumstark in Pauly's Real-Encycl. s. v. *fenus;* Daremb. et Sagl., Dict des Antiq., s. v. *foenus*; Marq. StV. II² pag. 57 seqq.; etc.

[1]) Tac. Ann. VI, 16.

[2]) De unciario faenore supra iam dixi (pag. 27 adn. 5. Cf. tamen ad hunc locum *Addenda et Corrigenda* in disputationis fine). Mera coniectura nititur opinio Göttlingii, ex qua faenus unciarium iam ad Servium Tullium vel ad primam secessionem plebis revocandum sit. Cf. Streuber, Der Zinsf. b. d. Röm., pag. 7 seqq.; Billeter l. l. pag. 116. Ceterum de faenore unciario idem haec iudicat (l. l. pag. 124): „Allerdings wissen wir nichts über das Verhältnis des f. u. zum thatsächlichen Zinsfuss, wir wissen nicht, ob zur Zeit der XII Tafeln das f. u. unter dem üblichen Zinssatze stand, oder ihm etwa gleich war, ob erst die gallische Katastrophe den Zinsfuss so steigerte, dass das f. u. hinter ihm zurückblieb etc Soviel wird man aber sagen dürfen, dass jedenfalls schon zur Zeit der XII Tafeln ein gewisses Bedürfnis bestimmter Kreise bestand, gegen zu hohe Zinsen gesetzlich geschützt zu sein, woraus sich anderseits auch die Neigung anderer Kreise ergiebt, eben solche Zinsen zu erlangen; diese waren wohl vorzugsweise Patrizier.“

[3]) Eo redeunt virorum doctorum opiniones, qui quoniam Livium cum Tacito discrepare dicas, variis modis hanc discrepantiam tollere conati sunt. Opiniones illas composuit et examinavit Billeter l. l. pag. 116 seqq.

[4]) Liv. VII, 16, 1 (Cf. 19, 5)

[5]) Liv. VII, 27, 3. De semunciario faenore Billeter l. l. pag. 134: „So wird man dagegen hier mit einiger Sicherheit sagen können, dass das fenus semiunciarium ($4^1/_6$%. . . . .) damals einen Satz vorstellte, der in keiner Weise das normal Üb-

strema Taciti verba *postremo vetita usura* interpretibus multum negotii facesserunt. Sine dubio eodem respicit Livius, cum scribit: „Praeter haec invenio apud quosdam L. Genucium tribunum plebis tulisse ad plebem, ne faenerare liceret. [1]) Et fortasse Appianus: „νόμου τινὸς παλαιοῦ διαγορεύοντος μὴ δανείζειν ἐπὶ τόκοις, ἢ ζημίαν τὸν οὕτω δανείσαντα προσοφλεῖν." [2]) Multi viri docti Romanas rationes parum perspicientes summaeque dementiae esse iudicantes omnem faenerationem vetare, ad huius legis nimis coactas interpretationes decurrunt. [3]) Si memor sis eorum quae dixi de notionibus et rationibus quae in re pecuniaria apud antiquos praevalebant, item de decori cura Romanorum moribus penitus insita, iam intelleges nihil obstare quin ponamus revera Genucium anno a. u. c. 412 (a. Chr. n. 342) talem legem tulisse, [4]) quae humanissimo cuique probata, quia

---

liche bedeutete, dass vielmehr damit unter die Grenze gegangen war, die auch für ganz normale — durchaus nicht wucherische — Darlehen thatsächlich nach unten bestand."

[1]) Liv. VII, 42, 1.

[2]) Appian. B. C. I, 54. Utrum Appianus ipsam legem Genuciam respiciat an recentiorem aliquam quae illam renovarit paulumque immutaverit incertum. De hac quaestione cf. Billet. l. l. pag. 144 seqq.; item de lege quadam Marcia „aduersus faeneratores" incerti anni, quam Gaius commemorat (IV, 23), „ut si usuras exegissent, de his reddendis per manus iniectionem cum eis ageretur." Hanc ipsam fuisse Appiani παλαιὸν νόμον, qua Genucia renovata sit conicit Billeter.

[3]) Ita Lange (Röm. Alt. II³ pag. 41 seqq.) tantum faenus iniquum exercere hac lege fuisse coercitum suspicatur, quod ipsi scriptores Latini non intellegentes rem vulgaverint. Similia expromunt Schwegler (R. G. II pag. 215), Madvig (Verf. u. Verw. II pag. 190), Herzog (Gesch. u. Syst. d. röm. Staatsverf. I pag. 250 seq.), alii. Ihne (Röm. Forsch. pag. 103) — quem in explicando cur semper patricios creditores cum debitoribus plebeis compositos videamus, mirum quantum a vulgatis opinionibus discrepare supra monui (pag. 37 adn. 7) — *faenerare* hoc loco idem esse atque *decumas exigere ex agris* conicit. Hos omnes refutat Billeter l. l. pag. 135 seqq. Ceterum de Livii expositione et de auctoribus quos in scribendo secutus est cf. idem l. l. pag. 146 seqq.

[4]) Omnem faenerationem fuisse vetitam praeter Billeter etiam sumunt Mommsen (R. G. I⁸ pag. 302), Marquardt (StV. I² pag. 59), etc.

quicquid ingenui in animis insitum habebant prorsus cum illa congruebat, faeneratorum astutiis quam impar esset mox apparuit. Patet igitur Taciti *versuram facere* hoc loco nihil aliud esse quam *mutuam pecuniam sumere.* [1])

Luce clarius est hanc legem a popularibus perlatam iam evanuisse antequam rata esse coeperit. [2]) Pecuniam faenore et dare et accipere Romani pergebant. Ne iniquum quidem faenus exercere faeneratores efficaciter prohiberi poterant. In hac re senatus consultum anni a. u. c. 703 (a. Chr. n. 51) nullo modo omitti licet, „ut centesimae perpetuo faenore ducerentur". [3]) Satis copiose Billeter docet [4]) in his verbis inesse duas res: *a* „ut centesimae ducerentur"; *b* „ut perpetuum faenus duceretur", quod idem sit atque „ut centesimae observarentur sine anatocismo sive perpetuo faenore ducto." *Centesimas* autem hic interpretandas esse *usuras usque ad centesimas,* [5]) ideoque senatus consulto cautum fuisse ne in usuris stipulandis centesimas (12%) [6]) excederent; postremis verbis renovationem singulorum annorum sive anatocismum fuisse vetitam. Hoc senatus consultum cuiusdam momenti est.

---

[1]) Locutionis sic usurpatae Billeter varia exempla contulit (ut Cic. Pro Flacc. 20, 48). *Versurae* vox habet illa quidem etiam antiquiorem intellectum. Utrumque et antiquiorem et recentiorem docet Paulus Diaconus, cuius verba supra laudavi (pag. 39 adn. 3). Schwegler (R. G. II pag. 215) autem, alii, Ritter (ad Tac. Ann. VI, 16 (1834)) secuti *versuram facere* hoc loco interpretantur tanquam *renovare faenus in singulos annos.* Hanc tamen esse fictam notionem, quam primus Niebuhr subiecisse videatur, ostendit Billeter. De *versurae* significatione praeter Billeter (l. l. pag 137 seqq.) cf. Daremb. et Sagl. l. l; Marq. l. l pag. 63.

[2]) In hoc omnes consentiunt, qui quidem usuras exigi prorsus vetitum fuisse sumunt. Cf. Momms. R. G. I[8] pag. 302; Billet. l. l. pag. 153 cum adn. 2.

[3]) Cic. Ad Att. V, 21, 13. De anno huius senatus consulti cf. Billet. l. l. pag. 170 adn. 1.

[4]) l. l. pag 171 seq. Apud eundem huius loci difficilis vide alias interpretationes.

[5]) Huius usus alterum exemplum vide supra. pag. 113 adn. 3.

[6]) Sullae fere temporibus usurarum ratio mutata erat. Ex more Graecorum iam *singulis mensibus* pendebatur pars sortis centesima, qui usurae modus vocatur centesimae (12%).

Cum enim quod Lucullus primus caverat de anatocismo, item de usuris centesimis, quibus ne graviores cuiquam in provinciis suis Asia Ciliciaque accipere liceret, [1]) id ad totum imperium Romanum extendebatur, tum idem usque ad Iustinianum institutum mansit. [2]) Tantum tamen aberat ut reapse faenus iniquum prorsus reprimeretur, ut non semel vel gravissimae usurae commemorentur. Quam rem non longius persequar, quia qui in hunc modum exinaniebantur plerumque aut provinciales erant aut prodigi qui honoribus inservientes plurimum pecuniae insumerent in omne genus largitiones vel ceteroqui se in pecuniis sumptuosius iactarent. [3]) Alterum illud „ut perpetuum faenus duceretur" non minus e debitorum re erat; [4]) idemque in iuris consultorum commentariis repetitum videmus. [5])

Tacitus mentionem facit cuisdam „leg(is) dictatoris Cae-

---

[1]) Plut. Luc. 20: „Πρῶτον μὲν γὰρ ἑκατοστὴν (i. e. $12^{0}/_{0}$) ἐκέλευσε καὶ μὴ πλέον εἰς τοὺς τόκους λογίζεσθαι· δεύτερον δὲ τοὺς μακροτέρους τοῦ ἀρχαίου τόκους ἀπέκοψε."

[2]) Cf Momms. R. G. III[8] pag. 537 seq; Billet. l. l. pag. 173 seq. Idem pag. 267 seqq. plures ex iuris consultis laudat locos qui docent Caesarianis temporibus non alium valuisse usurarum modum nisi qui terminatus fuerat senatus consulto anni 703. — De „faenore nautico" tamen, quod dicitur, cf. pag. 114 adn 4.

[3]) Cf. Marq. l. l. pag. 62. De Bruti avaritia qui quaternas centesimas ($48^{0}/_{0}$) a Salaminiis postulabat lege Cic. Ad Att. V, 21; VI, 1—3 (cf. supra pag. 110 adn. 1 et Billeter l. l. pag. 98 seq); de Senecae cf. pag. 113 adn. 1. Ex Iuv. IX, 7 seq: „Pollio, qui triplicem usuram praestare paratus Circuit et fatuos non invenit" viri docti colligunt (cf. Billeter pag. 234 seq.) faeneratores Iuvenalis temporibus non raro ternas usuras ($36^{0}/_{0}$) percepisse e pecunia. Haec omnia tamen exsuperantur a Fufidio illo Horatiano, qui „Quinas hic capiti mercedes (= $60^{0}/_{0}$!) execat, atque Quanto perditior quisque est, tanto acrius urget." (Hor. Serm. I, 2, 14 seq.)

[4]) Immo vero Marq. l. l. pag. 63: „Aus der Bezeichnung *anatocismus anniversarius* lässt sich indessen schliessen, dass es auch Wuchergeschäfte gab, bei welchen die Zinsen monatlich capitalisirt wurden, was den Schuldner in der allerkürzesten Zeit zu Grunde richten musste." Aliter tamen Baumstark l. l. pag. 455.

[5]) Cf. eos qui de *anatocismo* scripserunt, quos vide apud Pauly-Wissowa, Real-Encycl. I[2] s. v. (pag. 2070 seq.)

saris, qua de modo credendi possidendique intra Italiam cavetur". [1]) Quid haec lex continuerit pro certo affirmari nequit, videtur tamen pro cuiusque possessionibus sanxisse quam pecuniam quis in faenore habere liceret. [2]) Sine dubio haec lex effecisset aliquid boni, si facultatem habuisset; addit tamen Tacitus eam Tiberio imperium tenente fuisse „omissam olim, quia privato usui bonum publicum postponitur." Tiberius autem illam legem ab oblivione vindicans paulumque intendens [3]) „per senatus consultum sanxi(t), ut foeneratores duas patrimonii partes in solo collocarent, debitores totidem aeris alieni statim solverent." [4]) Res misere ad irritum cecidit. Cuncta, ut sunt acta, narravit Tacitus. [5]) Tandem Caesar opem tulit ille quidem „disposito per mensas miliens sestertio factaque mutuandi copia sine usuris per triennium", sed iis tantum qui aerario „in duplum praediis cavisse(n)t." [6])

---

[1]) Tac. Ann. VI, 16.

[2]) Cf. Momms. R. G. III[6] pag. 537; Lange o. l. III[2] pag. 435; Billet. l. l. pag. 176. Mommsenii coniectura digna est quam exscribam: „Für den italischen Geldverkehr wurde eine Maximalsumme der dem einzelnen Capitalisten zu gestattenden Zinsdarlehen festgestellt, welche sich nach dem einem jeden zuständigen italischen Grundbesitz gerichtet zu haben scheint und vielleicht die Hälfte des Werthes desselben betrug . . . . . Wenn es gelang diese Vorschriften praktisch durchzuführen, so wurde jeder italische Geschäftsmann dadurch genöthigt vor allem zugleich auch italischer Grundbesitzer zu werden und die Klasse der bloss von ihren Zinsen zehrenden Capitalisten verschwand in Italien gänzlich. Mittelbar wurde damit auch die nicht minder schädliche Kategorie der überschuldeten und der Sache nach nur für ihre Gläubiger das Gut verwaltenden Grundeigenthümer wesentlich beschränkt, indem die Gläubiger, wenn sie ihr Zinsgeschäft fortführen wollten, gezwungen wurden selber sich anzukaufen." — Hac lege de u s u r a r u m quantitate nihil cautum esse Billeter probat (l. l. pag. 175 seqq.) contra multos viros doctos, ut Streuber, Madvig, Friedländer, Dräger.

[3]) Tiberius legem Iuliam paulum intendisse suo iure sumunt viri docti. Cf. Billet. l. l. pag. 176.

[4]) Suet. Tib. 48.

[5]) Tac. Ann. VI, 16, 17. Cf. Dio Cass. LVIII, 21, 4, 5.

[6]) Tac. l. l. Cap. 17.

Simile quid iam Augustus fecerat qui Suetonio teste „quotiens ex damnatorum bonis pecunia superflueret, usum eius gratuitum iis qui cavere in duplum possent ad certum tempus indulsit". [1]) Idem auctore Zonara circa annum a. u. c. 756 (p. Chr. n. 3) iis qui inopia premerentur sestertium sescenties in triennium mutuum dedit sine usura. [2])

Restat ut pauca dicam de tribus locis e Scriptoribus Historiae Augustae. Sunt: *a* Iul. Capit. Anton. Pius 2, 8: „Idem fenus trientarium, hoc est minimis usuris exercuit, ut patrimonio suo plurimos adiuuaret"; — *b* Lamprid. Alex. Sev. 21, 2: „Fenus publicum trientarium exercuit ita ut pauperibus plerisque sine usuris pecunias dederit ad agros emendos, reddendas de fructibus"; — *c* Ibid. 26, 2: „Usuras feneratorum contraxit ad trientes pensiones, etiam pauperibus consulens." Illos „plurimos", quos Antoninus Pius patrimonio suo adiuvisse fertur, fuisse senatores non sine veritatis specie sumit Friedländer. [3]) Hunc locum igitur mittere licet. Non ita ceteros ambo. Incommode accidit quod Historiae Augustae Scriptores tam mali sunt Latinitatis auctores, ut sint compluribus locis etiam obscuri. In his etiam ducenda sunt quae hic narrantur de Alexandro Severo: interpretibus multum negotii facesserunt. [4])

---

[1]) Suet. Aug. 41.

[2]) Zonar. X, 36: „χιλίας καὶ πεντακοσίας μυριάδας δραχμῶν ἀτόκους τοῖς δεομένοις δανείσας ἐπ' ἔτη τρία ἐπῃνεῖτο παρὰ πάντων."

[3]) Sittengesch. Roms I⁶ pag. 256. De hoc loco cf. etiam Billet. l. l. pag. 196 seq.

[4]) Duruy, Hist. d. Rom., VI pag. 292 ita priorem locum intellegit: „Il prêta de l'argent à des familles pauvres pour qu'elles pussent acheter de la terre et ne leur demanda qu'un intérêt de 3 [lege : 4] pour 100 payable sur les produits des fonds." Billeter hanc explicationem reicit, quia est: „„sine usuris" und „reddendas" (sc. pecunias) de fructibus, nicht etwa „ut usuras penderent de fructibus."" Ipse Billeter putat inepte has duas res coniunctas esse: „1) fenus publicum trientarium exercuit 2) pauperibus plerisque pecunias dedit etc." De utroque loco pluribus verbis Billeter disputat l. l. pag. 214 seqq.

Mihi omnia recte procedere videntur, si *ita ut* interpreteris *ita tamen ut* (Belgice: *met dien verstande, dat*). Sententia igitur haec est. E fisco pecunias faeneratus esse dicitur usuris trientibus, ita tamen ut pauperibus plerisque sine usuris pecunias dederit ad agros emendos, quas pecunias de fructibus reddere eos oporteret. Quod altero loco narratur tale esse credo. Severum, ut ipse „trientarium faenus exercuit", ita faeneratorum quoque usuras ad tertiam centesimae partem contrahere conatum esse, ut scilicet pauperibus opitularetur. Quod contra disputat Billeter, credi vix posse imperatorem tam stolidum quid instituisse, quod effici non posse quisque videre poterat, [1]) id leve est. Cogita de ridicula illa rogatione Genucia „ne faenerare liceret" [2]) nec non de media aetate (quam dicunt), cum homines faenerationem legibus prohiberi posse opinabantur. Quid obstat quin sumamus Severum Alexandrum, cum senatores usuras accipere prorsus vetaret, et hoc sibi sumpsisse, ut faeneratores coerceret, postea tamen, cum senatoribus semisses concederet, illud quoque de faeneratoribus sustulisse?

De usuris haec sufficiant. Maius sane, at idem indignum auxilium ferebant tabulae novae. Hae enim „quid habent argumenti, nisi ut emas mea pecunia fundum, eum tu habeas, ego non habeam pecuniam?" [3])

Iam inde a vetustissimis temporibus tabulas novas a plebe

---

[1]) „Alexander Severus hätte damit einen Unsinn begangen: dass sich der Zinsfuss damals nicht auf 4 °/₀ beschränken liess . . . . . . das sehen wir leicht ein . . . . . Zumal wird die Sache absurd, wenn man mit dem Verfasser der Vita vorzugsweise an die „pauperes" denkt, die durch diese Massregel beglückt werden sollten; gewiss hätten solche zahlungsunfähige kreditschwache Leute gern zu 4 °/₀ Geld genommen, wenn es jemand gab!"

[2]) Cf. supra pag. 118.

[3]) Cic. De Off. II, 23, 84.

efflagitatas fuisse legimus. [1]) Idque non tantummodo cum in lentos infitiatores tam graviter saeviebatur quam supra scripsi; [2]) sed etiam postquam anno a. u. c. 428 (a. Chr. n. 326) [3]) „plebei Romanae velut aliud initium libertatis factum est." Tunc enim — omnibus nota lex est, quae dicitur Poetelia Papiria — „iussi. consules ferre ad populum, ne quis, nisi qui noxam meruisset, donec poenam lueret, in conpedibus aut in nervo teneretur; pecuniae creditae bona debitoris, non corpus obnoxium esset." [4]) At turbulento potissimum illo saeculo quod Caesarum principatum attulit, multitudinis animi ad tabularum novarum spem exardescebant. [5])

Breviter commemorandae sunt praecipuae leges ad hunc locum pertinentes.

Anno 377 „tribuni C. Licinius et L. Sextius promulgavere leges omnes adversus opes patriciorum et pro commo-

---

[1]) Ut cum plebs in montem sacrum secessisset, plebi tabulae novae indulsae esse feruntur, dummodo in urbem redirent. Cf. Dion. Halic. VI, 83, 4, 5. Videtur tamen esse ficta memoria. Cf. Voigt Leges Regiae pag. 184.

[2]) pag. 38 seqq.

[3]) Annus non constat. Ego cum plerisque Livium secutus sum. Ex aliorum opinione erat a. u. c. 441 (a. Chr. n. 313).

[4]) Liv. VIII, 28.

[5]) Roscher, Syst. d. Volkswirthsch., I[18] pag. 182: „Tabulae novae des Cinna, Catilina, Caelius, Dolabella: sie waren vorzugsweise auf rechtswidrige Entlastung des mit fremdem Kapitale erkauften Grundeigenthums berechnet. (Cic. De off. II, 23.)" — Voigt in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2[2], pag. 361: „Unter dem Zusammenwirken aller jener Verhältnisse nun entwickelte sich die von der Vorzeit überlieferte soziale Frage mit ihren agrarischen Bestrebungen zu rein kommunistischen Tendenzen, welche sowohl die Bürgerkriege und öfteren Revolten unterstützten, als auch in den Anforderungen auf *leges frumentariae*, wie *de novis tabulis* und *de mercede habitationum remittenda* hervortraten." — De antiquioribus consiliis minus facile iudicare possumus. De iis Momms. R. G. I[8] pag. 302 seq.: „Eher liesse sich umgekehrt fragen, ob nicht die schlechte Demagogie sich damals schon dieser Angelegenheit bemächtigt gehabt und ob es wirklich so gewaltsamer und gefährlicher Mittel bedurft habe, wie zum Beispiel die Kürzung der gezahlten Zinsen am Capital ist. Unsere Acten reichen nicht aus, um hier über Recht und Unrecht zu entscheiden."

dis plebis, unam de aere alieno, ut deducto eo de capite, quod usuris pernumeratum esset, id, quod superesset, triennio aequis pensionibus [1]) persolveretur". [2]) Anno a. u. c. 537 (a. Chr. n. 217) cum „plac(eret) denarium sedecim assibus permutari", [3]) seni deni asses denis reddi concessum est. Anno denique a. u. c. 668 (a. Chr. n. 86) vel fortasse iam paulo ante Valerius Flaccus cuiusdam legis auctor fuit, „qua creditoribus quadrantem solvi iuss(it)", [4]) vel ut est apud Sallustium „propter magnitudinem aeris alieni . . . argentum aere solutum est". [5])

Venimus ad Caesarem. Magna vis tribuenda est iis quae C. Julius Caesar fecit ad obaeratis succurrendum. [6]) Is enim terra bello civili flagrante — ut ipsius verbis utar — „cum fides tota Italia esset angustior neque creditae pecuniae solverentur, constituit, ut arbitri darentur; per eos fierent aestimationes possessionum et rerum, quanti quaeque earum ante bellum fuisset, atque hae creditoribus traderentur. [7])

---

[1]) Ita Weissenb.-Müller. • In codd. est *portionibus*.

[2]) Liv. VI, 35, 4. De hac lege cf. Clason R. G. I (IV) pag. 186—196.

[3]) Plin. N. H. XXXIII, 3, 45. De hac lege, quae vulgo appellatur Flaminia minus solvendi cf. Marq. l. l. pag. 16 cum adn. 9 et pag. 57; Momms. Röm. Münzw. pag. 379; Lange Röm. Alt. II³ pag. 167 (I³ pag. 496).

[4]) Vell. Paterc. II, 23, 2.

[5]) Sall. Cat. 33, 2.

[6]) De Caesaris consiliis lege Momms. R. G. III⁸ pag. 534 seqq.; Lange o. l. III² pag. 421 seq. (coll. II³ pagg. 661 seq., 694).

[7]) Quomodo haec lex cum Poetelia Papiria cohaereat vide Momms l. l. pag. 536: „Das poetelische Gesetz hatte zwar dem nur durch Verlegenheiten, nicht durch wahre Ueberschuldung augenblicklich zahlungsunfähig Gewordenen verstattet durch Abtretung seiner Habe die persönliche Freiheit zu retten (I, 302); für den wirklich Ueberschuldeten jedoch war jener Rechtssatz wohl in Nebenpuncten gemildert, aber in der Hauptsache durch ein halbes Jahrtausend unverändert festgehalten worden; ein zunächst auf das Vermögen gerichteter Concurs kam nur ausnahmsweise vor dann, wenn der Schuldner todt oder seines Bürgerrechts verlustig gegangen oder nicht aufzufinden war. Erst Caesar gab dem überschuldeten Manne das Recht, worauf noch unsere heutigen Concursordnungen beruhen: durch förmliche Abtretung der Habe an die Gläubiger, mochte sie zu ihrer Befrie-

Hoc et ad timorem novarum tabularum tollendum minuendumque, [1]) qui fere bella et civiles dissensiones sequi consuevit, et ad debitorum tuendam existimationem esse aptissimum existimavit". [2]) Debitores non omni sane aere alieno liberavit. At vero a novis tabulis non procul disiunctum est, quod legimus apud Suetonium, qui istis omnibus narratis ita pergit: „deducto summae aeris alieni, si quid usurae nomine numeratum aut perscriptum fuisset; qua condicione quarta pars fere crediti deperibat". [3]) Hoc factum respiciens Cicero satis acerbe: „Quam ob rem ne sit aes alienum, quod rei publicae noceat, providendum est, quod multis rationibus caveri potest, non, si fuerit, ut locupletes suum perdant, debitores lucrentur alienum; nec enim ulla res vehementius rem publicam continet quam fides quae esse nulla potest, nisi erit necessaria solutio rerum creditarum . . . . At vero hic nunc victor, [4]) tum quidem victus [5]) quae cogitarat, ea perfecit, cum eius iam nihil interesset." [6])

Augustus ne incendiorum quidem insidiis moveri poterat ut debita remitteret. [7])

---

digung ausreichen oder nicht, allemal seine persönliche Freiheit, wenn auch mit geschmälerten Ehren und politischen Rechten, zu erretten und eine neue Vermögensexistenz zu beginnen, in der er wegen der aus der älteren Zeit herrührenden und im Concurs nicht gedeckten Forderungen nur dann eingeklagt werden durfte, wenn er sie bezahlen konnte, ohne wiederum sich ökonomisch zu ruiniren."

[1]) Ita etiam Suet. Iul. 42: „Disiecta novarum tabularum exspectatione."

[2]) Caes. B. C. III, 1, 2, 3. Quantum novae tabulae timerentur significat Cic. Ad Att. VII, 11, 1; X, 8, 2.

[3]) Suet. l. l. Cf. Plut. Caes. 37.

[4]) Caesarem dicit.

[5]) Catilinaria coniuratione detecta.

[6]) Cic. De Off. II, 24, 84. Lange (o. l. III² pag. 421 seq.) Caesarem Ciceronis vituperationem non merere iudicat, quippe quem urgeret necessitas. Mommsen contra (l. l. pag. 535) rem improbat Caesaremque ut ipse eam reticeret pudore motum fuisse suspicatur.

[7]) Cf. Gardthausen l. l. pag. 624; Dio Cass. LV, 8, 6.

At tabulae novae non unicum popularium votum erat. Infimae plebis fortasse etiam magis intererat ut mercedes habitationum remitterentur. [1]) Itaque Caelius sublata priore sua rogatione, „ut sexenni die sine usuris creditae pecuniae solv(erentur)", [2]) „duas (alias leges) promulgavit; unam, qua mercedes habitationum annuas conductoribus donavit, aliam tabularum novarum". [3]) Interfecto Caelio Dolabella utramque legem repetivit. Quas Caesar ille quidem pervertit, ipsi tamen prior necessaria visa est, ideoque „annuam etiam habitationem Romae usque ad bina milia nummum, in Italia non ultra quingenos sestertios remisit". [4]) Octavianus, qui multis locis Caesarem ipsius vestigiis persecutus est, hanc quoque legem renovavit. [5])

Priorum summa haec est, legibus edictis iudiciis non

---

[1]) Pöhlmann Übervölk. pag. 74 seq: „In den Parteikämpfen und bei den „politisch-ökonomischen Saturnalien" in der Übergangsepoche von der Republik zur Kaiserzeit bildete die neben Schuldenerlass und Moratorien von der damaligen Demagogie gleichfalls auf die Tagesordnung gesetzte Frage des M i e t h z i n s e r l a s s e s oder der M i e t h z i n s r e d u c t i o n ein äusserst wirksames Agitationsmittel: Eine Erscheinung, die lebhaft an die von Seite der modernen Socialdemokratie beliebte agitatorische Ausbeutung der Wohnungsnoth und Miethensteigerung unserer Grossstädte erinnert und daher auf das Vorhandensein ganz analoger Übelstände in Rom schliessen lässt."

[2]) Caes. B. C. III, 20, 4.

[3]) Caes. B. C. III, 21, 1.

[4]) Suet. Iul. 38. Cf. Dio Cass. XLII, 51, 1. De hoc Caesaris consilio Cicero non clementius iudicat (De Off. II, 23, 83): „Habitent gratis in alieno. Quid ita? ut, cum ego emerim, aedificarim, tuear, impendam, tu me invito fruare meo? Quid est aliud aliis sua eripere, aliis dare aliena?"

[5]) Dio Cass. XLVIII, 9, 5: „(ὥστε) τὸ ἐνοίκιον τοῖς μὲν ἐν τῷ ἄστει μέχρι πεντακοσίων δραχμῶν οἰκοῦσι πᾶν, τοῖς δ' ἐν τῇ λοιπῇ Ἰταλίᾳ κατὰ τὸ τέταρτον ἐνιαυτοῦ ἑνὸς ἀνεθῆναι." Hunc locum Casaubonus ita explicat, quasi habitatio Romae quidem annua remitteretur, in Italia vero non ultra tres menses. Collatis autem Suetonii verbis modo laudatis (Iul. 38) Dionem falli putat. Omnia tamen recte procedunt, si coll. Dion. Cass. XLII, 51, 1 κατὰ τὸ τέταρτον referas ad μέχρι πεντακοσίων δραχμῶν, non ad ἐνιαυτοῦ ἑνός. Ita etiam Lange l. l. pag. 565 rem accipere videtur.

pauca esse facta ad tollenda mala quae ex faeneratione nascebantur: obaerati iuvabantur, usurae minuebantur, faeneratores multabantur. Ac tamen constat obaeratos omni tempore fuisse multos eosdemque miserrimos. Unde haec res est explicanda? Ex ipsa, opinor, temporum quasi natura qualem supra descripsimus. Legibus autem illa mala sanari non poterant; ad illa exstirpanda necesse erat magna fieret commutatio rerum. [1]) Dolendum est quod ne salutaris quidem illa Caesaris lex ad effectum adduci potuit, „de modo credendi possidendique intra Italiam", quia — ut supra docui [2]) — haec lex eo spectasse videtur, ut negotii gerentes rei familiaris partem in colendos agros insumerent: nam „nihil est agri cultura melius". [3]) Rogationes contra de novis tabulis et de mercede habitationum remittenda multorum scilicet afflictum statum sublevabant, easdem tamen fuisse iniquissimas, immo valde propinquas „Communismo" (quem vocant) manifestum est. [4])

---

[1]) Non hoc dico, rerum condicionem nostra aetate esse factam laetiorem. Huius saeculi ingenium supra (pag. 109 coll. pag. 1) adumbrare conatus sum. At malum aliam speciem induit.

[2]) pag. 121 cum adn. 2.

[3]) Cic. De Off. I, 42, 151.

[4]) De hac earum rogationum natura cf. pagg 123, 124 cum adn. 5, 127 cum adn. 1, 4.

Caput III.

De cura annonae et de frumentationibus.

Venimus nunc ad gravissimam quaestionem, quae, ut tractatu dignissima, ita difficillimis adnumeranda est, in qua excutienda haud mediocriter industriae nervos contenderunt viri docti. [1]) Si et ego, ipse tiro ac rudis, adum-

[1]) Cf. inter alios Lipsius Electa I, Cap. 8; Id. Admiranda II, Cap. 10; Contareni, De frumentaria Romanorum largitione, Venet. 1609 (etiam in Graevii Thesaur. antiq. Rom. Vol. VIII, pag. 923–974; Dirksen, Civilist. Abhandlungen, II pag. 163—201; Naudet, Des secours publics chez les Romains, in Mémoires de l'acad. royale des inscrr. et belles-lettres XIII (1838), pag. 12 seq., 42—66; Mommsen, Die röm. Tribus, pag. 177—201; Id. StR. passim et imprimis II³ pag. 502—504, 671—674, 1037—1044; Kuhn, Ueber die Korneinfuhr in Rom im Alterthum, in Zeitschr. f. d. Alterthumswissensch., 1845, nr. 125, 126, 135, 136; Nasse, Meletemata de publica cura annonae apud Romanos; Hirschfeld, Die getraideverwaltung in der röm. kaiserzeit, in Philol. XXIX (1870), pag. 1—96; Id. Röm. Verwaltungsgesch. I pag. 128—139; Marquardt StV. II² pag. 110—135; Labatut, La question des subsistances chez les Romains, in Journal des Économistes, Aout 1868, pag. 169–207; Rodbertus, Zur Frage des Sachwerths des Geldes im Alterthum, in Jahrbb. f. Nationalökon. u. Statist. XIV (1870), pag. 375 seqq.; Id. Bedenken gegen den von den Topographen Roms angenommenen Tract der Aurelianischen Mauer, in Jahrbb. XXIII (1874), pag. 1 seqq.; Madvig Verf. u. Verw. II pag. 357 seqq., 423 seqq.; Herzog, Gesch. u. Syst. d. röm. Staatsverf. passim (vide Indicem s. v. *cura annonae, Frumentationen*); De Rossi, Ann. d. Inst. 1885 pag. 223—234; Babled, De la cura annonae (Paris 1892); Waltzing, Étude hist. sur les corp. prof. chez les Rom., II pag. 19 seqq.; Pauly-Wissowa, Real-Encycl. I² s. v. *annona;* Pauly, Real-Encycl. s. v.

bravero qua ratione res se habere mihi videantur, spero fore ut arrogantiae labes idcirco nequaquam mihi aspergatur.

Annona ut moderatior esset ab omni memoria senatui magistratibusque Romanis curae erat. [1]) Frumentariorum (sive dardanariorum) avaritiae obviam ibant, [2]) si res cogebat in aliis terris frumentum emendum Romamque advehendum curabant, in subiectis provinciis certam non pecuniae, sed frumenti copiam decumanos solvere iubebant. Frumentum sic comparatum plerumque suo, licet parvo, pretio, interdum multo vilioris vendebant. Quin semel et saepius aediles privato sumptu rei frumentariae medebantur. [3])

Ab hac cura, quae aliqua ex parte ex temporum condicione pendebat, longe distabat id quod C. Gracchus in Romanorum mores introduxit. Is vulgo „frumentationum" parens et auctor appellatur, quae fuerint statae frumenti largitiones, prius minimo, postea prorsus nullo pretio distributi. [4]) Iusto iure Nasse [5]) monet „quo tota fere Romanorum legislatio saeculo septimo u. c. ferebatur partium studio, ex eo

largitio; Daremb. et Sagl., Dict. des Antiq., s. v. ***annona, annona civica, canon frumentarius, cura annonae, frumentariae leges;*** Ruggiero, Diz. epigr. s. v. ***annona.***

[1]) Cf. supra pag. 58.

[2]) Cf. Liv. XXXVIII, 35, 5.

[3]) De hisce omnibus cf. Prooem. pag. 4 et lege viros doctos modo laudatos; in his Pauly-Wissowa l. c., Marquardt, imprimis Kuhn in disputatione illa „Ueb. d. Korneinf. in Rom im Alt." De antiquis temporibus multa dicere supersedebo, quia tunc annonae cura minus certa ratione erat constituta. Tu legas Liv. II, 9, 6; 34, 7 seqq.; IV, 12, 8; 16, 2; 52, 6; X, 11, 9; XXVI, 40, 16; XXX, 26, 5, 6; XXXI, 4, 6; 50, 1; XXXIII, 42, 8; XXXVIII, 35, 5; Cic. De off. II, 17, 58 Plin. N. H. XVIII, 3, 15, 16, 17; etc. De aedilium privata liberalitate tamen Mommsen (StR. II³ pag. 503 adn. 1): „In manchen dieser Fälle bleibt es zweifelhaft, ob die Aedilen Organe der öffentlichen Liberalität sind oder auf eigene Rechnung die Spende vollziehen."

[4]) Cf. Prooem. l. l. „Frumentationes" — vocabuli usum in re militari nunc omitto — re vera latius patuisse docet Suet. Aug. 42, nam „iis hoc certe loco utrumque genus tam gratuitae quam leviore pretio admensae videtur significari." (Momms. R.G.D.A.² pag. 27)

[5]) l. l. pag. 21.

etiam leges frumentarias ortas esse." Quod explicat cur illae largitiones usque ad illud tempus fluctuarint, cum venit res publica in unius potestatem.

In quattuor locis commorandum erit. Primum frumentationum ordinem ac varietates breviter percurramus. Deinde inquirendum est quibusnam ad fructum redundarent et annonae cura et frumentationes. Tum pauca dicturus sum de modo quo frumentum publicum distribuebatur. Postremo expendamus, urbanae plebi, pauperibus praesertim, quanta fuerit utilitas cum ex annonae cura tum e frumenti menstruis largitionibus.

a. Frumentationum ordo ac varietates.

C. Gracchus igitur legem tulit frumentariam, „ut senis et triente frumentum plebi daretur." [1]) Largitio erat menstrua. [2]) Quae cum aerarium exhauriret, M. Octavius tribunus plebis Gracchi legem abrogavit, [3]) nec totam tamen, sed largitionem tantum minuit, sicut intellegimus e Cicerone: „C. Gracchi frumentaria magna largitio; exhauriebat igitur aerarium; modica M. Octavi et rei publicae tolerabilis et plebi necessaria; ergo et civibus et rei publicae salutaris." [4]) Leges Apuleiam (ex anno 654 a. u. c. = 100 a. Chr. n.) et Liviam (663 a. u. c. = 91 a. Chr. n.), utpote quae ad irritum ceciderint, praetermitto. Frumentationes, quas Sulla [5])

[1]) Liv. Per. LX. Antea legebatur: „semisse et triente". Quod vitiosum esse Mommsen exposuit (Röm. Trib. pag. 179 adn 4) legi iubens: „senis cum triente". Weissenb.-Müller: „senis et triente". Rodbertus, Zur Fr. d. Sachw. d Geldes im Alt., l. l. pag. 378, traditam lectionem defendit.

[2]) De frumenti numero nihil traditum est. Fortasse ab initio quini modii viritim dabantur. De hac re cf. infra sub *d*.

[3]) Cic. Brut. 62, 222.

[4]) Cic. De Off. II, 21, 72. De hoc Octavii consilio nihil amplius notum, neque annus neque modus nec quomodo cum proximis cohaereat. Cf. Marq l. l. pag. 115 seq.

[5]) Vide Mommsen Röm. Trib. pag. 181; Marq. l. l. pag. 116, ubi duo loci ex

parumper sustulisse, Lepidus [1]) anno a. u. c. 676 (a. Chr. n. 78) restituisse videtur, post quinque annos lege Terentia et Cassia quodammodo stabilitas esse consentaneum est. [2]) Catilinaria coniuratione detecta partium contentio evidenter apparuit. Ipse senatus popularibus praecurrere conabatur. E Plutarcho enim discimus anno a. u. c. 692 (a. Chr. n. 62) senatum auctore Catone turbam quandam egenam, quae antea largitionis non fuisset particeps, in frumentum accipientium numerum recepisse. Haec sunt Plutarchi verba: „ὁ Κάτων φοβηθεὶς ἔπεισε τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν τὸν ἄπορον καὶ ἀνέμητον ὄχλον εἰς τὸ σιτηρέσιον, ἀναλώματος μὲν ὄντος ἐνιαυσίου [3]) χιλίων καὶ διακοσίων καὶ πεντήκοντα ταλάντων." [4]) Ita factum est ut, cum anno a. u. c. 681 (a. Chr. n. 73) e Marquardtii computatione non multum excessissent centies sestertium, [5]) in frumentationes anno 692 circiter triplum sit insum-

---

Granio Liciniano et Sallustii fragmentis, quibus viri docti nituntur. Inepte Walterus in Historia, quam scripsit de iure Romano, Sallustii locum ad frumentationes referri licere negat quod *populi*, non *plebis*, voce utatur Sallustius. (Cf. Humbert in Dict. des Antiq. s. v. *frumentariae leges*, pag. 1347 adn. 1) *Populi* enim appellationem non raro *plebem* accipi et notum est et in hac ipsa disputatione saepius monui.

[1]) Cf. Marq. l. l.; Momms. R. G. III[8] pag. 25 adn. 2.

[2]) Cic. Verr. III, 70, 163; V, 21, 52. De hac lege cf. Kuhn l. l. pag. 1003; Pauly, Real-Encycl. s. v. *largitio*; Daremb. et Sagl., Dict. des Antiq., s. v *annona* et *frumentariae leges*; Momms. Röm. Trib. pag. 182; R. G. l. l.; Marq. l. l.

[3]) Sintenis in adn. crit.: „ἐνιαυσίου pro ἐνιαυτοῦ anonymus."

[4]) Plut. Cato min. 26. Cf. etiam Caes. 8; Rei publ. ger. praec. 24, 8. De tota hac re lege Mommsen R. G. l. l. pag. 196; Drumann G. R. II pag. 238, III pag. 175, V pag. 159 seq. Quod Plutarchus hic narrat de egena turba ad distributionem admissa Mommseno tam mirum videtur, ut fidem ei abroget (Röm. Trib. pag. 182). Explicatio sane facilis! Quae quam parum veri similis sit iam Nasse animadvertit (o. l. pag. 17): „Attamen nescio an hauserit e fonte nequaquam ita spernenda Plutarchus, quippe qui accurate referat annuas impensas hoc senatusconsulto ortas."

[5]) Marquardt (l. l. pag. 115 adn. 2) praeter alteras decumas et frumentum imperatum etiam ordinarias Siciliae decumas senis et trientibus urbanae plebi venisse putat. Num recte mihi valde dubium est. Quare alii, ut Mommsen (R. G. l. l. pag. 25 cum adn. 2), summam exhibent ista multo minorem.

ptum. [1]) Et cum ex lege Terentia et Cassia hominum milibus, si Mommsen [2]) sequaris, circiter quadraginta, si Contareni et Kuhn, [3]) sexaginta frumentum publice esset distributum, eorum numerus anno 692 trecenta milia fuisse putandus est. [4]) Non tamen factio adversa otiosa erat. Clodius enim (696 a. u. c. = 58 a. Chr. n.) „frumentariam legem tulit," omnia priora consilia exsuperantem, „ut gratuito populus acciperet." [5]) At vero ita res publica prorsus atterebatur. Accedit quod eorum qui per dolum inter accipientes inreperent videtur fuisse numerus haud exiguus. Quin multi ob id ipsum servos suos manumittebant, ut per illos frumentationum participes essent. [6]) Itaque magistratus necessario cogebantur anquirere quinam in largitionem ius haberent, qui non haberent. Quod anno a. u. c. 697 (a Chr. n. 57) Pompeium quidem fecisse mihi persuasi, cum „per quinquennium omnis potestas rei frumentariae toto orbe terrarum" [7]) ei data esset. Rem colligo e Dionis memoria, cuius verba haec sunt: „καὶ ὁ Πομπήιος ἔσχε μὲν καὶ ἐν τῇ τοῦ σίτου διαδόσει

---

[1]) Marq. l. l. pag. 117 cum adn. 1.

[2]) Momms. R. G. III[8] pag. 25 cum adn. 2.

[3]) Contareni l. l. pag. 59; Kuhn l. l. pag. 1003.

[4]) Cf. Marq. l. l pag. 117 adn. 1.

[5]) Schol. Bob. in Cic. Orat. pr. Sest. pag. 301 Or. Cf. Ascon. in Pison. pag. 9 Or. Eadem res narratur a Dione (XXXVIII, 13, 1), qui locus videtur esse corruptus. Mihi valde arridet lectio quam legi apud Madvig. l. l. pag. 360 adn. 3: „ὁ οὖν Κλώδιος ἐλπίσας αὐτὸν διὰ ταῦτα, ἂν τήν τε βουλὴν καὶ τοὺς ἱππέας τόν τε ὅμιλον προπαρασκευάσηται, ταχὺ κατεργάσεσθαι, τόν τε σῖτον προῖκα (αὖθις διενέμετο γὰρ) μετρεῖσθαι τοῖς ἀπόροις, τοῦ τε Γαβινίου ἤδη καὶ τοῦ Πίσωνος ὑπατευόντων, ἐσηγήσατο." [In codd. est: „τόν τε σῖτον προῖκα αὖθις διένειμε (τὸ γὰρ μετρεῖσθαι τοῖς ἀπόροις e. q. s.)"] Alias coniecturas vide apud Boissevain ad hunc locum, qui tamen de Madvigii nullam mentionem facit.

[6]) Cf. Dionis locum iamiamque in hac ipsa pagina laudatum (XXXIX, 24, 1) et Dionys. Halic. IV, 24, 5.

[7]) Cic. Ad Att. IV, 1, 7.

τριβήν τινα· πόλλῶν γὰρ πρὸς τὰς ἀπ' αὐτοῦ ἐλπίδας ἐλευθερωθέντων, ἀπcγραφήν σφων, ὅπως ἔν τε κόσμῳ καὶ ἐν τάξει τινὶ σιτοδοτηθῶσιν, ἠθέλησε ποιήσασθαι· οὐ μὴν ἀλλὰ τοῦτο μὲν τῇ τε ἑαυτοῦ σοφίᾳ καὶ ἐκ τοῦ πλήθους τοῦ σίτου ῥᾷόν πως διῴκησε." [1]) Pompeio enim, ut nihil aliud quam novorum civium nomina in tabulas referret, mehercule non opus erat „magna sapientia", nec non moram ei allatam minutulam fuisse manifestum est! At sine dubio fraudes reprimere conatus esse ideoque accipientium numerum aliquantum minuisse existimandus est. Quod etiam hinc intellegi licet. Anno 692 qui in frumenti publici partem admittebantur pro singulis modiis senos aeris et trientes solvebant, anno 698 — cum lex Clodia iam valebat — frumentum sine ullo pretio distribuebatur. Ac tamen illius anni impendio anno 698 non nisi tertiam partem additam esse apparet summamque tunc fuisse HS quadragies. [2]) Mox tamen, ut in turbulentis temporibus, eorum qui largitionem adfectarent denuo tantum crevit numerus, ut oppresso partium studio Caesar eum circumscribere necesse haberet. Testis est Suetonius qui rem in hunc modum narrat: „Recensum populi nec more nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit, atque ex viginti trecentisque milibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retraxit; [3]) ac ne qui novi coetus recensionis causa moveri quandoque possent, instituit, quot annis in demortuorum locum ex iis, qui recensi non essent, subsortitio a praetore fieret." [4])

---

[1]) Dio Cass. XXXIX, 24, 1, 2. (Ed. Boissevain)

[2]) Cf. Marq. l. l. cum adn. 4.

[3]) Ex Liv. Per. CXV patet haec verba non esse interpretanda cum Rodberto nonnullisque veteribus — ut Oudendorp, Ruhnken, Wolf, Baumgarten-Crusius —: „*deductis circiter centum quinquaginta milibus milia centum septuaginta in tabulas suas rettulit,*" sed — quod fere omnes recentiores iubent —: „*cum antea trecenta viginti milia accepissent, iam non nisi centum quinquaginta milibus distribuit.*"

[4]) Suet. Iul. 41.

Caesare mortuo numerus paulatim rursus succrevisse videtur; nam Augustus et ipse „populi recensum vicatim egit" [1]) nec non Dione teste „τὸ τοῦ σιτοδοτουμένου πλῆθος ἀόριστον ὂν ἐς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε." [2]) Has frumentationes fortasse sub Nerone itemque sub Nerva parumper intermissas [3]) viri docti permansisse autumant dum Aurelianus [4]) magnam commutationem iis attulerit, cottidie frumenti loco ipsos panes distribuens. [5])

Praeter statas illas largitiones variae distributiones frumenti commemorantur Caesarum aliorumque privatae munificentiae debitae [6]) itemque magistratus cavere pergebant ne annona nimis augeretur.

b. Annonae cura et frumentationes quibusnam ad fructum redundabant?

Iam quaeritur, cum annonae cura tum frumenti illae distributiones, quas frumentationes appellatas esse modo docui, quibusnam hominibus ad fructum redundarent.

Inter frumentationes et curam annonae viri docti praeter cetera vulgo hoc discrimen statuunt, quod haec omnes cives complecteretur, illarum contra certus tantum numerus certave pars civium particeps esset. [7]) Hoc tamen rem con-

---

[1]) Suet. Aug. 40.

[2]) Dio Cass. LV, 10. (Ed. Boissevain) Cf. etiam Mon. Ancyr. Lat. 3, 21.

[3]) Cf. Momms. Röm. Trib. pag. 193; Hirschf. l. l. pag. 5.

[4]) Hoc iam antea factum esse alii opinantur. Cf. Hirschf. l. l. pag. 20 seq.; Marq. l. l. pag. 135; Krakauer, Das Verpflegungsw. d. Stadt Rom in d. späteren Kaiserz., pag. 43.

[5]) Vopisc. Aurel. 35, 1: „Non praetereundum uidetur, quod et populus memoria tenet et fides historica frequentauit, Aurelianum eo tempore, quo proficiscebatur ad orientem, bilibres coronas populo promisisse, si uictor rediret, et, cum aureas populus speraret, neque Aurelianus aut posset aut uellet, coronas eum fecisse de panibus, qui nunc siliginei uocantur, et singulis quibusque donasse, ita ut siligineum suum cotidie toto aeuo suo unusquisque et acciperet et posteris suis dimitteret."

[6]) Hae referendae sunt in „congiaria", de quibus vide proximum caput.

[7]) Ita Hirschfeld l. l., Rodbertus l. l., Pauly-Wissowa, Real-Encycl. I² s. v. *annona*.

ficere mihi non videtur. Ut enim aliud est ipsum propositum, aliud id quod ad illud deducit, ita annonae vilitas discernenda est a publico frumento, quod non minimo momento erat ad pretia summittenda. Ad omnes nimirum incolas ex vili annona emolumentum veniebat. Frumentum publicum contra num et ipsum omne — de quoque mense distributo nunc non dico — o m n i b u s veniret equidem valde dubito. Ego potius contendere velim, ut gratuitas menstruas largitiones, ita reliquum frumentum quod in publicis horreis esset reconditum, quatenus ad mercatum non deferretur, [1]) non nisi cuidam parti Romani populi, quae erat plebs urbana sive Romana, [2]) fuisse destinatum. Haec res praetermittitur a plerisque viris doctis; ab aliis tantum attingitur; at nemo, quod sciam, dilucide expedivit, quid de ea sentiat. [3]) Utcumque est, spero fore ut haud vana afferre videar,

---

Huius verba sunt: „Es bildet sich der Unterschied zwischen *cura annonae* und *frumentatio*: die *cura annonae* hatte für den Gesamtbedarf an Getreide zu sorgen, umfasst sowohl das unentgeltlich abzugebende, als auch dasjenige, welches alle Bürger um den bestimmten Preis in den staatlichen Magazinen . . kaufen konnten. An der *frumentatio* hatten nur die in den Listen verzeichneten, an der *annona* alle Bürger Anteil."

[1]) Nimirum haud abnuerim frumentum publicum quatenus ad mercatum deferretur cuilibet emptori venisse.

[2]) Haec duo nomina idemne declarant? Si subtiliter distinguas, fortasse negandum. De hac re vide infra.

[3]) Rodbertus, Zur Fr. d. Sachw. d. Geldes im Alt., l. l. adn. 21 (pag. 393): „Mit der Mitgliedschaft einer Stadttribus waren aber auch noch mehr commoda et principales liberalitates — l. 35 pr. D. 32 — verbunden...... z. B. b i l l i g e r e s Getreide, seit Trajan dafür Mehl bei den Staatsmüllern." — Marquardt l. l. pag. 127: „Die Verkäufe, durch welche die Regierung den Preis des Getreides niedrig hielt und gegen eine künstliche Steigerung durch Speculanten schützte, geschahen zuweilen mit Verlust und wenigstens zu einem Minimum des Marktpreises; sie waren ebenfalls eine Largition und fanden nur in beschränktem Maasse gegen einen Magazinschein *(tessera)* statt, den man kaufte, und gegen welchen man das Getreide aus den Staatsmagazinen erhielt." — Schiller in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2², pag. 195: „Ausser diesen Geschenken verkaufte noch die Regierung Getreide zu niedrigerem Marktpreise an dazu Berechtigte, nicht selten mit Verlust." — Cf. etiam Mommseni sententiam de tesseris nummariis, quam vide in proxima pagina.

si memineris et, quod ad vetera tempora, Livium semel atque iterum mentionem facere de frumento modico pretio plebi diviso [1]) et Caesarum aetate frumentum publicum idem frumentum plebis fuisse appellatum [2]) et Suetonio teste Augustum „frumentum. in annonae difficultatibus saepe levissimo, interdum nullo pretio viritim admensu(m) es(se) tesserasque nummarias duplicavi(sse)." [3]) Quae verba licet subobscura sint, quia hae tesserae, utpote quae hic tantum commemorentur, quid fuerint prorsus incertum est, [4]) nescio

---

[1]) Errat Rodbertus cum contendit (l. l. pag. 378 adn. 17) Livium de horum temporum — ante Gracchos dico — frumenti distributionibus agentem semper *populi* vocabulo uti. Legimus enim Liv. II, 34, 7 seqq.: „M. Minucio deinde et A. Sempronio consulibus magna vis frumenti ex Sicilia advecta, agitatumque in senatu, quanti plebi daretur e. q. s." IV, 16, 2: „L. Minucius bove aurato extra portam Trigeminam est donatus ne plebe quidem invita, quia frumentum Maelianum assibus in modios aestimatum plebi divisit." Cf. etiam II, 9, 6. Ceterum talibus locis non exstare videtur discrimen quod Rodbertus statuit inter *populum* et *plebem*. Nititur in Cic. Pro Sest. 48, 103: „Agrariam Ti. Gracchus legem ferebat. Grata erat populo .... Frumentariam legem C. Gracchus ferebat. Iucunda res plebei." Rodbertum tamen fugisse videtur in eiusdem paragraphi initio legi: „Sed tamen haec via ac ratio rei publicae capessendae olim erat magis pertimescenda, cum multis in rebus multitudinis studium aut populi commodum ab utilitate rei publicae discrepabat. Tabellaria lex ab L. Cassio ferebatur. Populus libertatem agi putabat suam: dissentiebant principes et in salute optimatium temeritatem multitudinis et tabellae licentiam pertimescebant." Adnotat Halm-Laubmann: „*populus*, hier im politischen Gegensatze zur Partei der Optimaten." Ita etiam Livius, cum frumentum vili vel minimo pretio *populo* divisum esse scribit, *plebem* intellegere videtur. Cf. Weissenborn ad Liv. XXX, 26, 6 et Weissenborn-Müller ad Liv. XXXI, 50, 1. De *populi* ac *plebis* vocibus idem declarantibus cf. supra pagg. 43, 131 (132) adn. 5, et Voigt in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2², pag. 337.

[2]) Tac. Ann. XV, 18: „Quin et dissimulandis rerum externarum curis Nero frumentum plebis vetustate corruptum in Tiberim iecit, quo securitatem annonae sustentaret. cuius pretio nihil additum est, quamvis ducentas ferme naves portu in ipso violentia tempestatis et centum alias Tiberi subvectas fortuitus ignis absumpsisset." Ne quis hoc loco *frumentum plebis* accipiat de singulis mensibus gratis distributo impediunt verba *cuius pretio e. q. s.*

[3]) Suet. Aug. 41.

[4]) De his tesseris nummariis Mommsenum (R.G.D.A.² pag. 26) secutus sum ponentem „frumentum quatenus gratis ministrabatur, divisum esse datis tesseris

an hoc doceant: *a* fuisse frumentum quod publice pretio iusto leviore emendum proponeretur; *b* ad hanc liberalitatem illos solos fuisse admissos, qui talem tesseram accepissent. (Illas tesseras enim, ut in annonae difficultatibus

---

frumentariis, quatenus venibat leviore pretio, datis nummariis." In eadem sententia est Marquardt (StV. II² pag. 125 adn. 5), item hodie Hirschfeld. (Is antea defendit tesseras *nummarias* ipsas esse *frumentarias* saepe commemoratas. Cf. Friedl. Sittengesch. Roms I⁶ pag. 63 adn 1) Suetonius potissimum famem anni a. u. c. 759 (p. Chr. n. 6) respicere credi potest (cf. Momms. l. l.). De eadem agens Dio (LV, 26, 2, 3): „καὶ προσέτι καὶ ἄνδρες ὑπατευκότες ἐπί τε τοῦ σίτου καὶ ἐπὶ τοῦ ἄρτου κατέστησαν, ὥστε τακτὸν ἑκάστῳ πιπράσκεσθαι. ἐπέδωκε μὲν γὰρ καὶ προῖκα ὁ Αὔγουστος τοῖς σιτοδοτουμένοις τοσοῦτον ἕτερον ὅσον ἀεὶ ἐλάμβανον." Dio igitur hanc liberalitatem diserte refert ad p l e b e m f r u m e n t a r i a m. Attamen fatendum, cum Dio gratuitae tantum largitionis mentionem faciat, hunc locum ab illis quoque proferri posse, qui inter *nummarias* et *frumentarias* tesseras discrimen esse negent. Dionis enim „ἐπέδωκε μὲν γὰρ καὶ προῖκα e. q. s." et Suetonii „tesserasque nummarias duplicavit" idem declarare videntur. Quod si verum est, haec verba igitur indicare dixeris tesserarum tunc duplo maiorem numerum fuisse distributum quam in menstruis largitionibus distribui soleret. (Non video cur hic locus cum Rodberto, l. l. adn. 19 (pag. 386 seq.) interpretandus sit de ipsorum accipientium numero duplicato, non de duplici frumento donato. Alibi legimus (Dio Cass. LIII, 2, 1 ad annum a. u. c. 726 = a. Chr. n. 28) Augustum frumentum quadruplicasse. Num Rodbertus hic quoque cogitat de accipientium numero q u a d r u p l i c a t o?) Ne ita interpretata quidem res opinioni meae repugnat, cum e Suetonii verbis discamus, qui interdum gratiis acciperent, eosdem saepe pretio quodam, quantumvis levi, accepisse frumentum.

De tesseris etiam egi in proximo capite. Hic tamen iam pauca addenda sunt. Nuper enim novam opinionem protulit Rostovtsew (Étude sur les plombs antiques, in Revue numismatique 1898, pag. 256 seqq.). Cui si credas, tesserae illae, quas magno numero congessit Benndorf — Beiträge zur Kenntniss des attischen Theaters, in Zeitschr. f. östreich. Gymnn., Jahrg. XXVI. Haec disputatio etiam separatim edita est Vindob. 1875 —, non sunt *frumentariae*, ut vulgo putant, sed ipsae *nummariae* quarum mentionem facit Suetonius. Utrasque ad frumentationes pertinuisse statuit, ita tamen ut *frumentariae* semel tantum in omnem vitam darentur, *nummariae* vero singulae in singulis frumentationibus. Ita enim rem animo effingit, ut qui frumentariam largitionem expeteret cum *frumentaria* tessera se conferret ad porticum Minuciam, ubi acciperet aliam tesseram, *nummariam*, qua exhibita frumentum ei deferretur e publicis horreis. Etiam hoc discrimen in mera coniectura, acuta sane, positum est, cui repugnare quidem videtur Suet. Nero 11, ubi tesserae *frumentariae* sunt in missilibus, quae per omnes dies populo sparsa fuisse narrantur. — De tesseris nummariis etiam aliam coniecturam vide apud Madvig l. l. pag. 427.

ab Augusto duplicari possent, etiam cum annona urbem non premeret divisas fuisse necesse est.) Latior talis cura neque supervacanea fiebat gratuitis frumentationibus neque excludebatur frumenti publici penuria. Illas enim plebi frumentariae ad usum nequaquam suppetivisse constat, [1]) frumentum autem quod publice in provinciis emebatur vel tributi loco inde advehebatur frumentationum modum longe excessisse Kuhn satis demonstravit. [2])

De hac re satis superque. Annonae cura — in latiorem sententiam vocabulum nunc accipio — etiam in municipiis invenitur. [3]) Non ita menstruae frumenti largitiones. Omnes enim qui has peterent et Romanos cives esse [4]) et in urbe Roma domicilium habere [5]) oportebat. Erantne etiam aliae condiciones? In hac re a vulgari opinione discrepare mihi videor. Inter viros doctos enim commune est, si non antea — initio vel nobiles partem suam postulare licuisse multi autumant — certe inde a Caesare Augustove, qui accipientium numerum circumscripserint, in plebe Romana non nisi egentissimum quemque participem fuisse frumentationum. [6]) Ego contra

---

1) De hac re infra dicam. Cf. etiam Momms. l. l, Marq. l. l. pag. 125.

2) l. l. pag. 1005 seqq.; Marq. l. l. pag. 126 seq.

3) Cf. Pauly-Wissowa l. l.

4) Nonnulli sumunt frumentationes etiam ad pueros pertinuisse (quin ad ipsas puellas, Nasse o. l. pag. 24) vel certe ad pupillos, quam sententiam ad persuadendum, nisi fallor, accomodate impugnavit Hirschf. in Philol. l. l. pag. 8 seqq. Commemorantur sane pueri (et puellae) incisi frumento publico; de iis tamen egi in Capite de Alimentis publicis, quia in id genus munificentiae cadere videntur.

5) Momms. Röm. Trib. pag. 180, 184; Hirschf. l. l. pag. 6 seq.; Marq. l. l. pag. 120. Beloch tamen (Die Bevölkerung der griech.-röm. Welt pag. 400) eos quoque participes fuisse contendit qui quoquo versus multa milia passuum circa Romam habitarent. Quam opinionem refellit Friedländer l. l. pag. 70.

6) Hoc tenent vel suspicantur plurimi recentiores. Cf. Hirschfeld l. l.; Schiller in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2², pag. 195; imprimis Mommsen R. G. III⁸ pag.

demonstrare conabor eas ab initio omni plebi Romanae fuisse destinatas. [1]) Turbatis vero temporibus quae principatum antecesserint, multos eosque pauperrimos ad largitiones admissos fuisse qui num ius haberent dubium erat. Qua de re cum accipientium numerus nimis crevisset, Caesarem et Augustum novas tabulas conficiendas curasse, iisque et ipsis in diiudicando qui in illas referendi, qui excludendi essent, momentum fecisse *civitatem*, non *egestatem*. Eandem legem autem etiam posthac fuisse servatam. Argumento mihi sunt: *a* vocabula quibus in hac re utuntur scriptores Romani; *b* harum largitionum ratio ac natura; *c* Caesaris et Augusti consilia frumentaria; *d* natura tribuum, cum Caesares imperii summam tenebant; *e* quod ius in frumentum publicum cum in honore positum fuisse videtur, tum officiorum erat remuneratio; *f* similitudo panis qui dicitur gradilis et annonae civicae. Singulis paulisper insistamus.

Primum tamen commemoranda est narratiuncula quaedam festiva, quae multis documento est initio vel nobiles frumentum publicum suo iure postulare licuisse. Legitur apud Ciceronem. „Piso ille Frugi semper contra legem frumentariam dixerat. Is lege lata consularis ad frumentum accipiundum venerat. Animum advertit Gracchus in contione Pisonem stantem; quaerit audiente populo Romano qui sibi constet, cum ea lege frumentum petat, quam dissuaserit. 'Nolim' inquit 'mea bona, Gracche, tibi viritim dividere libeat, sed, si facias, partem petam". [2]) Nullam legem plane vetuisse ne

506 seq. (Hunc locum infra transcripsi in fine capitis.) Rodbertus l. l. pag. 379 inde a Clodio (de cuius lege vide supra pag. 133), veteriores plerique (quos vide in Pauly's Real-Encycl. IV pag. 778 s. v. *largitio*) iam ab ultimo initio non nisi pauperioribus frumenti largitiones obtigisse docent.

[1]) Qui non iusto iure cives erant nimirum excipio.

[2]) Cic. Tusc. III, 20, 48.

vir nobilis frumentum publicum acciperet, facile adducor ad credendum. Modum tamen excedas, si ex isto loco efficere velis nobiles revera in frumentationum partem venisse. Ipsa facta, opinor, ostendunt extra ordinem tunc aliquid accidisse. Non solum quaerebatur qui sibi constaret ille vir, cum ea lege frumentum peteret, quam dissuasisset; sed id ipsum, quod vir. consularis venerat, idque in contionem, mirum acceptum esse videtur. Contiones autem postremis liberae rei publicae saeculis ignobilis vulgi magis magisque conventus fiebant. Tempore quo vivimus vocabulum Belgicum *volk* saepius cum aliis copulatur, ita ut nova vocabula exsistant, qualia sunt *volksbaden*, *volksspelen*, *volksgaarkeukens* et quae sunt generis eiusdem. Certe unicuique quantumvis sit locuples talibus balneis popinis similibus uti licet, nec tamen revera omnibus prosunt omniumve usui destinata sunt. Neque aliter puto se habuisse frumentationes. [1])

Haec quidem hactenus. Iam transeamus ad argumenta quae supra enumeravi ut demonstrarem frumentationes et initio et postea generatim fuisse destinatas Romanae plebi. Quae vero ab aliis in contrariam partem proferuntur, ea suo quodque loco refutare conabor.

a. Vocabula quibus in hac re utuntur scriptores Romani. Legimus enim Cic. Pro Sest. 48, 103: „Frumentariam legem C. Gracchus ferebat. Iucunda res plebei; victus enim

---

1) Nimis longe repetitum mihi videtur nonnullorum — ut Naudet (Des secours publics chez les Romains, in Mémoires de l' acad. royale des inscrr. et belles-lettres XIII (1838), pag. 20), Labatut (l. l. pag. 192), Rodbertus (l. l. pag. 378) — opinio, ex qua frumentum ad Pisonem pertinuerit, quod Calpurnia gens esset plebeia. Num recte Rodbertus dicit: „Zudem stützte sich ja die ganze Gracchische Bewegung noch auf den Gegensatz von Patriciern und Plebejern." ? Sallustio auctore discrimen inter patricios et plebeios in publica vita erat sublatum finito bello Punico secundo. Cf. Voigt in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2², pag. 337.

suppeditabatur large sine labore." Liv. Per. LX: „*C.* Gracchus . . . . perniciosas aliquot leges tulit, inter quos frumentariam, ut senis et triente frumentum p l e b i daretur. Vell. Paterc. II, 6, 3: „Frumentum p l e b i dare instituerat." De Octavii largitione Cic. De Off. II, 21, 71: „Modica M. Octavi (frumentaria largitio) et rei publicae tolerabilis et „p l e b i necessaria." Alio loco (Cic. Verr. III, 30, 72) „tritici medimnum XXXIII" „p l e b i s Romanae prope menstrua cibaria" appellantur. Haec testimonia apud me potiora sunt quam Schol. Bob. in Cic. Orat. pr. Sest. pag. 300 Or. (cf. etiam ibid. pag. 303): „Ante quidem Gracchus legem tulerat, ut p o p u l u s pro frumento, quod sibi publice daretur in singulos modios senos aeris et trientes pretii nomine exsolveret." Vel Ascon. in Pison. pag. 9 Or. de P. Clodio: „Annonianam . . . . ut frumentum p o p u l o, quod antea semis [lege: „senis"; cf. pag. 131 adn. 1] aeris ac trientibus in singulos modios dabatur, gratis daretur." [1]) Ceterum quo minus et istic *populus* plebis sensu intellegamus quid obstat? [2]) Nec magis sententiae meae, nisi fallor, repugnat quod Appianus C. Gracchum ἑκάστῳ τῶν δημοτῶν menstruam frumenti largitionem instituisse dicit. Mihi enim persuasum est haec verba non esse interpretanda *singulis civibus*, [3]) sed *singulis hominibus de plebe*, quae quidem interpretatio cum iis quoque quae sequuntur optime convenit. [4])

---

[1]) Ita etiam Granius Licinianus de Lepido: „[Le]gem frumentari[am] nullo resistente l[argi]tus (Marq.: tuitus) est, nt annon[ae quinq[ue] modi popu[lo da-] rentur." Totum locum vide apud Momms. R. G. III[8] pag. 25 adn. 2 et apud Marq. l. l. pag. 116 adn. 1. Granium Licinianum nuper recensuit et commentario instruxit Camozzi (Paviae 1900), quam editionem neque inspicere neque comparare potui.

[2]) Cf. pagg. 43, 131 (132) adn. 5, 137 adn. 1.

[3]) Quod iubent Momms. Röm. Trib. pag. 180, Marq. l. l. pag. 115 adn. 1.

[4]) Totus locus hic est: „(Γάιος Γράκχος) περιφανέστατα αἱρεθεὶς εὐθὺς ἐπεβούλευε τῇ βουλῇ, σιτηρέσιον ἔμμηνον ὁρίσας ἑκάστῳ τῶν δημοτῶν ἀπὸ τῶν κοινῶν χρημάτων, οὐ πρότερον εἰωθὸς διαδίδοσθαι. καὶ ὃ μὲν

At a parte eorum quos impugno videntur esse vocabula Graeca *πένητες* vel *ἄποροι*. Sic enim Graece appellari dicuntur qui frumentum accipiant. Iam attendas hos ita dici non a scriptoribus Latinis, sed a Graecis, qui num rationes Romanas satis perspexerint, dubitari licet. Hoc tamen missum faciamus. Quid igitur docent ista vocabula? Primum monendum *πένητας* et *ἀπόρους* non idem valere, ut apparet ex illis locis, ubi una occurrunt. [1]) Prius, quod latius patet [2])

ὀξέως οὕτως ἐνὶ πολιτεύματι τὸν δῆμον ὑπηγάγετο, συμπράξαντος αὐτῷ Φουλβίου Φλάκκου. καὶ εὐθὺς ἐπὶ τῷδε καὶ ἐς τὸ μέλλον ᾕρητο δημαρχεῖν." (Appian. B. C. I, 21) Mommsen, Graece et *populus* et *plebs* uno vocabulo δῆμος reddi posse ipse concedens (StR. III pag. 145), hunc usum antiquioribus scriptoribus definit iamque Diodorum inter πλῆθος (*plebs*) et δῆμος (*populus*) discrimen servare docet. Ego tamen monere velim non solum Monumenti Ancyrani Graecum interpretem, sed ipsum Dionem, Appiani aequalem, plebem frumentariam dicere δῆμον σιτοδοτούμενον vel tale quid. Mon. Ancyr. Lat 3, 7: „Plebei Románae", Graecus interpres: „Δήμῳ 'Ρωμα[ίω]ν"; ibid. 20 seq.: „Plebeí, quae tum frúmentum publicum accipieba[t]," τῷ σειτομετ[ρου]μένῳ δήμῳ." Dio Cass. LX, 25, 7: „τῷ δήμῳ τῷ σιτοδοτουμένῳ πέντε μὲν καὶ ἑβδομήκοντα δραχμὰς ἅπασι διέδωκεν." Quod autem Mommsen l. l. pag. 146 adn. 1 Cassium Dionem ὅμιλον senatoribus equitibusque opponere ait, ex eodem contra proferri potest: „οὐχ ὅπως βουλευταῖς καὶ ἱππεῦσιν ἀλλὰ καὶ βασιλεῦσι, τῷ τε δήμῳ χιλίας μυριάδας" (LVI, 32, 2), ubi adnotat Boissevain: „fieri potest ut addiderit Dio, excerpere neglexerit Xiphilinus plebei Augustum legasse tricies quinquies, cf. Suet. etc." Tribunos plebis Graece semper dici δημάρχους ipse Mommsen commemorat (l. l. pag. 145 adn. 2 et II³ pag. 273 cum adn. 2). Quid quod apud ipsum Appianum etiam alibi δημότης vox *plebeium* sonat? Cf. Valesius ad Appian. De Reb. Samnit. 1, 1: „Ac δημότης quidem *plebejum* significare, haud sum nescius." Schweighaeuser ad eundem locum: „Utique nil aliud h. l. (quemadmodum alibi) denotat δημότης, nisi *plebejum*." Cf. etiam Stephanus, Thes. Gr Ling., s. v. Δημότης (et Δημοτικός).

[1]) Cf. Plato Rep. VIII pag. 552 A; Plut. Cato min. 33.

[2]) Cf Aristoph. Plut. 552 seqq. (et omnem contextum):

„πτώχου μὲν γὰρ βίος, ὃν σὺ λέγεις, ζῆν ἐστιν μηδὲν ἔχοντα·
τοῦ δὲ πένητος ζῆν φειδόμενον καὶ τοῖς ἔργοις προσέχοντα,
περιγίγνεσθαι δ' αὐτῷ μηδέν, μὴ μέντοι μηδ' ἐπιλείπειν."

Cf. etiam Xen. Memor. IV, 2, 37; Plato Rep. X pag. 618 A.

idemque declarat atque Latinum *pauperes*, notionem habet parum distinctam. Credi potest ipsam urbanam plebem hoc vocabulo esse designatum. [1]) Alterum, quo redditur Latinum *inops* vel *egens*, quattuor quod sciam occurrit locis ad rem frumentariam pertinentibus. Hi loci sunt: Plut. Cato min. 26; Id. Caes. 8; Dio Cass. XXXVIII, 13, 1; Dionys. Halic. IV, 24, 5. [2]) Priores duo docent inopes (ἀπόρους) Catone auctore inter frumentum accipientes receptos esse, de divitioribus exclusis nihil addunt; alteris plebs frumentaria illa quidem voce ἄποροι significatur, non tamen sequitur (ne e Dionysii quidem loco, qui pertinet ad Augusti tempora) ut quibus frumentum distribueretur, ii re vera omnes fuerint inopes. Inopes enim, cum semel admissi essent, ceteros multitudine aliquantum superasse manifestum est, praesertim cum per fraudes multi inrepere solerent. [3]) Ad quas reprimendas Caesaris consilia parum efficacia erant. Dionysius autem, cum anno a. u. c. 724 (a. Chr. n. 30) Romam venerit ibique duos et viginti annos moratus sit,

---

1) Cf. Xen. Memor. IV, 2, 37: „Καὶ τί νομίζεις δῆμον εἶναι; — Τοὺς πένητας τῶν πολιτῶν ἔγωγε." Dionys. Halic. identidem plebeios (clientes) dicit vocabulo πένητες, ut II, 9, 3; IV, 9, 9; VI, 34, 3 etc. Cf. etiam Plaut. Poen. III, 1, 12, ubi iunguntur vocabula *plebeii* et *pauperes*: „Quamquam nos uidemur tibi plebeii et pauperes."

2) De Plutarchi locis egi pag. 132 cum adn. 4, de Dionis, corrupto sane, pag. 133 adn. 5. Plut. Caes. 8 supra non exscripsi. Legitur ibi: „Διὸ καὶ Κάτων φοβηθεὶς μάλιστα τὸν ἐκ τῶν ἀπόρων νεωτερισμόν, οἳ τοῦ παντὸς ὑπέκκαυμα πλήθους ἦσαν ἐν τῷ Καίσαρι τὰς ἐλπίδας ἔχοντες, ἔπεισε τὴν σύγκλητον ἀπονεῖμαι σιτηρέσιον αὐτοῖς ἔμμηνον, ἐξ οὗ δαπάνης μὲν ἑπτακόσιαι πεντήκοντα μυριάδες ἐνιαύσιοι προσεγίνοντο τοῖς ἄλλοις ἀναλώμασι." Dionysii verba haec sunt: „οἱ δ' (sc. τυγχάνουσι τῆς ἐλευθερίας) ἵνα τὸν δημοσίᾳ διδόμενον σῖτον λαμβάνοντες κατὰ μῆνα καὶ εἴ τις ἄλλη παρὰ τῶν ἡγουμένων γίγνοιτο τοῖς ἀπόροις τῶν πολιτῶν φιλανθρωπία φέρωσι τοῖς δεδωκόσι τὴν ἐλευθερίαν."

3) Vide pag. 133 seq., 150 et Dionysii locum in priore adnotatione exscriptum.

celeris incrementi ipse quidem testis fuit, rationis illius testis non fuit, qua Augustus Caesaris incepta renovans anno a. u. c. 752 (a. Chr. n. 2) [1]) accipientium numerum ad CC milia reduxit. [2]) Ex illis locis igitur ego hoc colligo, postremis ante Christum natum decenniis inter eos, qui iure an iniuria frumentariae largitionis participes essent, tot egentes fuisse, ut Dionysius, Plutarchus, Dio, Graeci homines, omnem frumentariam plebem inopum (ἀπόρων) appellatione notaverint.

b. Harum largitionum ratio ac natura. Cavendum est ne rationes institutaque nostrorum temporum in Romanorum quoque aetatem ac mores cadere putemus. Quod nescio an illi faciant qui, ut confirment Romanis, cum frumentum publice distribuerent, egentium quandam curam propositam fuisse, inter alia et naturam rei afferant. Haec tria, quaeso, tecum consideres. 1⁰. *Frumentarias leges ex partium studio ortas esse.* [3]) Aliquantum valebant ad auram popularem captandam; quare illorum certe nulla ratio erat habenda, quibus, civitate carentibus, in comitiis suffragium ferre non liceret. 2⁰. *Ne post Caesarem quidem et Augustum ullam rationem habitam esse honestatis.* [4]) At vero in iis qui sustentandi sint honestam vitam primum esse dixeris quod iusto iure postuletur. 3⁰. *Quid Romani sentirent de civitate.* „Civitas" *(de staat)* Romanis non erat quiddam incorporale, quod cogitationi tantum, non sensui, esset subiectum. In populo omnis pars civitatis continebatur. Quod

---

[1]) Annus non prorsus constat. Vide Momms. R.G D.A.[2] pag. 60.

[2]) Cf. pag. 135. Ceterum ipse Dionysius graviter monet (IV, 24, 7, 8), ne homines nulla re bona digni temere in civitatem asciscantur.

[3]) Cf. pag. 130 seq.

[4]) Senec. De Benef. IV, 28, 2: „Frumentum publicum tam fur quam periurus et adulter accipiunt et sine delectu morum quisquis incisus est. quicquid aliud est, quod tamquam civi, non tamquam bono datur, ex aequo boni ac mali ferunt."

viri docti fortasse nimis neglexerunt. Ita fiebat, ut cives Romani, quicquid ex subiectis terris Romam confluerет, suum proprium esse ducerent, non rei cuiusdam cui corpus visu tactuque manifestum deest, qualis nostra „civitas" *(staat)* est, notio sola mente percipienda. [1])

c. Caesaris et Augusti consilia frumentaria. Ipsa haec consilia supra [2]) iam narrata sunt. Unde tamen arcessunt viri docti, ut quisque maxime adiumento indigeret, ita eum potissimum admissum esse a Caesare et Augusto? Vereor ne et hic unicum argumentum sit quod ita ferat natura rei! An quia Caesar vicatim per dominos insularum recensum egit? Scio equidem hunc locum vulgo ita accipi, quasi Caesar sciscitatus sit ex insularum dominis, quinam maxime inopia premerentur. At eodem iure sumere licet eum e locatoribus comperisse, qui civitatem haberent, qui

---

[1]) Cf. v. Ihering, Geist d. röm. Rechts II, 1[4], pag. 236: „Wie kalt, wie fremd, wie liebeleer ist im allgemeinen das heutige Verhältniss des Bürgers zum Staat; wie warm, wie innig, wie von wirklicher Liebe beseelt in Rom! Der heutigen Vorstellung erscheint der Staat als abstracte dem Einzelnen gegenüber stehende Persönlichkeit, der römischen als die höhere, den Einzelnen umfassende und durch ihn mitgebildete Einheit. Die Interessen des Staats sind daher nicht bloss mittelbar, sondern unmittelbar seine eigenen, so wie es die der Societät für den Gesellschafter sind; Hingabe an den Staat ist folglich nicht Hingabe an etwas Fremdes, sondern Unterordnung der rein particulären Zwecke unter das allgemeine. Bei diesem Verhältniss zwischen dem Staat und seinen Bürgern, bei dieser innigen Verschlingung ihrer beiderseitigen Interessen verstand sich die Fürsorge des Staats für das Wohl des Bürgers eigentlich ganz von selbst." — Rodbertus, l. l. pag. 377: „In rechtlicher Hinsicht war es die von der abstracten Staatsidee der Neuzeit durchaus abweichende, leiblich und fassbar in dem herrschenden römischen Volksstamm sich verkörpernde Staatsidee, welche diese aus den Eroberungen entspringenden Getreideüberschüsse auch als das Eigenthum — eben nicht eines die Gesellschaft repräsentirenden abstracten Staatswesens — sondern eben dieses leiblichen Staatsvolks, Mann für Mann, erscheinen liess." Num vero satis conclusum videtur, si idem Rodbertus ex hac Romanorum ratione colligit eos pro cuiusque facultatibus distribuisse frumentum publicum? Immo quodsi illud ad singulos pertinere sentirent, eos non minus singulis frumentum dispertiendum curasse existimaveris.

[2]) pag. 134 seq., ubi vide locos ex Suetonio (Iul. 41; Aug. 40) et Cassio Dione (LV, 10).

non haberent. Immo equidem contendere velim Caesar Augustoque, cum tabulas conficerent, discrimen fecisse *civitatis*, n o n *rei familiaris* rationem. Idque non sine gravibus causis. 1⁰. Dione auctore Caesar *ὥσπερ τις τιμητής* (tanquam censor) recensum egit, [1] et apud Livium legimus: „Recensum egit, quo censa sunt c i v i u m capita centum quinquaginta milia." [2] En habemus eundem numerum ad quem Suetonius accipientes frumentum e publico retractos esse dicit! 2⁰. Dio rem in hunc modum narrat: *„τοῦ πλήθους τοῦ τὸν σῖτον φέροντος ἐπὶ μακρότατον, ο ὐ κ α τ ὰ δ ί κ η ν ἀλλ' ὥς που ἐν ταῖς στάσεσιν εἴωθε γίγνεσθαι, ἐπαυξηθέντος ἐξέτασιν ἐποιήσατο, καὶ τούς γε ἡμίσεις ὁμοῦ τι αὐτῶν προαπήλειψε."* [3] Haec verba *οὐ κατὰ δίκην* nonne omnem dubitationem tollunt? 3⁰. Caesar Pompei vestigia secutus est, quem quia libertini frequentes inter plebem frumentariam inrepere solerent, tabulas conficiendas curasse fraudesque reprimere conatum esse supra narravi. [4] Vix credendum est Caesarem, cum multa milia mitteret in transmarinas colonias, [5] colonos istos non potissimum desumpsisse ex iis qui frumentum e publico acciperent, [6] ita quidem ut qui mitterentur essent ipsi libertini qui inter illos inrepsissent. (Strabone auctore colonos istos reapse magnam partem fuisse libertinos supra vidimus. [7]) Libertini autem vel in civitate ingenuis cedebant. [8] 4⁰. Augustus haec de se praedicat: „Plebei Ro-

[1] Dio Cass. XLIII, 25, 2.
[2] Liv. Per. CXV.
[3] Dio Cass. XLIII, 21, 4.
[4] pag. 133 seq.
[5] Cf. supra pag. 96.
[6] Non perspicio quid Rodbertum adduxerit ut scriberet: „Denn von den Kornempfängern werden keine zu Colonisten abgenommen sein." Vide Rodbertum, l. l. pag 381 (382) adn. 19.
[7] l. l
[8] Libertini magnam partem erant aerarii, qui suffragium non habebant; alii permulti civitate carebant quia iusta ac legitima manumissione non erant liberati.

mánae viritim [sequuntur quinque liberalitates] .... Quae mea congiaria p[*e*]rvenerunt ad [*homi*]num millia nunquam minus quinquáginta et ducenta. § [*T*]ribu[*nic*]iae potestátis duodevicensimum consul XII trecentís et vigint[*i*] millibus plebis urbánae sexagenós denariós viritim dedí. § ...... Consul tertium dec[*i*]mum sexagenós denáriós plebei, quae tum frúmentum publicum accipieba[*t*], dedi; ea millia hominum paullo plúra quam ducenta fuerunt." [1]) Variantur et vocabula (*plebes Romana* — *plebs urbana* — *plebes, quae tum frumentum publicum accipiebat*) et numeri (*hominum milia nunquam minus quinquaginta et ducenta* — *trecenta et viginti milia* — *milia hominum paulo plura quam ducenta*). Vix credendum est exiguo spatio annorum maxime undequadraginta (ab anno a. u. c. 710 = a. Chr. n. 44 ad annum a. u. c. 749 = a. Chr. n. 5) *civium* numerum a ducentis quinquaginta milibus ad milia trecenta viginti crevisse. [2]) Quod ni ita esset, Augustus ut leges suas de maritandis ordinibus deque iure liberorum (legem Iuliam et Papiam Poppaeam) daret non necesse erat. [3]) Etiam

---

At ne ii quidem qui in tribus erant recepti cum ingenuis eodem iure erant. Libertinorum iura identidem imminuebantur, ut cum „in quattuor tribus" urbanas „redacti sunt, cum antea dispersi per omnes fuissent." (Liv. Per. XX) De variis libertinorum casibus cf. Momms. StR. III pag. 434 seqq.

[1]) Mon. Anc. Lat. 3, 7 seqq.

[2]) In hunc modum etiam Friedl. Sittengesch. Roms I[6] pag. 63: „Schwerlich kann man mit Mommsen RGDA.[2] p. 60 aus der Zahl von 320 000 Empfängern des congiarium im J. 749 gegen 250 000 bei den Vertheilungen von 710 bis 742 schliessen, dass von 710 bis 749 ein Anwachsen der Plebs von der letztern Zahl auf die erstere erfolgt sei, da ja schon 708 Cäsar 320 000 Gratiskornempfänger vorfand .... und die Freigebigkeit Augusts im J. 749 sehr wol eine aussergewöhnliche gewesen sein kann." Ego tamen minus cogitare velim de extraordinaria quadam liberalitate Augusti quam de multis accipientium numero clam insertis. (Vide proximam paginam.)

[3]) „Dass diese Gesetzgebung sich auf die ärmern Klassen nicht erstreckte, beweist noch nicht, dass dort die Ehelosigkeit geringer oder die Fruchtbarkeit der Ehen grösser war." Ita Friedl. l. l. pag. 62 contra Pöhlmann Überv. pag. 48.

notandi sunt loci, qualis Tac. Ann. XIII, 27: „Si separarentur libertini, manifestam fore p e n u r i a m i n g e n u o r u m."— ut scias ingenuorum incrementum tunc prorsus desiisse. At idem locus et alii multi docent quantum libertinorum numerus tunc temporis cresceret. Itaque equidem pro certo habeo in trecentis et viginti milibus multos fuisse quibus cum civitatis plenum ius deesset ex lege frumentum publicum accipere non liceret; ducenta milia contra erant illi, quos Augustum recensu habito admisisse vidimus. [1]) Quae si vera sint, facile illud quoque apparet, Augustum in accipientibus designandis non sine causa vocabula mutavisse. [2]) 5°. Quid multa? Legimus apud Suetonium de

1) Cf. pag. 135.

2) Scilicet est inter viros doctos controversia utrum haec tria *plebs Romana, plebs urbana, plebs quae tum frumentum publicum accipiebat* idem declarent necne. Hirschfeld (in Philol. l. l. pag. 4 adn. 5) illud adduci vix potest, ut Augustus sine causa verba mutarit in publico hoc rerum a se gestarum commentario. Recte, nisi fallor, ponit plebem *Romanam* intellegi cives Romanos plebeiae condicionis, *urbana* eos quoque comprehendi, quibus civitatis plenum ius deesset. Graecus interpres illam reddit per δῆμος Ῥωμαίων, hanc per ὄχλος πολειτικός. Quamvis, si minus subtiliter distinguas, utroque verbo promiscue uti licere non negaverim, tamen nescio an discrimen illud inter plebem *urbanam* et *Romanam* quodammodo usu quoque confirmetur. Nam plebs *urbana* „Romae erat turba otiosorum, egenorum, factiosorum, turbulentium, et in foro assidue versantium." (Forcell.) Cf. Sall. Cat. 37, 4 seqq.; Cic. De Leg. agr. II, 26, 70; etc. In plebe *Romana* vero contemptio inesse non videtur. Cf. Plinius Paneg. 25: „Ne quis e plebe Romana dante congiarium te hominem se magis sentiret fuisse quam civem." Cogita etiam de formula illa qua omnis populus Romanus designatur *populus plebesque Romana* (Cic. Verr V, 14, 36; Pro Mur. 1, 1 etc.), de qua formula vide Soltau Altröm. Volksvers. pag. 84; Momms. StR. III pag. 6 adn. 4. — Mommsen (R.G.D.A² pag. 59 cum adn. 1) inter tria illa verba nullum discrimen admittit. Eloquendi varietas ordoque liberalitatum ut explicationem habeant, sumit „recensum hunc primum perscriptum esse c. a. 750, ut enumerarentur donationes primum urbanae, deinde veteranorum, congiarium autem a. 752 postea adiectum esse." At cum non nisi duo hominum genera in urbe Roma discernit, pleno iure cives et peregrinos, „ad quos . quomodo priores liberalitates magis pervenire potuerint quam postrema difficile intelleg(a)tur," rogare velim nonne etiam tertium genus cogitari possit, qui neque pleno iure cives essent neque tamen peregrini appellari possent. — Commentum magis quam iudicium dicas quod scribit Rodbertus, Bedenken

Augusto: „Nec minore gravitate atque constantia, cum proposito congiario multos manumissos insertosque civium numero comperisset, negavit accepturos quibus promissum non esset, ceterisque minus quam promiserat dedit, ut destinata summa sufficeret." [1]) Congiaria siquidem additamenta erant ad frumentationes, [2]) locus iste satis probat qui ab Augusto excluderentur eos magnam partem fuisse libertinos. [3]) 6°. Unum addi potest. Inter viros doctos constare videtur [4]) Augustum pariter ac Caesarem in demortuorum locum subsortitionem fieri iussisse. De tali re tamen apud scripto-

---

gegen den von den Topographen Roms etc., l. l. pag. 3 seq, quasi plebs *Romana* fuerit „die pl. der Gesammtstadt, usque ad extrema tectorum — also, so weit Rom im weitern Sinn reichte, —" *urbana* vero „die plebs nur der eigentlichen urbs, der Roma muro cincta, der Binnenstadt für sich ohne die Aussenstadt." In iis quae promit (l. l. pag. 20 seq.) bis errat. Docet enim Graeca versio quam inepte hoc ipso Monumenti Ancyrani loco (Lat. 3, 14) pro „[*homi*]num millia e. q. s." „[*au.* vel *aur. num*]mum millia nunquam minus quinquaginta et ducenta" legi iubeat. Neque propius abest a vero cum ducenta quinquaginta milia aureum nummum HS bis milies quingenties facere contendit — faciunt HS ducenties quinquagies! — falsoque illo numero usus plebem Romanam paulo plus sescenta milia capitum arbitratur. — Omittere nolo ipsam illam eloquendi varietatem esse inter argumenta, quibus nitatur vir nostras J. W. Beck, ut hanc sententiam controversam subiciat: „III. Monumentum Ancyranum ex optimis fontibus esse collectum manifestum est; inter eos fontes fuisse libellum vel libellos ab Augusto conscriptos probabile est: hunc commentarium ab ipso Augusto esse compositum dubitationi obnoxium est." Cf. Beck, De Monumento Ancyrano, in Mnemos. N. S. Vol. XXV pag. 353 et XXVI pag. 247.

1) Suet. Aug. 42.

2) Cf. Momms. Röm. Trib. pag. 195. Aliter quidem Rodbertus. De hac re dicam in proximo capite.

3) Quantum igitur equidem iudicare possum nimis violentum est dicere frumenti largitiones ad eos quoque pertinuisse qui libertini tantum essent nihil amplius. Quam sententiam tamen multi viri docti tueri videntur, ut Marquardt (StV. II² pag. 119), Mommsen (StR. III pag. 440 seq, 445 seqq.). Is putat libertinos inde ab Augusto tribus nomine, i. e. suffragio, caruisse, eosdem vero fuisse in tribubus quas dicit plebis frumentariae. De hac quaestione infra plura dicturus sum, ubi agam de natura tribuum, cum Caesares imperii summam tenebant.

4) Excipiendus est Rodbertus. Vide eum, Zur Fr. d. Sachw. des Geldes im Alt., l. l. adn. 21 (pag. 392).

res nihil lego nec a vero non abhorrere credo, quia verum si esset, summam solidam exspectaremus; ipse autem p a u l o p l u r a quam ducenta milia se admisisse in Monumento Ancyrano narrat. Accedit quod si *egestas*, non *civitas* regula fuisset, ad quam iudicium derigeretur, vix explicari posset cur paulatim decreverit numerus. [1]) Nam si quis opponat Septimio Severo regnante totidem homines (milia CC) congiarium accepisse, [2]) ego moneo illo numero comprehensos fuisse milites praetorianos, qui a Nerone ad menstruam frumenti distributionem admissi erant. [3])

Opinio mea si vera est Caesarique discrimen fecit *civitatis*, n o n *rei familiaris* ratio, nescio an facilius intellegatur locus quidam, qui quasi crux est interpretum. Tabulas dico Heracleenses quae, ut Savigny [4]) primus vidit, legem Iuliam continent municipalem anni a. u. c. 709 (a. Chr. n. 45). Est scriptum in tabula (vs. 17, 18): „Queiquomque frumentum populo dabunt [5]) dandumve curabit, nei qu[oi] eorum, quorum nomina h(ac) l(ege) ad co(n)s(ulem) pr(aetorem) tr(ibunum) pl(ebis) in tabula inalbo proposita erunt, frumentum dato neve dare iubeto neve sinito." Recte Mommsen: [6]) „v. 1—19 videntur pertinere ad eos qui post recensum plebis urbanae frumentationum causa a. 708 institutum professione facta in numerum eorum qui frumentum publicum acciperent per subsortitionem perventuri erant." At cum laudato Suet. Caes. 41 in hunc modum pergit: „Quae (subsortitio) fieri sane non potuit

[1]) Quantum c i v i u m numerus decresceret supra exposui pagg. 54 seq., 98.

[2]) Id intellegitur e Dion. Cass. LXXVI, 1, 1.

[3]) Cf. Hirschf. in Philol. l. l. pag 13; Tac. Ann. XV, 72; Suet. Nero 10.

[4]) Verm. Schr. III pag. 279—412. De hac lege conferatur Hirschf. l. l. pag. 90—95, qui varias opiniones composuit. Descripta est C. I. L. I, 206 et Fontes Iuris Rom. antiqui[6]. pag. 204 seqq.

[5]) Mommsen: „dab[i]t."

[6]) Ad C. I. L. I, 206.

nisi post professionem et ἐξέτασιν. Cavit lex ne professi ante subsortitionem (qua facta nomina sortitorum ex albo illo sublata esse consentaneum est) frumentum publicum acciperent; quare corruperunt legem, non emendarunt, qui fortiores quam prudentiores v. 18 pro „proposita erunt" scribi iusserunt „proposita non erunt"." [1]) — rogari potest tale album nonne prorsus supervacaneum futurum fuerit, quippe cum illi soli acciperent, quorum nomina in tabulas a. 708 a Caesare compositas relata essent. [2]) Quare Hirschfeld putat professionem illam non ad solas frumentationes pertinuisse, sed eos spectasse, qui Roma alio migrarent quique igitur frumentum accipere desinerent. Equidem rem potius ita cogitare velim, eos qui frumentum vindicarent, ut qui rure vel ex municipiis Romam migrarent, alii, apud magistratum profiteri debuisse, cui diiudicandum fuerit, utrum re vera ius haberent necne. Nominibus autem eorum qui probati essent in albo propositis ex illis a praetore fuisse factam subsortitionem. Ante hanc vero ne frumentum iis distribueretur, lege sancitum fuisse diligenter. [3])

d. Natura tribuum, cum Caesares imperii summam tenebant.

Tribus nomen initio fuisse partium, in quas urbs et ager Romanus esset distributum, mox ipsius populi partes significavisse satis notum est; item inde ab anno a. u. c. 513 (a. Chr. n. 241) earum numerum fuisse triginta quinque. Hae tribus quomodo cum civitatis forma cohaereant non

---

[1]) Ita Dirksen, Civil. Abhandl. II pag. 166 seqq.; Nipperdey, Leges annales, pag. 20. Coniecturam probat Karlowa, Röm. Rechtsgesch. I pag. 554 cum adn. 1. Alii, inter quos Mazochi et Savigny, putarunt l o c u p l e t i o r e s, qui auxilio non indigerent, nomina sua profiteri debuisse. At cur haec in albo proponenda erant?

[2]) Ita Nipperdey, l. l., Hirschf. l. l

[3]) Notatu certe dignum municipalem hanc legem etiam urbis Romae statum diligenter ordinasse, quod qui factum sit alii aliter explicaverunt. Cf. Mommsen ad hanc legem. Eiusdem legis vs. 142 seqq., licet difficile sit inde quicquam certi efficere, tamen certe non repugnant opinioni meae.

est huius loci. Ad nostrum propositum grave est hoc, quod mea quidem sententia ostendit Caesarianis quoque temporibus frumenti largitiones omnino fuisse ex usu Romanae plebis: tribus tunc designasse tertiam populi partem, plebem scilicet (sive populum angustiore sensu), quae ut ignobiles nobilibus (i. e. ordinibus senatorio et equestri) erat opposita, [1]) perque illas frumentum fuisse distributum de quo nunc agimus. [2]) Ad rei publicae vero munera tribus tunc parvi erant momenti. [3])

Quaeritur num loci sint qui huic interpretationi repugnent quique — ut affirmant multi viri docti — aperte

---

1) *Tribus* tunc idem valuisse atque *plebem* multis ex locis efficitur. Legitur v. c. Stat. Silv. IV, 1, 25 seq. (Ed. Klotz): „Moribus atque tuis gaudent turmaeque tribusque Purpureique patres." Flor. I, 22, 24 (II, 6, 24): „Opes suas libens senatus in medium protulit .... eques secutus exemplum imitataeque equitem tribus." (Hic locus prorsus convenit cum Liv. XXVI, 36, 12: „Hunc consensum senatus equester ordo est secutus, equestris ordinis plebs." Quae igitur apud Florum *tribus* vocantur, apud Livium *plebs* est.) Dio Cass. LVIII, 2, 7: „τὸ γάρ τοι πλῆθος τῶν ἀνδριάντων ὧν ἥ τε βουλὴ καὶ ἡ ἱππὰς αἵ τε φυλαὶ καὶ οἱ ἄνδρες οἱ πρῶτοι ἔστησαν αὐτοῦ" coll. cum iis quae subsequuntur (§ 8): „πρέσβεις τε ἰδίᾳ μὲν ἡ γερουσία ἰδίᾳ δὲ οἱ ἱππῆς τό τε πλῆθος .... ἔπεμπον." Id. LX, 7, 4: „τήν τε γερουσίαν μετὰ τῶν γυναικῶν καὶ τοὺς ἱππέας τάς τε φυλὰς εἱστίασε." (Cf. § 3: „τό τε βουλεῦον καὶ τὸ ἱππεῦον καὶ ὁ ὅμιλος." Ergo αἱ φυλαὶ sunt ὁ ὅμιλος.) Lamprid. Alex. Sev. 15, 1, 2: „Deinde senatum et equestrem ordinem purgauit ipsas deinde tribus et eos, qui militaribus nituntur praerogatiuis, purgauit." Addi potest Tac. Ann XIII, 27: „Hinc (i. e. e libertinis) plerumque tribus, decurias, ministeria magistratibus et sacerdotibus, cohortes etiam in urbe conscriptas; et plurimis equitum, plerisque senatoribus non aliunde originem trahi." Et XIV, 13: „Obvias tribus, festo cultu senatum." Suet. Aug. 101 *tribus* opponuntur *populo R.*: „Legavit populo R. quadringenties, tribubus tricies quinquies sertertium." *Tribus* hic quoque *plebem* significare intellegitur e Tac. Ann. I, 8: „Legata non ultra civilem modum, nisi quod populo et plebi quadringentiens triciens quinquiens e. q. s." De his locis ad interpretandum difficilioribus dicam in proximo capite.

2) Cf. Madv. Verf. u. Verw. I pag. 106 seq.; Momms. StR. III pag. 445.

3) Ammian. XIIII, 6, 6: „Et olim licet otiosae sint tribus pacataeque centuriae et nulla suffragiorum certamina set Pompiliani redierit securitas temporis."

ostendant tribuum nomine *egentes* quoque designari. [1]) Afferuntur vulgo, nisi fallor, Plin. N. H. XVIIII, 4, 54: „In his (sc. in herbis) quoque aliqua sibi nasci tribus negant caule in tantum saginato ut pauperis mensa non capiat?" — Mart. IX, 49, 7, ubi dicit de toga a Parthenio sibi donata: „Nunc anus et tremulo vix accipienda tribuli" — 57, 8: „Nec pallens toga mortui tribulis." [2]) Quod ad Plinii locum, neglegunt viri docti discrimen inter *pauper* et *egens* vocabula (de quo vide Appendicem). Causa, nisi fallor, repetenda e perversa interpretatione totius loci, quem ita intellegunt, quasi egentibus Romanis vel poma olerave denegata fuerint. Supra [3]) iam monuimus hoc loco vituperari locupletium luxuriam, qui vel in cottidianis cibis generosissimum ac rarissimum quidque captarent. Talia tenuiores parare non potuisse per se intellegitur. Generatim autem de tenuioribus sive de omni plebe Romana hic agi, non vero de solis egentibus, ex ipso quoque contextu facile apparet. Qui enim modo *pauperes* appellantur, iidem modo *plebis* voce significantur. [4]) Graviores sunt duo posteriores loci. Inde patet revera *tribulem* interdum significare virum

---

[1]) Immo Mommsen Röm. Trib. pag. 194 seqq. docet intra plebis urbanae tribus (de quibus vide *infra* pag. 158 seq.) fuisse quaedam corpora egentium quae et ipsa tribuum nomine appellarentur perque has frumentum publicum fuisse distributum. Haec iam vetus est opinio. Cf. e. g. Duker ad Flori II, 6, 25.

[2]) Nimirum omittenda sunt Stat. Silv. III, 3, 98 seqq. (Ed. Klotz): „Vigil idem animique sagacis Et citus evolvit quantum Romana sub omni Pila die quantumque tribus, quid templa . . . . poscant." — et Mart. VIII, 15, 4: „Dat populus, dat gratus eques, dat tura senatus, Et ditant Latias tertia dona tribus." Quae qui laudant „petitionem principii" (ut dicunt) committunt.

[3]) pag. 59 seq.

[4]) Paulo ante legitur (§ 51, 52): „Romae quidem per se hortus ager pauperis erat, ex horto plebei macellum, quanto innocentiore victu!" Et paulo post (§ 54, 56): „Mirum esset non licere pecori carduis vesci, non licet plebei! . . . . itaque, Hercules, nullum macelli vectigal maius fuit Romae clamore plebis incusantis apud omnis principes, donec remissum est portorium mercis huius. conpertumque non aliter quaestuosius censum haberi aut tutius ac minore fortunae iure,

egentem. [1]) Quid tamen habet miri, cum idem dici possit de ipsa plebe ipsisque plebeis? Omnes qui equestrem censum non habebant, plebs erant. [2]) Inter eos sane erant homines, qui nonnihil valebant: [3]) et tamen eadem vocabula *plebs*, *plebei* usurpabantur ad designandam sine nomine turbam. Num satis conclusum videtur *tribus* vocem specialem quandam significationem habuisse, immo tribus fuisse egentium quaedam corpora? Tantum abest ut hoc ita sit, ut compluribus locis variae commemorentur necessitudines, quibus ditiores inter tribules cum pauperioribus coniuncti essent. [4]) Immo saepius legimus de statuis a tribulibus dicatis, de pecuniis ab iis collatis, deque similibus rebus, quae videntur ab inopibus aliena esse. [5]) Ceterum quaeri potest, quod in *tribuli* est probatum, idne in *tribu* probari sit necesse.

At siquidem in Digestis saepius legimus de tribu tesserave frumentaria — quae verba ut causa et eventus ex posteriore sermonis usu aliquomodo idem valebant [6]) — a dominis libertis suis legatis vel ab ipsis libertinis emptis, [7])

cum credatur pensio ea pauperum. his in solo sponsor est et sub die reditus superficiesque caelo quocumque gaudens."

[1]) Ad priorem locum vetus interpres: „*Tribuli*] Algenti et horrenti frigore pauperi tributim et capite censo." — Ad alterum: „*Pallens, etc.*] Defloccata toga, qua amictus, effertur pauper."

[2]) Vide Voigt in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2², pag. 337; Herzog, Gesch. u Syst. d. röm. Staatsverf., I pag. 1052 seq.

[3]) Cf. Herzog l. l.

[4]) Cf. Cic. Pro Sex. Rosc. 16, 47; Pro Mur. 33, 69; 34, 72; 35, 73; Ad Q. Fratr. III, 1, 1; Hor. Ep. I, 13, 15; Suet. Aug. 40; Madv. l. l. pag. 103 seq.; Herzog l. l. pag. 1021 seqq.; Momms. StR. III pag. 196 seqq.

[5]) Cf. C. I. L. VI, 980 (= Henzen 6419), 1104 (= Orelli 1000); Suet. Aug. 57. Titulus C. I. L. VI, 1104 iteratus atque emendatus legitur ibidem pag. 844.

[6]) Momms. l. l. pag. 447 adn. 4: „Häufiger wird, wie es scheint völlig in demselben Sinn wie *tribus*, *tessera frumentaria* gesetzt (*Dig*. 5, 1, 52, l. 31, 49, l. *l*. 87 pr.)."

[7]) Conf. praeter locos in proxime antecedente adnotatione Dig. XXXII, 35 pr.

quaeritur nonne posterioribus certe imperii Romani temporibus frumentationes fuerint egentium quaedam cura. [1]) Primum monere velim posteriora illa tempora non amplius ad propositum meum pertinere. At cum iam Scaevola, qui Marco Aurelio regnante vixit, scribat de patrono qui „liberto statim tribum emi petierat" et de commodis et principalibus liberalitatibus, [2]) „quas libertus ex eadem tribu usque in diem mortis suae consecuturus fuisset," [3]) cumque praeterita saepius illustrentur proximis, haud indignum mihi videtur de hac quoque re pauca dicere.

Qui bene distinguit, bene docet. Concedi potest tunc temporis inter eos, qui frumentum publicum perciperent, permultos fuisse egentes, nec tamen sequitur ut ditiores inter plebeios essent exclusi. [4]) Immo ipsum nomen tribus et ipsa illius tesserae

---

[1]) Cf. Momms. l. l. pag. 447: „Die Behandlung der Tribus bei dem Juristen Scaevola aus Kaiser Marcus Zeit als einer erblichen und übertragbaren Staatsrente, in welche . . . . Personen niederen Standes sich einkauften oder eingekauft wurden und durch welche ganz gewöhnlich der Patron im Testament seinen Freigelassenen eine Leibrente verschaffte, so dass in der Hauptstadt an die Tribus schliesslich die Vorstellung der Armenversorgung sich anknüpft."

[2]) Quae cur extraordinaria tantum dona fuisse Mommsen dicat (l. l. pag. 444 cum adn. 4), non perspicio; sine dubio ordinariae frumentationes simul intellegendae esse mihi videntur, immo hae vel maxime.

[3]) Dig. XXXII, 35 pr.

[4]) Non obliviscendum, si rem universam spectes, postremis imperii Romani saeculis Romanos multo minus opibus et copiis floruisse quam antea. Plebes media, quae dicitur, paene tota corruerat Remanserant sane pauci aliquot praedivites, sed praeter hos Romae ad extremum non nisi egentes vivere videbantur. Cf. supra pag. 50 seqq. et Voigt in Iw. v. M.'s Handb. IV, 2², pag. 430: „Von solchem Rückgange des Volkswohlstandes ward vornehmlich der Mittelstand mit voller Schwere betroffen: während der Reiche in dem wirtschaftlichen Niedergange vielfach seinen Besitz zu behaupten vermochte, versank der erstere allmählich in Dürftigkeit, aus welcher sich emporzuschwingen nur wenigen, durch eigene Tüchtigkeit oder vom Glücke Begünstigten möglich ward, wogegen die grosse Masse in drückende Armut verfiel . . . . Und indem so einem in der Hand einzelner Familien vereinigten Reichtume die grosse Masse der zu Dürftigkeit, ja zu Armut Verurteilten gegenübertrat, so verschärfte sich damit der überlieferte Kontrast von reich und arm, die letzteren mit bitterem Hasse wider die ersteren erfüllend." Etiam conferas Pöhlmann o. l. pag. 47:

natura, ni fallor, contrarium docent. Tribus nomen nescio an ostendat propter civitatem, non propter egestatem, commoda fuisse data. Rodbertus quidem inter frumentum publicum et cetera „commoda principalesque liberalitates" ita distinguit, ut prius illud tantum quoad in pauperibus recensi essent iis datum fuisse arbritretur, altera contra, ut cum ipsa tribu coniuncta, per totam vitam tenuisse; [1]) sed talis distinctio longius videtur esse repetita. Apud scriptores nihil invenio, ex quo effici possit eos, quibus tribus legata vel vendita esset, cum meliore condicione uterentur, frumenti ius amisisse. [2]) Quin tessera frumentaria — quam talibus locis positam esse puto pro *iure in tesseras* sive *iure in frumentum publicum* [3]) — cuivis legari vel venire potuisse videtur, dummodo civis aut esset aut eum civem fieri fas esset, exceptis solis clarissimis viris. [4]) Nimirum credi potest liberto, cuius in testanda tribu erus memor fuerat, minime ingratum quid accidisse, quippe cuius tenuitas haud spernendum in modum sustentaretur. Non tamen sequitur ut aut tribus essent egentium corpora — erus

---

„In dem Gedichte des christlichen Poeten Prudentius .... erscheint die grosse Mehrheit der römischen Bevölkerung offenbar als ein unbeschäftigtes auf öffentliche Kosten erhaltenes Massenproletariat." Respicit ad Prudent. I, 584 seqq.; II, 948 seqq.

[1]) Zur Fr. d. Sachw. d. Geldes im Alt., l. l. adn. 21 (pag. 393 seqq.)

[2]) Hac quidem in re a Rodberto dissentit Pöhlmann (l. l. pag. 49): „Entsittlichend wirkte das System durch die Planlosigkeit, mit der es seine Gaben — offenbar ohne genügende Controle, ob der Empfänger selbstversorgungsfähig oder nicht, ob würdig und bedürftig oder nicht — über die Massen ausstreute und dem, der einmal ein Anrecht durch das Loos gewonnen, dasselbe auf Lebenszeit garantirte, mochte sich seine wirthschaftliche Lage gestalten wie sie wollte. Wie weit man von einer consequenten Individualisirung entfernt war, ohne welche doch von einer wirklichen Bekämpfung der Armuth nicht die Rede sein kann, dafür zeugt auch der Umstand, dass die tessera frumentaria von ihrem Inhaber nach Belieben zeitweise abgetreten oder gänzlich veräussert werden konnte." Immo vero ne propositum quidem fuisse ut egestas impugnaretur, hoc ipso rursus apparet.

[3]) Ita etiam Momms. Röm. Trib. pag. 198.

[4]) Dig. XXXII, 35 pr.

videlicet ipse habebat tribum quam legabat [1]) — aut frumentationes liceat appellari egentium iustam curam.

Antequam ab hoc loco abeamus, pauca dicenda sunt de libertinis in frumentationum communionem assumptis. Superiora enim haud dubie docent tum quidem, cum Caesares regnarent, multos libertinos publici frumenti fuisse participes. Quod Mommsen adduxit ut duo tribuum genera discerneret, antiquas quae ad rei publicae rationes essent referendae, et urbanae plebis quae cum frumenti largitionibus cohaererent; ad has autem admissos, ex illis exclusos fuisse libertinos. [2]) Mihi tamen Mommsen hanc opinionem suam nequaquam confirmare videtur argumentis nihil dubii relinquentibus. [3]) Quidni sumamus Augustum, qui manu-

[1]) Ipse Mommsen (StR. III pag. 447 adn. 4) e scriptore satis recenti, Tertulliano, haec verba laudat de liberto (De Resurr. carnis 57): „Et vestis albae nitore et aurei anuli honore et patroni nomine ac tribu mensaque honoratur." Ergo libertus honoratur *patroni* tribu.

[2]) StR. III pag. 444 seqq. Haec scribit pag. 446: „Es ist wesentlich für die Charakteristik des Bürgerrechts zweiter Klasse, dass die Zurücksetzung der Freigelassenen und ihre Ausschliessung von den Tribus sich auf diese Tribus und diese Spenden nicht erstreckt hat. Vielmehr ist unter dem Principat die Mitgliedschaft der Tribus an sich getrennt worden von dem Recht dieselbe als Namenstheil zu führen und in der Tribus und der dadurch bedingten Centurie zu stimmen."

[3]) Maximum eius argumentum hoc est, ex inscriptionibus patere Caesarum aetate tribum vulgo non additam fuisse libertinorum nominibus. At cum ipse concedat postremis liberae rei publicae temporibus tribum non magis additam esse, argumentum mihi admodum leve videtur. Cf. Momms. l. l. pag. 440 adn. 4: „Dass in den ziemlich zahlreichen Inschriften der späteren republikanischen Zeit mit der einen S. 441 A. 2 angeführten Ausnahme die Tribus nicht erscheint, kann den bestimmten Angaben gegenüber, welche für diese Epoche ihr Stimmrecht bezeugen, nicht in Betracht kommen" Quod ad locos quos docere ait libertinos in „plebis frumentariae tribus" fuisse receptos, equidem non video quid indicet *tribus* vocem ibi non latius patere. Sunt Tac. Ann. XIII, 27 — quem locum vide supra pag. 153 adn. 1 — et Symmach. Orat. pro patre 7: „Illa (sc. vetustas) tribus evocet libertina ac plebeia faece pollutas." At fac tribus istis locis de plebe tantum frumentaria esse accipiendas, quidnam inde efficitur? In Taciti enim loco de remotiore potissimum origine cogitandum est (cf. Momms. l. l. pag. 452 adn. 3), cum non solum inter praetorianos legionariosve, sed ne inter cohortes quidem urbanas libertinos stipendia mereri fas esset

missionibus omni ratione modum imposuit, [1]) qui „neminem umquam libertinorum adhib(uit) . . caenae excepto Mena, sed asserto in ingenuitatem", [2]) eundem libertinos — illos certe qui plenam libertatem consecuti non essent [3]) — ex tribubus excludere, i. e. cum suffragio tum frumenti beneficio privare, conatum esse? [4]) Pueros quidem ipse Mommsen docet non nisi ingenuos fuisse incisos frumento publico. [5]) Nihilo minus tamen ad utrumque multos admissos esse patet, quorum numerus aetate procedente usque crevisse videtur. [6])

e. Quod ius in frumentum publicum cum honore positum fuisse videtur, tum officiorum erat remuneratio. Quod ad 1⁰: testes mihi sunt tribus et frumentum e publico perceptum nonnumquam simul commemorata in lapidibus mortuorum memoriae inscriptis. [7]) Quod ad 2⁰: cogita de vigilibus quorum est titulus C. I. L. VI, 220, qui post certos annos militiae „fru-

---

(Momms. l. l. pag. 450). Quid quod „per idem tempus actum in senatu de f r a u d i b u s libertorum"? (Tac. l. l. cap. 26 init.) Nec magis mihi liquet cur l. l. pag. 445 cum adn. 1 Ammian. XIIII, 6, 6 — hunc quoque locum vide supra pag. 153 adn. 3 — referat ad solam plebem frumentariam. Contextum repugnare credo.

[1]) Cf. Suet. Aug. 40 et imprimis haec verba: „Servos non contentus multis difficultatibus a libertate et multo pluribus a libertate iusta removisse, cum et de numero et de conditione ac differentia eorum qui manumitterentur curiose cavisset . . . . . ." Cf. etiam Dio Cass. LV, 13, 7.

[2]) Suet. Aug. 74.

[3]) Cogita de Latinis Iunianis et de iis qui dediticiorum numero erant. Cf. Momms. l. l. pagg. 626, 141.

[4]) Ita etiam Caesarem, ut fraudes reprimeret, multos libertinos in colonias misisse supra vidimus (pag. 147). De libertinorum iuribus iam ante Augustum identidem imminutis cf. ibidem adn. 8.

[5]) Momms. l. l. pag. 447 seq. De hisce pueris cf. infra Caput de Alimentis publicis.

[6]) Omnino in libertinos praecepta firma et stabilia non erant. Cf. Momms. l. l. pag 443 seq. De suffragio Mommsen (l. l. pag. 441): „(Es ist) wohl glaublich, dass er (sc. Augustus) . . . . . . den Freigelassenen das Stimmrecht nicht bloss in den ländlichen Tribus unbedingt, sondern auch, v i e l l e i c h t m i t A n n a h m e e i n z e l n e r K a t e g o r i e n o d e r I n d i v i d u e n, in den städtischen Tribus versagt hat."

[7]) C. I. L. VI, 10220 (= Henzen 6662), vs. 6 seqq.:

ment(o) publ(ico) incisi sunt." [1]) Cogita de tibicinibus, ad quos illud frumentum videtur pertinuisse, quia „s(acris) p(ublicis) p(raesto) s(unt)." [2]) Eodem modo nonnulli putant hoc frumentum aeneatoribus fuisse distributum propter quaedam publica officia. [3])

Ibid. 10221:

*t*YCHENIANVS DICIT FATIS AB
*r*EPTVS · HIC · IACEO RELIQVI TRI
*bu*M INGENVAM · FRVMENTVM
*publ*ICVM · ET · AENEATORVM

M · BAEBIVS ·
ASCLEPIADES · IVSTINVS
QVI VIXIT · ANNIS · IIII ·
MENS · III · DIEB · XIIII · TRIB·
OFFENTINAE· CONLEGIO·AE
NIATORUM · FRVMENTO ·
PVBLICO · SVPERVIXIT · IVS
TINVS · SECVNDO · FRA
TRI · SVO · DIES · N · CIIII ·

[1]) = Henzen 6752. Inscriptio est ex Septimii Severi aetate. C. I. L. V, 889 commemoratur Macer quidam veteranus miles in aere incisus ab divo Vespasiano. Adnotat Mommsen: „Quam ob causam hunc Macrum in aere incidi iusserit Vespasianus non liquet; nam et de praemiis veteranorum cogitari potest et de admissione ad frumentum publicum post civitatem adeptam, ut est in noto titulo urbano (Henzen 6752): qui frument(o) publ(ico) incisi sunt Kal. Martis." Quid si ipsa civitas ac frumentum publicum praemia fuerunt veterano illi data?

[2]) C. I. L. VI, 2191 (= Or. 2448). Item C. I. L. VI, 2584 de veterano quodam inter alia plura haec leguntur: „honestam missione missus frumento publico collegio tibicinum qui vixit annis XXXVII mensibus sex diebus XXIII." [Illud *honestam missione missus* per dittographiam (quam dicunt) scriptum puto pro *honesta missione missus*.] Ex hoc quoque titulo efficiunt viri docti tibicines inter frumentum publicum accipientes relatos fuisse.

[3]) Cf. Pauly-Wissowa, Real-Encycl. I² s. v. *aeneatores*. Aeneatores vel aenatores apud scriptores saepius commemorantur. Hoc nomine tria genera militum, qui signa canerent, cornicines, tubicines, bucinatores, comprehensa fuisse iam Lipsius (De milit. Rom. IV, 10) vidit. Quaeritur num iidem significati sint in titulis C. I. L. VI, 10220 (= Henzen 6662) et 10221, quos vide supra. Henzen (Bull. dell' inst., 1859, pag. 231 seq.), cui assentiuntur Hirschfeld (in Philol. l. l. pag. 12; Die Sicherheitspolizei im röm. Kaiserreich, in Sitzungsber. der königl. Preuss. Akademie der Wissensch. zu Berl., 1891, 2, pag. 853) et Huelsen (Bullett. municip.

f. Similitudo panis qui dicitur gradilis et annonae civi-

Rom., 1891, pag. 351), in his inscriptionibus ***aeneatorum (aeniatorum)*** non ab ***aeneatores***, sed ab ***aeneati*** derivans, hos aeneatos eosdem esse suspicatur atque ***frumento publico incisos***. Mommsen vero Servianas centurias liticinum cornicinum imperatorum temporibus in unum collegium coniunctas fuisse contendit (StR. III pag. 288; Eph. Epigr. VIII pag. 257), quod in titulis urbanis modo ***liticinum cornicinum*** — huc videtur pertinere Orelli 4105: „M. Iulius Victor |ex collegio li|ticinum · cornicinum" — modo ***aeneatorum*** appellatum sit. Henzeni opinionem in hunc modum refellit: „Henzeni opinatio ***aeneatorum collegium*** (C. VI, 10221) derivandum esse non ab aeneatoribus, sed ab aeneatis et significari homines frumenti publici accipiendi causa in aere incisos . . . . et linguae contraria est et rerum notitiae. Nam homo in aere incisus non magis aeneatus dici potest quam qui in lapide marmoreve incisus est lapidatus vel marmoratus. Deinde cum in titulo C. VI, 10220 habeamus puerum qui reliquerit tri[bu]m ingenuam frumentum [publ]icum et aeneatorum [collegium?], aperte hoc distinguitur a frumento publico (cf. VI, 2584: frumento publico, collegio tibicinum), quocum id idem esse contendit Henzenus, efficiemusque inde liticines cornicines publicis emolumentis similiter usos esse atque plebeios ad frumentum publicum admissos, nequaquam hos dictos fuisse aeneatos." Nos a Mommseno stare velimus. Praeter argumenta ab ipso allata etiam haec digna mihi videntur, quae perpendantur. 1°. Prorsus dubium est quid sit ***aeneum frumentum*** ex Cod. Theod., quod a se facere putare videtur Henzen. Cf. Gothofr. et Hänel ad Cod. Theod. XIV, 25, 1.— 2°. Lacuna est initio vs. 10 C. I. L. VI, 10220, quam collato 10221, ubi est ***conlegio aeneatorum***, per ***conleg*** vel ***colleg*** explendam esse suspicor. (Mommsen ***collegium?*** Kubitschek apud Pauly-Wissowa s. v. ***aeneatores*** propter angustum spatium ***corpus*** suspicatur. Offensio tamen aeque bene sublevatur, si legas ***conleg.*** vel ***colleg.***, quod quia ceteris inscriptionibus respondet ego praetulerim.) Quod si verum est, haec sententia evadere videtur: „reliqui tri[bu]m ingenuam, frumentum [publ]icum et aeneatorum [conl(egium)]", neque ***et*** particula explicativam vim habere posse, quod vult Henzen (Germanice ***und zwar***).— 3°. C. I. L. VI, 2584 (vide adn. 2) tibicines — qui ceterum ab aeneatoribus diversi erant; cf. Momms. Eph Epigr. l. l. — inter frumentum publicum percipientes relatos esse videtur docere.— 4°. C. I. L. VI, 10221 est fragmentum sarcophagi marmorei. Titulus autem inscriptus est in clipeo; ab utroque latere tituli est genius alatus clipeum sustinens; infra duo arcus cernuntur cum pharetris. Haec nescio an indicio sint eum, qui in sarcophago illo esset conditus, fuisse virum militarem.— Haec omnia igitur nos adducunt, ut putemus in titulis quoque ad frumentum publicum pertinentibus aeneatorum nomine certum quoddam militum genus esse designatum. De his aeneatoribus porro conferri licet Cichorius et Kubitschek apud Pauly-Wissowa s. v.; Ruggiero, Diz. epigr. s. v.; Liebenam o. c. pag. 126; Waltzing o. c I pag. 519. Quomodo autem fieri potuerit ut pueri adnumerati essent in collegio militari, Ruggiero l. l. in hunc modum explicat: „La difficolta che dei fanciulli abbiano costituito un collegio varebbe anche se non si trattasse di ***aeneatores***, ma di ***aeneati***, si elimina, a nostro avviso, col riguardare quei due fanciulli siccome figli

cae. [1]) Inter hanc largitionem et antiquas frumentationes similitudo tanta est, ut a Gothofredo perpetuo confundi videantur. Non secus atque in frumentationibus illius panis distribuendi gratia „figendus (erat) aeneus, in quem et panis modus et percipientis nomen debeb(a)t incidi." [2]) Ut Caesar „instituit, quot annis in demortuorum locum ex iis, qui recensi non essent, subsortitio a praetore fieret," [3]) ita in Codice Theodosiano legimus: „Si quidem iustum est, ut in perpetuum suum quisque detineat, et per succedaneas vices proprius ordo teneat." [4]) Nec fraudes hic deerant. Legimus enim : „Et si ad tantum alicuius temeritas eruperit, ut aut per se aut per aliquem suorum sibi quolibet modo ius panis istius atque aereae tabulae suum voluerit nomen inserere, supra dictis condicionibus subiacebit." [5]) Itaque nescio an posteriorum temporum frumentationes aliqua ratione ex annonis civicis et pane gradili interpretari liceat. Vel potius, cum iam Aurelianum panes populo distribuisse legamus, ab illo rem repetamus. Vopiscus in Aureliani vita: „Coronas eum fecisse de panibus, qui nunc siliginei uocantur, et singulis quibusque donasse, ita ut siligineum suum cotidie toto aeuo suo unusquisque et acciperet et posteris suis dimitteret." [6]) Tale quid absurdum esset, si non nisi egentes significati essent. Quis enim pro certo

di appartenenti al collegio e quindi godenti essi pure del beneficio concesso ai genitori, per cui implicitamente si potevano considerare come parte del collegio stesso."

1) Hic panis quid fuerit discimus ex Cod. Theod. XIV, 17, qui inscribitur *De annonis civicis et pane gradili*. Cf. etiam Cod. Iust. XI, 25 (24). *Gradilis* dicitur a gradibus de quibus ministrabatur. *Annonae civicae* appellantur etiam *annonae civiles* (Cod. Iust. l. l.) sive *annonae publicae* (ibid. 1; Cod. Theod. l.l. 13), item simpliciter *annonae* (ibid. 7; 8; 12; 13; 14).

2) Cod. Theod. l. l. 5.

3) Suet. Iul. 41.

4) Cod. Theod. l. l. 7.

5) Cod. Theod. l. l. 5.

6) Vopisc. Aurel. 35, 1. Cf. etiam pag. 135 cum adn. 5.

affirmare poterat vel ipsos vel eorum posteros non ad opes esse processuros? [1]) Accedit quod panes siliginei distribuebantur, i. e. panes e subtilissima farina cocti. Si pauperibus destinati essent, cur cum maxime tam sumptuosi panes deligerentur? [2]) Quod autem ad annonas civicas, iam ipsum nomen indicat eas in universum ad cives, [3]) non ad egentes solos pertinuisse. Variae harum annonarum species commemorantur. Erogabantur palatinis, [4]) militaribus viris [5]) seu militibus nonnullis in urbe Constantinopolitana, puta scholis quibusdam; [6]) item aedificantibus cum in urbe Roma [7]) tum in urbe Constantinopoli, [8]) eo consilio ut aedificandi studio magnitudo urbis augeretur. Aliud igitur annonae civicae per se consideratae, aliud egentium cura. Qui domum aedificare possit, eum profecto nemo egentem appellabit. [9])

[1]) Bene Rodbertus, l. l. pag. 395: „(Aurelian), der bei einer speciellen Gelegenheit für die damaligen Stadtbürger Roms und deren Nachkommenschaft — nicht als Arme, sondern als Zeitgenossen seiner asiatischen Siege — eine bestimmte Quantität Freibrod in einer bestimmten Form stiftete . . . . ."

[2]) De hoc pane siligineo quidem Mau apud Pauly-Wissowa, Real-Encycl. II[2] s. v. *Bäckerei*, pag. 2736: „Es scheint, dass in späterer Zeit, als man die Brotsorten nicht mehr nach den Getreidesorten unterschied, *panis siligineus* die allgemeinere Bedeutung feinen Brotes annahm, Hist. Aug. Aurel. 35, 1; denn es ist gänzlich unglaublich, dass man zur Verteilung an das Volk die weniger nahrhafte und viel teurere . . *siligo* gewählt haben sollte. So erklären auch die Glossen *siligineus* mit καθαρὸς ἄρτος." At etiamsi hoc verum sit, panes qui donabantur erant *optimae notae*, non *secundarii* qui vocabantur.

[3]) Sic Cod. Theod. l. l. 5 cives Romani „triginta et sex uncias in bucellis sex mundis sine pretio" consecuturi esse dicuntur.

[4]) Ibid. 7.

[5]) Ibid. 7; 11.

[6]) Ibid. 8; 9; 10; 11; 12.

[7]) Ibid. 5.

[8]) Ibid. 1; 11; 12; 13. De hoc „pane domorum" vide etiam Krakauer o. c. pag. 45.

[9]) Notabile quoque quod Hirschfeld scribit (Die Sicherheitspolizei etc. l. l.), qui agens de tituli fragmento C. I. L. VI, 1766, propter certas quasdam professiones artesve nonnullos in panis distributiones ius habuisse statuit.

At cum legimus de pane „popularibus quibus non est aliunde solatium" erogando, [1]) nonne habemus manifestam *egentium* significationem? Ut Gothofredus in Commentario: „Nempe, et soli Ciues *Romani* et *pauperes* populares quibus aliunde solatium non erat, hunc panem gradilem accipere poterant." [2]) Ego valde addubito rectene tale quid ex istis verbis cogatur, quibus haud dubie ii tantum significantur, qui non alia de causa panem perciperent, ut qui aedes aedificarent, et qui sunt generis eiusdem. Ut est in ipso Cod. Theod.: „Ita ut ius in his nullus habeat officialis, nullus servus, nemo, qui aedificiorum percipiat panem ..... Popularibus enim, quibus non est aliunde solatium, quibus idem [3]) panis hodieque distrahitur, et eorum successoribus clementia nostra deputabit, [4]) in quo nunc emitur loco, propriis gradibus erogandum." *Solacium* vocabulum igitur hic eodem modo usurpari mihi persuasum est atque *solamina* C. I. L. II, 1180, ubi affertur „adiutor praefecti annonae ad oleum Afrum et Hispanum recensendum item solamina transferenda et vecturas naviculariás exsolvendas", ad quem locum Huebner: „*Solamina* subsidia annonaria significare ex hoc titulo solo concluditur a Forcellinio s. v., cui adstipulatur Henzenus." At illi significationi additur fides altero titulo (C. I. L. VIII, 619); in quo commemoratur „proc(urator) ad solaminia [*sic*] et horrea." [5])

Singulis igitur illis perpensis quibus insistendum esse putavi, [6]) nescio an reperiatur vere dictum esse illud quod

---

1) Cod. Theod. l. l. 5.

2) Gothofr. ad. Cod. Theod. l. l. 6.

3) Ardiniensis seu sordidus. [Gothofr.]

4) Pro „deputauit". [Id.]

5) Cf. Ruggiero s. v. *annona* (*militaris*). De hoc titulo idem: „Molto probabilmente *solamina* sta per *annonaria subsidia*."

6) Vide pag. 140.

initio posui, egentissimum quemque neque solum neque potissimum participem fuisse frumentationum. [1])

c. Quo modo frumentum publicum distribuebatur?

Breviter tantum attingam modum quo frumentum publicum distribuebatur, quia hic locus multis nominibus nondum ad liquidum est perductus et ad propositum meum parum refert.

De magistratibus in re frumentaria occupatis multa sunt incerta. Initio universa annonae cura penes aediles erat. Qui cum amplissimo numeri minime pares essent et insuper urbis Romae finibus continerentur, pro tempore et pro re saepius varia concilia erant capienda. In his commemorabo legem, „qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariae toto orbe terrarum daretur." [2]) Tum duos aediles Ceriales a Caesare constitutos „qui frumento praeessent", [3]) quaestorem Ostiensem, curatores extra ordinem rei frumentariae praepositos. [4]) Annonae cura anno a. u. c. 732 (= a. Chr. n. 22) Augusto iniuncta [5]) tandem ad stabilitatem pervenit cum eodem rem publicam gerente constitueretur praefectus annonae eques Romanus. Quod munus, amplum certe ac magnificum, tunc demum con-

---

[1]) Addi possit eos qui frumentum acciperent (τοὺς τὸ σιτηρέσιον φέροντας) Caligulae imperatori singulos singulas drachmas obtulisse ad statuas erigendas (Dio Cass. LIX, 6, 4), quod inopum esse negaveris. At cum drachma esset pecunia satis parva, huic argumento magna vis tribui nequit.

[2]) Cic. Ad Att. IV, 1, 7. Cf. etiam pag. 133.

[3]) Pompon. Dig. I, 2, 2, 32.

[4]) De omnibus hisce magistratibus cf Momms. StR. II³ pagg. 480 seq., 503 seq., 571 cum adn. 1, 572 cum adn. 8, 671 seqq., etc. Quod ad aediles plebis Ceriales, ad pag. 481 adn. 1 addenda sunt quae contulit Gardthausen, Augustus u. seine Zeit, II pag. 318 seq.

[5]) Hirschfeld, V. G. I pag. 130 adn. 1, iam illo anno in perpetuum hanc curam a principe receptam esse negat, contra quem vide Momms. l. l. pag. 1038 cum adn. 1 et R.G.D.A.² pag. 25.

cidit, cum a Constantino imperii sedes Constantinopolim est translata. [1])

Frumentationibus autem qui praeessent, dum res publica erat libera, dubium. [2]) Et quod ad Caesariana tempora, commemorantur sane sub Augusto praefecti quidam frumenti dandi, quibus Hirschfeld [3]) solarum frumentationum curam fuisse autumat; at contra Mommsen [4]) contendit nullam causam esse, cur putemus curam annonae non fuisse eorum muneris. Nulla sane causa est cur cum Hirschfeldo ex ipso nomine *praefecti frumenti dandi (dandi, non vendendi)* efficiamus annonam ad hos magistratus nihil attinuisse, quoniam idem vocabulum usurpant scriptores, ubi narrant ex lege Sempronia senis et triente frumentum plebi d a t u m esse. [5]) Ceterum ne hoc quidem satis constat, quamdiu fuerint, quandoquidem Mommsen [6]) iam inter annos octavum et decimum quartum p. Chr. n. in illorum partes praefectum annonae subisse contendit, cuius officium fuerit o m n e m rem frumentariam curare, Hirschfeld [7]) contra nescit an usque ad Claudium vel Neronem ordinariae frumentationes publicae ad praefectos frumenti dandi pertinuerint, qui adiectis plerumque vocabulis *ex s(enatus) c(onsulto)* usque ad exitum secundi p. Chr. n. saeculi commemorantur.

---

[1]) De praefecto annonae vide Hirschf. in Philol. l. l. pagg. 27 seqq., 46 seqq.; V. G. pag. 131 seqq.; Momms. StR. II³ pag. 1041 seqq.; Marq. StV. II² pag. 131 seq.; Karlowa, Röm. Rechtsgesch. I pag. 552 seqq.; Herzog, Gesch. u. Syst. d. röm. Staatsverf., II pag. 736 seq.

[2]) Cf. Hirschf. in Philol. l. l. pag. 40 seqq.

[3]) V. G. I pag. 130 cum adn. 1.

[4]) StR. II³ pag. 1040 adn. 1.

[5]) Cf. Liv. Per. LX; Vell. Paterc. II, 6, 3; Schol. Bob. in Cic. Orat. pr. Sest. pag. 300 Or.; Ascon. in Pison. pag. 9 Or. Locos descripsi pag. 142.

[6]) l. l. pagg. 673, 1041 cum adn. 3.

[7]) l. l. pagg. 133 cum adn. 5, 134.

In nona regione quoddam erat aedificium, a M. Minucio Rufo aedificatum, [1]) porticus, cui nomen Minucia, habens ostia quadraginta quinque. [2]) Hanc porticum ad frumentationes pertinuisse constat; [3]) quo modo tamen incertum. Ad verum proxime accedere mihi videtur in illa non frumentum ipsum fuisse distributum (ut nonnulli sumunt), [4]) sed certas quasdam tesseras, quae vocarentur frumentariae. Ut enim fides esset iis, qui frumenti accipiendi ius haberent, nominibus in tabulas relatis — unde *incisi* dicti sunt — iisdem tesseras illas fuisse datas, quibus exhibitis ratum quisque frumenti modum e publicis horreis reciperet. [5]) Quaeritur utrum semel tantum in omnem vitam an singularum frumentationum singulae tesserae distribuerentur. Hirschfeld, quem Marquardt sequitur, prius illud contendit. [6]) Quod qui fieri potuerit equidem non intellego, cum in ipsis tesseris dies et ostium adici solerent. Quid quod tesserae interdum venibant [7]) habuitque Augustus aliquando in ani-

[1]) Vell. Paterc. II, 8, 3. Minucius ille consul fuit anno a. u. c. 644 (a. Chr. n. 110).

[2]) Proprie eiusdem nominis duae erant porticus, altera *vetus*, altera *frumentaria*. Priore videlicet nihil hoc loco utimur. De porticu Minucia vide Kiepert et Huelsen, Formae urb. Romae antiq., Berol. 1896, et Preller, Die Regionen d. Stadt Rom, pag. 168.

[3]) Cf. Chronogr. a. 354 (Mommsen, in Abh. d. philol.-hist. Classe d. königl. Sächs. Gesellsch. d. Wissensch., I pag. 645), Apuleius, De Mundo 35, compluresque inscriptiones apud Hirschf. V. G. I pag. 134 adn. 4 et Marq. l. l. pag. 129 adn. 3.

[4]) Quod parum veri simile videtur, cum frumenti numerus nimis magnus esset (decies modium quoque mense), quam ut in porticu conditus ac distributus esse credi possit.

[5]) Et de tesseris et de tabulis illis et de *frumento publico incisis* in prioribus saepius iam mentionem feci. Etiam sola verba *frumento publico* in titulis leguntur (cf. pag. 159 adn. 7, 160 adn. 2), quae quomodo sint interpretanda mihi quidem non constat. Videtur esse aut ablativus qualitatis (qui dicitur), ita ut respondeat *collegio tibicinum, conlegio aeniatorum*, aut dativus, ita ut audiatur *incisus*.

[6]) Hirschf. in Philol. l. l. pag. 16; Marq. l. l. pag. 128. Ad alteram sententiam inclinat Karlowa Röm. Rechtsgesch. II pag. 840.

[7]) Cf. pag. 157. Qui sumunt tesseras semel tantum in omnem vitam fuisse dis-

mo tesseras dare quaternum mensum? [1]) Accedit quod nescio an recte Mommsen statuat tesseras non solum in frumentationibus fuisse usurpatas, sed etiam quatenus frumentum veniret leviore pretio. [2]) Itaque credi licet, prout publici frumenti copia esset, in ipsis tesseris ab eo, qui his rebus praeerat, fuisse indicatum quantum frumenti quo pretio venumdari placeret. [3])

d. Quanta fuit utilitas quam plebs urbana, pauperes praesertim, percipiebant cum ex annonae cura tum e frumentationibus?

Hanc quaestionem praecedi oportet his duabus: in largitionibus istis quantum frumenti cuique discribebatur quantique constabat?

Vulgo sumitur quinos modios [4]) in singulos menses viri-

---

tributas, prave, opinor, ad tales locos ex Digestis provocant, ubi legitur *tesseram frumentariam emere, comparare, legare*. *Tesseram* enim talibus locis positam esse pro *iure in tesseras* ibidem docui.

1) Suet. Aug. 40. Hirschfeld l. l. pag. 16 seq. tesseris hic ipsas portiones singulis distributas designari suspicatus est. Quo iure mihi non magis liquet quam Marquardtio (l. l. pag. 125 adn. 5). Totum hunc Suetonii locum mirum in modum explicat Rodbertus l. l. pag. 390.

2) Cf. pag. 137 adn. 4, ubi docui Mommsen suspicari has appellatas fuisse *nummarias*, priores *frumentarias*. Ibidem vide utrarumque controversiam et opinionem quam nuper de tesserarum et de frumentationum ratione protulit Rostovtsew.

3) Alteram controversiam omitto, quam vide apud Karlowa l. l.: „Man ist darüber verschiedener Meinung gewesen, ob die *tessera frumentaria au porteur* gelautet habe, wie Bender (Die Lotterie § 4, Note 1) und ihm zustimmend Kuntze (Inhaberpapiere S. 40) behaupten, oder ob der Name des Empfängers und der Tribus, welcher er angehörte, auf der *tessera frumentaria* angegeben war, wie Duncker (Ztschr. f. deut. R. Bd. V, S. 31) namentlich aus Pers. sat. V, v. 73 sqq. ...... glaubt schliessen zu müssen. Unsere bisherigen Darlegungen machen es wahrscheinlich, dass die *tessera* als die des einzelnen in den Listen verzeichneten Empfangsberechtigten irgendwie kenntlich war . . . . . ."

4) Saepius pro certo affirmatur Romanos e tritici modio non nisi tantum panis coxisse, quantum ipse penderet. (Cf. Duruy, Hist. d. Rom. III pag. 755. Humbert in Dict. des Antiq. s. v. *annona* rationem sequitur quam subduxit Dureau de la

tim fuisse distributos. Ita quidem Granius Licinianus de Lepido: „[Le]gem frumentari[am] nullo resistente .... est, ut annon[ae] quinq[ue] modi popu[lo da]rentur." [1]) Nusquam sane traditum est, cum C. Gracchus legem suam ferret frumentariam (anno a. u. c. 731 = a. Chr. n. 123), istum modum iam fuisse constitutum. Attamen eum, qui primus de stata ac perpetua frumentatione legem tulit, de modo etiam frumenti cavisse prorsus credas. Ne Terentia quidem lege [2]) modum mutatum esse Contarenio [3]) veri simile videtur „cogitanti, hanc largitionem patribus expressam, delinire satis potuisse plebis animos in eos offensiores, si par tribunitiae fuisset." Clodium frumentationem ipsam non mutasse gratisque tantum dedisse frumentum ex loco quodam Ciceroniano apparet: „Ut remissis senis et trientibus quinta prope pars vectigalium tolleretur." [4]) Post Clodium quoque modum illum fuisse servatum, facile adducor ut credam ob hasce causas. Primum si mutatus esset, mirum esset in fontibus nostris, qui praesertim de Caesarum temporibus multi iique uberes sunt, nihil de hac re inveniri. Tum Severus Herodiano teste primus cohortibus praetorianis modum auxit. [5]) Denique servis militibus custodiae mandatis quaterni quinive tritici modii dari

Malle.) Rodbertus (Zur Fr. d. Sachw. d. Geldes im Alt., in Jahrbb. f. Nationalökon. u. Statist. XV (1870), pag 219 seqq.) tamen copiose demonstrat hoc et quicquid praeterea ex Plinii Natur. Hist. efficere conantur viri docti, vitiose conclusa esse. Quod autem apud Duruy l. l. bis legitur ex quinque modiis Romanos circiter XXXXII kilogrammas (quae dicuntur) nostris ponderibus coxisse, sine dubio erratum est pro XXXII kilogrammis. Sed omnes tales computationes dubias esse iterum moneo.

[1]) De modo quo lacunam supplent viri docti vide pag. 142 adn. 1, de ipso Lepidi consilio pag. 132.

[2]) De hac quoque lege vide supra pag. 132.

[3]) l. l. pag. 958.

[4]) Cic. Pro Sest. 25, 55.

[5]) Herod. III, 8, 5.

solebant, [1]) quod ostendit Romanos hunc modum singulis ad victum satis esse duxisse. [2])

Alterius quaestionis facilis et prompta est responsio. In superioribus enim iam statuimus Sempronia lege frumentaria senis et triente frumentum plebi datum fuisse, Clodium vero vel exiguum illud pretium [3]) prorsus sustulisse. Ex eo distributionem usque gratuitam fuisse pro certo sumpsimus. Quae sane et nunc inter viros doctos vulgaris opinio est et argumentis admodum probabilibus stabiliri

---

[1]) Cato, De Agri cult. 56: „Familiae cibaria. qui opus facient per hiemem tritici modios IIII, per aestatem modios IIII s." Senec. Ep. Mor. XI, ep. 1 (80), 7: „Servus est: quinque modios accipit et quinque denarios." Polyb. VI, 39, 13 (Ed. Didot): „Σιτομετροῦνται δ' οἱ μὲν πεζοὶ πυρῶν Ἀττικοῦ μεδίμνου δύο μέρη μάλιστά πως· οἱ δ' ἱππεῖς κριθῶν μὲν ἑπτὰ μεδίμνους εἰς τὸν μῆνα, πυρῶν δὲ δύο." Sall. Hist. III fr. 61, 19 Dietsch: „Nisi forte repentina ista frumentaria lege munia vostra pensantur: qua tamen quinis modiis libertatem omnium aestumavere, qui profecto non amplius possunt alimentis carceris."

[2]) Sed fortasse quispiam dixerit, e Moreti vs. 16 seqq. nonne efficitur non constare illum modum quaternum quinumve modium? Versus illi sunt:

„Fusus erat terra frumenti pauper acervus:
Hinc sibi depromit quantum mensura patebat,
Quae bis in octonas excurrit pondere libras."

Simylus igitur sibi Scybalaeque sedecim libras pondo depromit, quod facit ei soli octo libras, sive ducenas quadragenas in singulos menses. Quinque modii autem tritici Gallici non nisi centum libras pendebant, farris quod ex Transpadana Italia proveniebat centum quinque et viginti. Vide Plin N. H. XVIII, 7, 66. Quare adnotat Forbiger ad hunc locum: „Ceterum sedecim libras pondo frumenti capiens, Simylus sibi et Scybalae non solum in hunc unum diem cibum paraturus esse videtur, cum singulis servis Romani tres tantum frumenti libras quotidie admetiri solerent, quod ex Catone de R. R. c. 56 docet Heyn. in Opusc. T. I, p. 251." De Moreto tamen Teuffel-Schwabe (Gesch. d. röm. Lit.[5], 230, 3, 1) haec docet. J. G. Vossio auctore (de poet. gr. 9) in huius poematis codice Ambrosiano legitur: „Parthenius moretum scripsit in Graeco, quem Virgilius imitatus est." Immo et alia et ipse ille frumenti modus sedecim librarum pondo Hertzberg (Übers. pagg. 95, 100 seq.) adduxit ut auctorem Graecum exemplar satis accurate secutum esse sibi persuaderet. Ergo nescio an quidquid de Roma e Moreto concludant viri docti, vitiosum sit.

[3]) Pretium illud re vera perquam exiguum fuisse facile concedes, si noveris saeculis a. u. c. septimo et octavo plerumque frumenti modium Romae uno denario

potest. Primum enim mirum si scriptores tam gravem commutationem prorsus silentio praeterissent. Tum, si cogitemus frumentarium subsidium quantumvis magni facias, tamen toti familiae ad victum cultumque nequaquam suffecisse (vide infra), haud veri simile videtur pro eo pretium, semel sublatum, denuo institutum esse, praesertim cum magis magisque imperatores auram popularem captarent variisque largitionibus bene emi imperium putarent. Gravis etiam haec argumentatio, quam legi apud Hirschfeld. [1]) Testibus Tacito et Suetonio [2]) Nero praetorianis cohortibus frumentum menstruum gratuitum constituit. Septimius Severus iis idem congiarium dedit atque plebi frumentariae. [3]) Ergo vix dubium esse potest, quin Nero praetorianos in albo frumentum eorum, qui frumentum accipiebant, ascripserit. Quo efficitur his quoque sine pretio menstruam largitionem fuisse distributam.

De frumenti numero ac pretio haec habui quae dicerem. Iam redeamus ad annonae curae et frumentationum utilitatem, quae cum ad universam urbanam plebem tum maxime ad pauperes redundavisse putanda est. Dicat aliquis forte, ut in frumentationibus singuli acciperent viri — nam quinque modios unius ad victum suppeditasse modo dixi — nondum prospectum fuisse mulieribus liberis servis. Sunt ista, sed illud ipsum subsidium num erat spernendum, quo quod singulis patribus familiae satis in usum erat frumentum publice gratiis ministrabatur? Immo maximum fuisse

sive sedecim assibus licuisse. (Cf. supra pag. 57.) Senatus quoniam minimum HS ternos sive duodenos asses pro singulis tritici modiis solvebat (vide exemplum Cic. Verr. III, 70, 163), si senis assibus et trientibus vendebat, iam dimidii fere huius pretii iacturam faciebat aerarium.

[1]) Hirschf. l. l. pag. 18. Vide etiam pag. 151.

[2]) Tac. Ann. XV, 72; Suet. Nero 10.

[3]) Dio Cass. LXXVI, 1, 1.

dico et quo quis esset egentior, eo magis grato animo ab illo aestimandum. Quod autem ad domesticos, magni quoque momenti erat annonae cura, qua pretia minuebantur, denique id quidem etiam quod, nisi me omnia fallunt, frumentum publicum, quatenus non gratiis distribuebatur, Romanae plebi erat venale leviore pretio. [1]) At quamvis magni haec omnia aestimanda putes, e superioribus satis apparere mihi persuadeo egentium curam veram atque propriam neque umquam propositam fuisse neque reapse exstitisse. Si vero fortasse non sine causa obtineri licet posterioribus saeculis, cum plebes media magis magisque corrueret multorumque Romanorum facultates attererentur, distributiones illas ad pauperum quandam curam accessisse, id casu quodam, non voluntate, factum esse patet. [2])

---

[1]) Cf. pag. 136 seqq.

[2]) Ergo a vero longe abest Mommsen, ubi de Caesare scribit (R. G. III[3] pag. 506 seq.): „Die Kornvertheilungen in der Hauptstadt waren bisher als nutzbares Recht der herrschenden und, weil sie herrschte, von den Unterthanen zu speisenden Gemeinde angesehen worden. Dieser ehrlose Grundsatz ward von Caesar beseitigt; aber es konnte nicht übersehen werden, dass eine Menge gänzlich unvermögender Bürger lediglich durch diese Speisungen vor dem Verhungern geschützt worden war. In diesem Sinne hielt Caesar dieselben fest. Hatte nach der sempronischen von Cato wieder erneuerten Ordnung jeder in Rom angesessene römische Bürger rechtlich Anspruch gehabt auf unentgeltliches Brotkorn, so wurde diese Empfängerliste, welche zuletzt bis auf 320000 Nummern gestiegen war, durch Ausscheidung aller wohlhabenden oder anderweit versorgten Individuen auf 150000 herabgebracht und diese Zahl als Maximalzahl der Freikornstellen ein für allemal fixirt, zugleich eine jährliche Revision der Liste angeordnet, um die durch Austritt oder Tod leergewordenen Plätze mit den bedürftigsten unter den Bewerbern wieder zu besetzen. Indem also das politische Privilegium in eine Armenversorgung umgewandelt ward, trat ein in sittlicher wie in geschichtlicher Hinsicht bemerkenswerther Satz zum erstenmal in lebendige Wirksamkeit . . . . Die attische Civilisation ist es gewesen, die in der solonischen und nachsolonischen Gesetzgebung zuerst den Grundsatz entwickelt hat, dass es Pflicht der Gemeinde ist für ihre Invaliden, ja für ihre Armen überhaupt zu sorgen; und zuerst Caesar hat, was in der beschränkten Enge des attischen Lebens Gemeindesache geblieben war, zu einer

In frumentationibus paulo diutius commorati sumus. Tempus est iam nonnulla dicere de proximo loco, qui erit de congiariis, epulis, similibus.

organischen Staatsinstitution entwickelt und eine Einrichtung, die für den Staat eine Last und eine Schmach war, umgeschaffen in die erste jener heute so unzählbaren wie segensreichen Anstalten, in denen das unendliche menschliche Erbarmen mit dem unendlichen menschlichen Elend ringt." Vereor ne Mommsen aliquanto nimius sit in publica cura egentium laudibus extollenda. Sed haec omitto. Si vere scribat, mirum quantum frumentationes mutatae sint (!) a Gracchi illis, de quibus idem Mommsen (cf. supra pag. 88(89) adn. 2): „Vor allem ist er der wahre Stifter jenes entsetzlichen von oben herab beschmeichelten und besoldeten hauptstädtischen Proletariats, das durch seine aus den Getreidespenden von selber folgende Vereinigung in der Hauptstadt theils vollständig demoralisirt, theils seiner Macht sich bewusst ward und mit seinen bald pinselhaften bald bübischen Ansprüchen und seiner Fratze von Volkssouveränetät ein halbes Jahrtausend hindurch wie ein Alp auf dem römischen Gemeinwesen lastend nur mit diesem zugleich unterging." Ceterum a se ipse dissidere videtur, qui hic iam a Caesare non nisi egentissimum quemque admissum esse doceat, R. G. D. A.[2] pag. 60 vero scribat: „Paullo ante Augustus plebem denuo recensuerat et cum antea plebeii ordinis civibus omnibus in urbe degentibus in frumentum publicum ius esset, accipientium numerum ad hunc redegerat."

Caput IIII.

De congiariis, epulis, similibus.

A frumentationibus ad congiaria [1]) promptus est transitus, ut quae cum illis saepenumero coniuncta fuisse intra viros doctos satis constat. [2]) Congiarium, proprie vas quod congium capit, [3]) est etiam liberalitatis nomen. [4]) Ap-

[1]) De congiariis in universum sunt conferenda eadem scripta quae laudavi in prioris capitis initio, imprimis antiquitatum illi thesauri, quos emittunt Wissowa, Daremberg et Saglio, Ruggiero s. v. *congiarium;* tum Mommsen, Die röm. Tribus, pag. 193 seqq.; Marquardt StV. II² pag. 136 seqq. Addas Rostovtsew, Etude sur les plombs antiques, in Revue numismatique 1898. Nomen huius viri Russi in commentationibus Francogallicis scribitur Rostovtsew, in Germanicis Rostowzew. Ego quoque in proximis utraque scribendi ratione usus sum.

[2]) Congiaria additamenta fuisse ad frumentationes probavit Mommsen (l. l. pag. 195; cf. supra pag. 150), quem secuti sunt viri docti fere omnes. Prorsus contrarium intendit Rodbertus, Zur Fr. d. Sachw. des Geldes im Alt., in Jahrbb. f. Nationalökon. u. Statist. XIV (1870), pagg. 390, 398 seq.

[3]) Dig. XXXIII, 7, 13.

[4]) Quint. VI, 3, 52. *Congiarii* vox etiam in usu est pro dono quocumque, quod privatim amicis datur, ut cum est apud Senecam (De Brevit. vitae 8, 2): „Annua congiaria homines clarissimi accipiunt." Quae vis quia non est huius loci, plura exempla vide in lexicis. Id tantum moneo, ne illa quoque congiaria, de quibus nunc agimus,— et ideo menstruas quoque frumentationes — senatores (sive homines clarissimos) accepisse e talibus locis efficias. Quod falso nonnulli fecerunt, ut Rein in Pauly's Real-Encycl. s. v. *largitio.*

pellatio inde ducta quia initio *congii* olei et vini dabantur. Deinde vero translata est etiam ad pecuniae munera populo donata, quae vis Caesarianis temporibus invaluit. Haec pecunia tamen fere non repraesentabatur, sed tesserae quaedam dividebantur, [1]) quae nummis permutandae erant. [2])

Congiaria saepe etiam significantur *liberalitatis* nomine. Ita in nummis, qui post Septimium Severum hanc tantum vocem exhibent. [3]) *Congiaria* fere ita a *donativis* discernuntur, ut haec ad milites, illa ad populum pertineant. [4])

Oleum — quo in cibis coquendis [5]) et in balneis, [6]) non ut Graeci, in palaestra, utebantur Romani [7]) — ut

[1]) Testimonio sunt tesserae quae magno numero repertae sunt, de quibus vide Rostovtsew l. l. In his duae sunt quae manifesto pertinent cum ad congiaria (sive liberalitates, cf. supra in textu) tum ad frumentationes, declarantque et ipsae quam arte utraque inter se cohaereant Orelli dico 3360 et Garucci Piombi Tav. III, 7. In hac legitur: „de lib(eralitate) I for(o) IV" (Hirschfeld V. G. I pag. 134 adn. 4 *d(i)e* pro *de* legendum et cum *I* (*primo*) iungendum esse suspicatur), et in aversa parte: „Minucia". De hac porticu ad frumentationes pertinente diximus pag. 167. Orelli 3360 haec verba exhibet: „Ant(onini) Aug(usti) lib(eralitas) LI" (*LI* erratum esse videtur pro *II*, vide Hirschfeld in Philol. l. l. pag. 17), et in aversa parte: „fru(mentatio) n(umero) LXI".

[2]) Has tesseras — quas easdem igitur in frumentationibus usurpatas esse patet (vide priorem adnotationem) — Rostovtsew *nummarias*, alii *frumentarias* appellatas fuisse arbitrantur, alii vero inter utrasque nullum discrimen admittunt. Cf. supra pag. 137 adn. 4.

[3]) Cf. Daremb. et Sagl. l. l. I pag. 1443.

[4]) Tac. Ann. XII, 41 (cf. etiam XIV, 11); Suet. Nero 7; Plin. Paneg. 25. Nihilo minus hoc discrimen non est perpetuum. Cf. Cic. Att. XVI, 8, 2; Spartian. Hadrian. 23, 12; C. I. L. VIII, 18042. Hic titulus etiam legitur C. I. L. VIII, 2532 (pag. 288) et ita laudatur a Thédenat apud Daremb. et Sagl. At Dessau in Vol. VIII Supplemento titulum iteravit atque emendavit, et alia commutans et pro *congiar[i n(omine) HS] V m(illia) accipite*, quod Wilmanns proposuerat, legi iubens *congiar[i]|um accipite*. „Legebantur autem in monumento adlocutiones ab Hadriano Augusto cum provinciam adiret ad Africanum exercitum habitae." [Wilmanns]

[5]) Butyrum apud Graecos et Romanos in medentium tantum usu erat. Cf. Marq. Privatl. [2] pag. 328; Daremb. et Sagl. l. l. s. v. *butyrum*; Pauly-Wissowa, Real-Encycl. III[2], s. v. *Butter*.

[6]) Cf. Marq. Privatl. [2] pagg. 289, 328, 424 etc.; StV. III[2] pag. 495.

[7]) Plin. N. H. XV, 4, 19: „Usum eius (sc. olei) ad luxuriam vertere Graeci

vili emeretur iam antiquitus cavebant aediles.[1]) Sed etiam aediliciae largitiones oleariae commemorantur. Nam anno a. u. c. 541 (a. Chr. n. 213), cum aedilis curulis erat „cum M. Cornelio Cethego P. Cornelius Scipio, cui post Africano fuit cognomen", „congii olei in vicos singulos dati *quinquageni.*" [2]) Iulius Caesar quattuor triumphos agens, Gallicum, Alexandrinum, Ponticum, Africanum, „populo praeter frumenti denos modios ac totidem olei libras trecenos quoque nummos, quos pollicitus olim erat, viritim divisit, et hoc amplius centenos pro mora." [3]) Oleum et diurnum et gratuitum populo Romano donavit Septimius Severus,[4]) ab Elagabalo imminutum integrum restituit Severus Alexander, [5]) largitioni finem imposuit Constantinus. [6])

V i n i L. Lucullus „cum rediit ex Asia, milia cadum congiarium divisit amplius centum." [7]) „Et Caesar dictator triumphi sui cena [8]) vini Falerni amphoras, Chii cados

---

vitiorum omnium genitores in gymnasiis publicando." Quare Nero severitatem Romanam abiciens gymnasio dedicato „oleum equiti ac senatui Graeca facilitate" praebuisse dicitur. (Tac. Ann. XIV, 47)

1) Cf. Plin. N. H. XV, 1, 2: „Urbis quidem anno DV. Appio Claudio Caeci nepote L. Iunio coss. olei librae duodenae assibus veniere, et mox anno DCLXXX. M. Seius L. F. aedilis curulis olei denas libras singulis assibus praestitit populo Romano per totum annum." Antiquissimis temporibus tamen oleum videtur nondum in usu fuisse. Fenestella enim oleam omnino non fuisse in Italia dicit Tarquinio Prisco regnante. Cf. Plin. l. l. § 1.

2) Liv. XXV, 2, 6, 8. Vocabulum *quinquageni* addidit R. Engelmann, et post eum Weissenborn-Müller.

3) Suet. Iul. 38. Cf. Dio Cass. XLIII, 21, 3.

4) Spartian. Sever. 18, 3: „(Severus) p. R. diurnum oleum gratuitum et fecundissimum in aeternum donauit." (Lectio *et fecundissimum* incerta. De ea varias coniecturas vide apud Peter [2] (in apparatu critico).) Cf. 23, 2: „Moriens . . . . . . olei tantum (reliquid), ut per quinquennium non solum *urbis* usibus, sed et totius Italiae, quae oleo eget, sufficeret."

5) Lamprid. Alex. Sever. 22, 2.

6) Aurel. Vict. De Caesarib. 41, 19.

7) Varro apud Plin. N. H. XIIII, 14, 96.

8) In codd. Md.: „triumphis uicenas."

in convivia distribuit. idem Hispaniensi triumpho Chium et Falernum dedit, epulo vero in tertio consulatu suo Falernum, Chium, Lesbium, Mamertinum, quo tempore primum quattuor genera vini adposita constat." [1]) Aurelianus denique testante Vopisco [2]) „statuerat et uinum gratuitum p. R. dare, ut, quem ad modum oleum et panis et porcina gratuita praebentur, [3]) sic etiam uinum daretur, quod perpetuum hac dispositione conceperat. Etruriae per Aureliam usque ad Alpes maritimas ingentis agri sunt hique fertiles ac siluosi. statuerat igitur dominis locorum incultorum, qui tamen uellent, pretia dare atque illic familias captiuas constituere, uitibus montes conserere atque ex eo opere uinum dare, ut nihil redituum fiscus acciperet, sed totum p. R. concederet. facta erat ratio dogae, cuparum, nauium et operum. sed multi dicunt Aurelianum, ne id faceret, praeuentum, alii a praef. praetorii suo prohibitum, qui dixisse fertur: 'Si et uinum p. R. damus, superest, ut et pullos et anseres demus.' argumento est id uere Aurelianum cogitasse, immo etiam facere disposuisse uel ex aliqua parte fecisse, quod in porticibus templi Solis fiscalia uina ponuntur, non gratuita populo eroganda sed pretio."

Iam „Ancus Marcius rex s a l i s modios $\overline{\text{vi}}$ in congiario dedit populis." [4])

Severum Alexandrum, cum ter daret congiarium, populo c a r n e m addidisse, [5]) Aurelianum vero porcinam gratui-

---

[1]) Plin. l. l. 15, 97. De his Caesaris triumphalibus cenis cf. infra.

[2]) Vopisc. Aurel. 48.

[3]) De panibus populo donatis vide pag. 135 et eiusdem Vitae Cap. 35, 1, quem locum exscripsi ibidem in adn. 5, de porcina gratuita praebita iamiamque in hac ipsa pagina dicturus sum.

[4]) Plin. N. H. XXXI, 7, 89.

[5]) Lamprid. Alex. Sev. 26, 1. Quam rationem idem inierit ut carnis pretium retro abiret, vide supra pag. 59.

tam praebuisse legimus, quae Vopisci etiam temporibus, ut ipse narrat, dividebatur. [1])

Cibariis vestimenta adiungebant imperatores. Scimus enim „ob uestimenta populo congiaria data multum Antoninum (i. e. Caracallam) a plebe dilectum", [2]) et Aurelianum [3]) „donasse etiam p. R. tunicas albas manicatas ex diuersis prouinciis et lineas Afras atque Aegyptias puras, ipsumque primum donasse oraria p. R. quibus uteretur populus ad fauorem." [4])

At Caesares cum summae rerum praeessent, nummorum distributiones primas tulisse diximus; immo a reliquis Caesarum largitionibus, olei, vini, carnis, tunicarum, similium Rostowzew congiarii nomen abiudicat. [5]) Nisi fallor, parum id quidem recte. Primum enim C. Iulium Caesarem una cum nummis frumentum quoque atque oleum populo divisisse vidimus, et in Monumento Ancyrano [6]) Augustus in congiariis suis duodecim ducit frumentationes, quas frumento privatim coempto se undecimum consulem Romanae plebei emensum esse praedicat. [7]) At opinio ista praecipue refellitur Iulii Capitolini verbis modo al-

---

1) Vopisc. Aurel. 35, 2; 48, 1 (hunc locum modo exscripsi; vide priorem paginam); Aurel. Vict. De Caesarib. 35, 7; Zosim. 2, 9. Cf. etiam Gothofr. ad Cod. Theod. XIV, 4, 1.

2) Capitol. Opilius Macrinus 5, 3. Cf. etiam Spartian. Severus 21, 11.

3) Vopisc. Aurel. 48, 5. Operae pretium est notare quam varie Aurelianus vitae securitati ac suavitati consuluerit, ut qui populo et panes cottidie praebendos curaverit et porcinam carnem distribuerit et tunicas orariaque donaverit, denique ipsum vinum gratuitum dare cogitaverit.

4) Forcellini: „*h. e.* in plausibus circi et theatri: cum antea togas iactare mos esset." Vide Forcellini in Lexico s. v. *orarium*.

5) Rostowzew in Pauly-Wissowa, Real-Encycl. IV², s. v. *congiarium* (pag. 877).

6) Lat. 3, 7 seqq.

7) Hae frumentationes erantne et ipsae extraordinariae quaedam an solitae menstruae? In illa sententia sunt multi viri docti, ut Rodbertus l. l. pag. 397; Hirschfeld V. G. I pag. 132 adn. 1; Rostovtsew, Étude sur les plombs antiques l. l.

latis, qui „ob uestimenta populo congiaria [1]) data multum Antoninum a plebe dilectum" esse scribit.

Congiariorum series plene cumulateque perfici nequit. Multa composuit chronographus quidam anni p. Chr. n. 354 imperatorum ordine servato, [2]) non tamen omnia enumeravit, ne ea quidem, quae a scriptoribus traduntur. Praeter hos uberrimus fons sunt tesserae, nummi, tituli nonnulli; [3]) ex illis multa cognoscuntur quae apud rerum Romanarum auctores non invenies. [4])

In congiariis dandis principes certam legem non servabant, sed variae erant causae quibus ad ea adducebantur. Nonnullas proferam. Congiaria dederunt, cum imperium inirent, [5]) Nerva, Traianus, Pertinax, Septimius Severus, Elagabalus; victoria parta [6]) Caesar, Tiberius, Traianus,

---

pag. 259 (260) adn 4. At cum Augustus u n o anno 731 d u o d e c i m frumentationes emensus sit, magis inclinat animus, ut equidem arbitrer frumentationes istas fuisse menstruas ordinarias Nescio an recte Mommsen R.G.D.A.[2] pag. 25: „A. 731 frumentationes iure ad aerarium spectabant et magistratus ordinarios. princeps autem usus ex his praesertim ministerio Ti. Neronis eo anno quaestoris Ostiensis . . . . sumptus in se recepit."

1) Ita libri manu scripti et Hermannus Peter (Scriptores Historiae Augustae[2]). Editio princeps Mediolanensis habet: „et congiaria."

2) Vide Mommsen, Über den Chronographen vom J. 354, in Abh. d. philol.-hist. Classe d. königl. Sächs. Gesellsch. d. Wissensch., I pag. 547 seqq. (ipsa congiaria leguntur pag. 645 seqq.) Chronographi enumerationem transtulit Marquardt StV. II[2] pag. 138 seq.

3) Tesseras vide apud Rostovtsew, Étude sur les plombs antiques; nummos apud Cohen, Description histor. d. monnaies frapp. sous l'emp. romain.[2] Post auctoris mortem Vol. III—VIII alteram editionem curavit Feuardent.

4) Ita multa Neronis congiaria testificantur tesserae (cf. Rostovtsew l. l. pag. 98 seqq.), Elagabali quattuor liberalitates nummi (cf. Cohen o. l. IV[2] pag. 331 seqq., 74—88).

5) Cf. Cohen o. l. II[2] pag. 4, 37; pag. 24, 55; Capitol. Pertinax 7, 5; Dio Cass. LXXIII, 5, 5; Herod. II, 14, 5; V, 5, 8.

6) Dio Cass. XLIII, 21, 3; Suet. Iul. 38; Tib. 20 (tunc sane nondum principatum tenebat Tiberius); Cohen l. l. pag. 22, 45; pag. 25, 61; Herod. III, 8, 4; 10, 2; Lamprid. Alex. Sev. 57.

Septimius Severus, Severus Alexander; ad memoriam Agrippae mortui Augustus; [1]) Nerone et Druso, Germanici filiis, patribus conscriptis commendatis, ut diem utriusque tirocinii celebraret, Tiberius; [2]) Neronis, adoptivi filii, nomine, cum is esset „deductus in forum tiro", Claudius; [3]) cum Aelium Verum adoptasset, Hadrianus; [4]) ab eodem Hadriano adoptatus factusque „patri et in imperio proconsulari et in tribunicia potestate collega" Antoninus Pius; [5]) cum filio Commodo togam virilem daret, cum eundem sibi collegam in tribuniciam potestatem iungeret, M. Antoninus philosophus. [6]) Multae quoque tesserae huc sunt referendae, quae haud dubie pertinent ad varios e vita Caesarum principalisque domus casus, at vero congiarii causas non clare significant. [7])

De hoc iam satis. Ut causae, ita summae quoque, quas viritim datas esse accipimus, variantur. Harum quoque aliquot afferam. Augustus in Monumento Ancyrano (Lat. 3, 7 seqq.) septem congiaria enumerat, ad plebem urbanam pertinentia. Si quartam frumentariam excipias, legimus in prima liberalitate viritim numeratos esse HS trecenos, in secunda, tertia, quinta HS quadringenos, in sexta septimaque sexagenos denarios (= HS ducenos quadragenos). Trecenos plebi sestertios viritim dedisse narrantur Tiberius, Claudius. [8]) Teste Suetonio Caligula bis, Domitianus ter dedit tantandem pecuniam. [9]) In chronographi tabulas

1) Dio Cass. LIV, 29, 4.
2) Suet. Tib. 54. Cf. C. I. L. XIV, 244 (= Henzen 6448). Tac. Ann. III, 29.
3) Suet. Nero 7; Tac. Ann. XII, 41.
4) Spartian. Ael. Verus 4.
5) Capitol. Anton. Pius 4.
6) Capitol. M. Ant. Philos. 22; 27.
7) Cf. Rostovtsew o. l. et apud Pauly-Wissowa s. v. *congiarium*.
8) Tac. Ann. II, 42; XII, 41; Suet. Tib. 20; Nero 7; Dio Cass. LX, 25, 7.
9) Suet. Calig. 17; Domit. 4.

relatum est Adrianum dedisse X ∞, Antoninum Pium DCCC, Marcum Antoninum et Commodum quemque DCCCL, Divum Severum ∞ C; immo imperatores inferiorum saeculorum, ut Diocletianum et Maximianum vel ∞ DL, Constantium et (Galerium) Maximianum ∞ D viritim divisisse. Haec sufficient. Non indignum tamen notare congiaria paulatim accrevisse et summis [1]) et numero. [2])

Initio certe congiaria erant privata munificentia, quae multis valebat ad auram popularem captandam, ad honores adipiscendos, item ad gratos se praebendos, cum alicui muneri erant praefecti, cum e bello victores redierant, et quae sunt generis eiusdem cetera. [3]) Caesares privatorum vestigiis institisse facile intellegimus, ut quibus plebis animos sibi conciliare cordi esset. Tum vero congiariorum natura sensim est immutata; e privata munificentia fiebat publica largitio. Nimirum utraque aliquamdiu simul reperiuntur neque semper facile est ad diiudicandum utri generi singulae largitiones adnumerandae sint. Ceterum

---

1) Quod quodammodo iam e superioribus intelleges planiusque efficitur ex iis quae e chronographo congessit Marquardt. De huius summis haec scribit: „Aus diesen Zahlen kann man zwar auf die absolute Summe der Ausgabe keinen sichern Schluss machen, da das Verzeichniss weder ganz vollständig ist, noch die Geschenke an Naturalien in Ansatz bringt, wohl aber die grosse Zunahme dieses Ausgabepostens im Laufe der Kaiserzeit erkennen. Es betrug nämlich in den 100 Jahren von 46 v. Chr. bis zu Claudius' Tode die Summe der Congiarien 216,950,000 Denare, also auf das Jahr 2,169,500 Denare (1,800,000 M.), in den 156 Jahren von Nero bis Septimius Severus' Tod 1,269,500,000 Denare, also auf das Jahr über 8 Mill. Denare oder 6 Mill. M. und diese Steigerung scheint später noch bedeutend zugenommen zu haben, wenn man auch die Verminderung des Werthes des Denars in Anschlag bringt." (Marq. l. l. pag. 139 seq.)

2) Augusti tamen munificentia erat inter paucas memorabilis

3) Quam efficacia essent ad popularem gratiam conciliandam, ipsi scriptores testantur. Liv. XXXVII, 57, 11 de M'. Acilio Glabrione: „In hunc maxime, quod multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligarat, favor populi se inclinabat." Cic. Phil. II, 45, 116 de Antonio: „Muneribus, monimentis, congiariis, epulis multitudinem imperitam delenierat."

discernenda quidem sunt haec tria, aerarium, fiscus, patrimonium ceteraque res privata Caesaris; [1]) at ex fisco non minus quam ex aerario impensas publicas toleratas esse in Prooemio iam monuimus. Privata vero Caesarum res et ipsa quodam modo publica fuisse dici potest; [2]) immo nescio an principes aerarium pecunia sua iuvantes — quod saepius factum esse legimus — [3]) officii potius quoddam munus exsecuti esse quam voluntarii largitores fuisse existimandi sint. [4]) Ergo, ut ad propositum redeam, imperatorum quidem aetate congiaria publicam curam appellare non dubito. [5]) Mox autem beneficia illa eo evaserunt, ut tamquam ius a plebe postularentur Caesaresque non raro

1) De aerario, fisco, patrimonio ceteraque re privata Caesaris conferantur — ut alios omittam — Mommsen StR. II³ pag. 997 seqq.; Marquardt l. l. pag. 302 seqq.; Hirschfeld V. G. I pag. 1 seqq.; Herzog, Gesch. u. Syst. d. röm. Staatsverf., II pagg. 212 seqq., 661 seqq.

2) Herodian. II, 4, 7 de Pertinace: „τοῖς τε βασιλικοῖς κτήμασιν ἐκώλυσεν αὐτοῦ τοὔνομα ἐπιγράφεσθαι, εἰπὼν αὐτὰ οὐκ ἴδια τοῦ βασιλεύοντος εἶναι, ἀλλὰ κοινὰ καὶ δημόσια τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς." Momms. l. l. pag. 1008: „Die beiden möglichen Formulirungen jener mehr und mehr in dem Principat zur Geltung gelangenden Identification, entweder alles Staatsgut als Privateigenthum des Kaisers zu fassen oder den Princeps zu betrachten als unfähig Privateigenthum zu besitzen, laufen wesentlich auf dasselbe hinaus . . . ." Marq. l. l. pag. 310: „Uebrigens ist der Begriff des Hausvermögens absichtlich niemals juristisch definirt worden; es lag in der Idee des Kaiserthums, die Person des Kaisers mit dem Staate zu identificiren, wie dies seit Ludwig XIV. in der absoluten Monarchie der neueren Zeit wieder vorkommt." Immo quae Ludovicus XIV. dixisse fertur: „L'État c'est moi" — ea verba fortasse etiam magis cadunt in imperatores Romanos.

3) De hisce omnibus vide Prooemium pag. 5.

4) Principes ipsos talia fortasse et in beneficiorum loco numerasse et sibi pro beneficiis dari voluisse haud abnuerim. Cogita de iis quae de munificentia sua in Monumento Ancyrano praedicat Augustus, et cf. Herzog l. l. pagg. 215 seqq., 663.

5) Augustus congiaria sua, quae enumerat Mon. Anc. Lat. 3, 7 seqq., partim de suo, partim ex bellorum manibiis suppeditavit. Antoninus Pius „congiarium populo de proprio dedit." (Capitol. Anton. Pius 4, 9.) Num idem fecisse putandus est Marcus Aurelius, de quo Capitolinus (M. Anton. Philos. 27, 8): „Filio suo Bruttii Praesentis filiam iunxit nuptiis celebratis exemplo priuatorum, quare etiam congiarium dedit populo." ? At fere congiariorum impendia fisco sustinebantur.

coacta magis quadam libertate quam sponte sua largi fuisse existimandi sint. [1])

Quaeritur quinam acciperent congiaria. Mommseno auctore vulgo dicunt congiaria non nisi additamenta fuisse ad frumentationes, [2]) ita ut omnes qui harum, iidem etiam illorum participes fuerint. Haud abnuerim. Num vero etiam contra poni licet, omnes qui congiaria acciperent, eosdem etiam frumentationum participes fuisse? Minime quidem. Nam pueri iam ab undecimo aetatis anno congiaria accipere consueverant; immo Augustum ne minores quidem pueros praeterisse legimus. [3]) Quid igitur? Haud, opinor, erraveris, si ponas in congiariorum partem utique vocatos fuisse omnes qui *incisi* essent, i. e. omnes qui

---

Traianus primus est quem imperii reditus in ea insumpsisse plane legimus Plin. Paneg. 41.

1) Naudet, Des secours publics ches les Romains, in Mémoires de l' acad. royale des inscrr. et belles-lettres XIII (1838), pag. 69: „L' usage du *congiarium* une fois établi devint une obligation pour les princes les plus économes. L' avidité du peuple alla toujours s'augmentant, et le gouvernement le plus aimé fut celui qui prodiguait le plus." Vel boni imperatores in congiariis non raro nimis effusi erant. Traiani non amplius illius quidem tria, at unius Antonini Pii novem, Marci Aurelii septem congiaria e nummis cognoscimus. Cf. Cohen o. l. II² pag. 22, 45; pag. 24, 55; pag. 25, 61; pag. 316 seqq., 480—532 (vide etiam pag. 270); III² pag. 41 seqq., 401—427. Praeter novem istas etiam aliam Antonini Pii liberalitatem Alexandrino quodam nummo aperiri docet Blanchet apud Daremb. et Sagl., Dict. des Antiq., s. v. *liberalitas* (in adn. 3), de nummo autem conferendum R. Stuart Poole, Catologue of the coins of Alexandria and the nomes, 1892, p. lxxxviii, pl. xxvii, n° 1007. Si a nefario imperatore exemplum vis, e brevi Elagabali regno nummi quattuor liberalitates testificantur. Cf. pag. 179 adn. 4.

2) Cf. pagg. 150 cum adn. 2, 174 adn. 2.

3) Suet. Aug. 41. Cf. etiam Dio Cass. LI, 21, 3: „τῷ τε δήμῳ καθ' ἑκατὸν δραχμάς, προτέροις μὲν τοῖς ἐς ἄνδρας τελοῦσιν, ἔπειτα δὲ καὶ τοῖς παισὶ διὰ τὸν Μάρκελλον τὸν ἀδελφιδοῦν, διένειμε." Eruditius quaesitum est hiscine locis cum pueris una comprehendendae videantur puellae. Equidem nullam causam video cur ita statuamus. Nec magis assentior illis viris doctis, qui — ut Rodbertus (qui satis copiose de hac re disputavit, Bedenken gegen den von den Topographen Roms etc., l. l. pag. 5 seqq.), Karlowa (Röm. Rechtsgesch. I pag 555) — *pueros* hic *pupillos* (vel fortasse *pupillos* et *pupillas*) intellegendos esse dicunt.

frumentum e publico perciperent sive in menstruis illis distributionibus sive — inde a Traiano — ab infantia publicis sumptibus alebantur, [1]) de quibus pueris et puellis in proximo capite scripturus sum. Imperatoribus vero licuisse etiam in plures liberalitatem suam dividere et per se intellegitur et e Suetonii illa de pueris puerulisque memoria. [2])

Inter congiaria referri possunt pecuniae quoque nonnullae, a Caesaribus legatae, ut Augustus congiaria sua enumerans a C. Iulii Caesaris legato exorditur: „Plebei Románae viritim HS trecenos numeravi ex testámento patris meí." [3]) Huius legati apud scriptores saepius mentio fit; [4]) addunt tamen Caesarem populo etiam „hortos circa Tiberim publice" [5]) legavisse, qui horti ad primum miliarium Portuensis viae erant positi et horae fere spatio a

---

1) De puerulo sex annorum qui accepit congiarium centum denarium vide titulum C. I. L. VI, 10228:

D · M
EVTYCHETI · FILIO
QVI · VIXIT ANNIS · VI ·
DIEBVS · VI · INCISVS
INGENVS QVI ACCEPIT *sic*
CONGIARIVM · Ӿ C ·
FECIT · PATER · BE
NE · MERENTI

6 *denariorum centum.*

2) Vulgo addunt Plin. Paneg. 25 seqq, ubi describitur congiarium Traiani. At puerulos, qui tunc a Traiano recepti esse narrantur, omnes i n c i d i iussit. Falso, opinor, Madvig l. l. pag. 429 putat ipsos parentes fuisse incisos pro numero liberorum.

3) Mon. Anc. Lat. 3, 7 seq.

4) Mommsen R.G.D.A[2]. pag. 60: „Prima largitio pertinens ad a. 710 saepe memoratur apud scriptores (Sueton. Caes. 83; Plutarch. Anton. 16. Brut. 20; Appian. 2, 143), qui cum praeterea etiam in summa cum commentario consentiant, solus Dio 44, 35 cum adsecla Zonara 10, 12 et hanc summam ponit et auctore citato ipso Augusto alteram sestertiorum cxx (cf. Drumann 1, 101)."

5) Suet. Iul. 83.

foro aberant. [1]) Suetonio teste ipse Augustus „legavit populo R. quadringenties, tribubus tricies quinquies sestertium." [2]) Similia sunt Tiberii legata, qui patris exemplum secutus legavit „plebei . Romanae viritim, atque etiam separatim vicorum magistris." [3]) Augusti legatum difficilius est ad interpretandum. In hunc modum narratur a Tacito: „Legata non ultra civilem modum, nisi quod populo et plebi quadringentiens triciens quinquiens (dedit)." [4]) *Populus* et *plebs* saepius illa quidem una leguntur, aut per *que* particulam copulata *(populus plebesque)* in oraculis praesertim, precationibus sollemnibus, similibus, non sine quodam vetustatis colore; [5]) aut non plane opponuntur, at *plebis* voce designatur populi vilissima pars. [6]) Nescio tamen an hic Taciti locus nonnihil a ceteris distet. Suetonii verba docent plebem hic idem valere atque *tribus*. [7]) Equidem igitur rem ita accipio, ut Augustum priorem pecuniam distribuendam curasse, alteram vero legavisse putem in singularum tribuum nescio quos communes usus, ita quidem ut fortasse tribuum curatoribus [8]) daretur administranda atque impendenda. [9]) Non secus Tiberius

---

[1]) Cf. Kiepert et Huelsen, Formae urb. Romae antiq.

[2]) Suet. Aug. 101.

[3]) Suet. Tib. 76.

[4]) Tac. Ann. I, 8.

[5]) Cf. Liv. XXV, 12, 10; XXIX, 27, 2; Cic. Pro Mur. 1, 1; Verr. V, 14, 36; Plin. Paneg. 32. De ista formula (*populus plebesque*) vide Soltau, Altröm. Volksvers. pag. 84; Lange, Röm. Alt. I[3] pag. 262; Momms. StR. III pag. 6 adn. 4.

[6]) Exempla habes Tac. Hist. I, 35; 36; 40; 76; 82 etc.

[7]) Plura exempla vide pag. 153 adn. 1.

[8]) Cf. Momms. StR. III pag. 196.

[9]) Minime consentio cum illis interpretibus, qui — ut Wolfius, Orellius, Nipperdey-Andresen, Draeger, quibus addas Momms. Röm. Tribus pag. 194; StR. III pag. 6 adn. 4 — distributionem ita factam esse censent, ut, quod Augustus *populo* legarat, in aerarium populi Romani ad publicos usus deferretur, quod *tribubus* vel *plebi*, viritim vel vicatim pernumeraretur, quam quidem pecuniam non nisi a tenuioribus acceptam

separatim legavit vicorum magistris. Vix enim credendum in ipsorum utilitatem cessisse illud legatum. [1])

---

esse consentaneum putant. Scio equidem nonnullos locos reperiri apud iuris consultos quibus pro *populo* reponi licet *aerarium*, ut Gaii Instit. II, 150: „Lege bona caduca fiunt et ad populum deferri iubentur, si defuncto nemo *'heres uel bonorum possessor sit*." — 286a: „Eaque translata sunt ad eos, qui (*in eo*) testamento liberos habent, aut si null*us* liberos habebit, ad populum, sicuti iuris est in legatis et in 'hereditatibus." Cf. etiam Ulpiani fragm. 28, 7; Paulli sent. V, 12. At in Augusti legato de aerario cogitari vetant Dionis verba et Suet. Tib. 57 ad eadem Augusti legata pertinentia. Dio (LVI, 32, 2): „κληρονόμοι μὲν δὴ οὗτοι ἐγεγράφατο· κτήματα δὲ καὶ χρήματα πολλὰ πολλοῖς καὶ τῶν προσηκόντων οἱ καὶ τῶν ἀλλοτρίων, οὐχ ὅπως βουλευταῖς καὶ ἱππεῦσιν ἀλλὰ καὶ βασιλεῦσι, τῷ τε δήμῳ χιλίας μυριάδας, καὶ τοῖς στρατιώταις τοῖς μὲν δορυφόροις e. q. s." De tribuum legato nihil apud Dionem; fortasse ipse addidit, excerpere neglexit Xiphilinus. (Cf. Boissevain ad h. l.) Augustus igitur prosecutus esse narratur βουλευτὰς, ἱππέας, βασιλέας, τὸν δῆμον, τοὺς στρατιώτας. Quis erit qui haec legens aerarium inculcet? Suet. Tib. 57 utrumque et populi et plebis legatum coniungere videtur: „Scurram, qui praetereunte funere clare mortuo mandarat, ut nuntiaret Augusto, *nondum reddi legata quae plebei reliquisset*, adtractum ad se recipere debitum ducique ad supplicium imperavit, et patri suo verum referre." Addi potest Plin. Paneg. 25, ubi, ut Suet. Aug. 101, una commemorata legimus *tribus* et *populum*: „Nisi vero leviter attingi placet locupletatas tribus datumque congiarium populo, et datum totum, cum donativi partem milites accepissent." Si hic quoque pro *populo* substituas *aerarium*, Traianum *aerario* congiarium illud dedisse sequitur! (De hoc loco plenius agam in proximo capite.) — Nec magis placet solutio, quam legi apud Karlowa (Röm. Rechtsgesch. I pag. 554 seq.): „Wenn bei Verteilungen von Getreide u. dgl. *populus* und *tribus* einander entgegengesetzt werden, so bedeutet *populus* die sämtlichen in Rom ansässigen Bürger, welche in gehöriger Weise die vorgeschriebene *professio* gemacht, also zur Aufnahme unter die regelmässigen Getreideempfänger qualifiziert waren, *tribus* dagegen den Kreis der wirklich in die Listen der zu den regelmässigen Frumentationem Berechtigten Aufgenommenen, dezen Zahl, wenn auch eine grosse, doch eine beschränkte war." In *populo* enim non comprehensos fuisse senatores equitesque e Dione intellegimus; si vero alteram summam (HS 3500000) de priore (HS 40000000) deducimus, quae reliqui summa fit (HS 36500000) multo maior est, quam ut hanc iis qui in *plebe* frumentationum non participes essent, at HS 3500000 iis qui earum participes essent, datum fuisse mihi persuadeam.

[1]) Ita iam Casaubonus ad Suet. Aug. 101, qui ista opinione ut absurda exagitata hoc modo pergit: „Nam contra eos fuisse velut administratores, et istiusmodi similiumque largitionum divisores, Asconius alicubi iudicat, et ex Plauto probat: quanquam ille non de vico-magistris, sed curiarum id scribit."

Praeterire nolo obscura quaedam verba incerti auctoris de Nerva tradentis: „Et funeraticium plebi urbanae instituit ✱ LXIIS.“ [1]) Sunt qui haec verba interpretentur de denariis LXII cum semisse singulis dandis, qui Nervae funeri adfuturi essent; alii vero institutum quoddam publicum Nervam fecisse coniciunt, quo funeraticia pauperibus praeberentur, cuius tamen praeter allata verba incerti auctoris nullum omnino vestigium exstat. [2])

Una cum congiariis a scriptoribus semel iterumque commemorantur e p u l a e p u b l i c a e. [3]) Forsitan dubitaverit quis illarum mentionem h i c inferre, ut quae etiam magis privata res essent quam congiaria, quae e privata munificentia profecta esse vidimus. At eae quidem quae ab imperatoribus dabantur, a rebus publicis non prorsus erant secretae. [4]) Ne has quidem igitur omnino praeter-

---

[1]) Vide Mommsen, Über den Chronographen vom J. 354 l. l. pag. 646.

[2]) In illa opinione sunt Mommsen l. l. pag. 653 adn. 62 et Schiller, Gesch. d. röm. Kaiserz. I pag. 542, in hac Henzen, Annali dell' Instit., 1844, pag. 11. Pro *funeraticum* Eckhel legi iubet *frumentum*. (Doctr. num. veter. VI pag. 407)

[3]) Cf. Cic. Phil. II, 45, 116; Suet. Calig 17; Domit. 4.

[4]) Epuli *publici* vox in hac re momentum non facit. Cf. Marq. Privatl.[2] pag. 208: „Dasselbe Verfahren fand statt bei einem *epulum publicum*, d. h. nicht einem auf Staatskosten gegebenen, sondern entweder von einem Magistrate oder dem Kaiser oder auch einem Privatmanne an einem öffentlichen Orte (*in publico*), z. B. auf dem Forum veranstalteten Gastmahle, zu welchem entweder die ganze Stadtbevölkerung oder ein Theil derselben eingeladen wird.“ Recte! Cur tamen i m p e r a t o r u m quidem epulas huius loci esse credam, facile intelleges si memineris quid modo (pag. 182 cum adn. 1) scripserim cum de fisco tum de patrimonio Caesarum ceteraque eorum re familiari. Triumviri sane, ut eiusmodi sumptus tolerarent, nova tributa imposuerunt. Cf. Dio Cass. XLVIII, 34, 2, 3: „καὶ τέλη τινὰ ὑπ' αὐτῶν προσκατέστη διὰ τὸ τὰ ἀναλώματα πολλῷ πλείω ἤπερ ἐπὶ τοῦ προτέρου Καίσαρος ἐτέτακτο γίγνεσθαι· πάμπολλα γὰρ αὐτοὶ καὶ μάλιστα ἐς τοὺς στρατιώτας δαπανῶντες ᾐσχύνοντο μόνοι παρὰ τὸ καθεστηκὸς ἀναλίσκοντες. ἀμέλει τὸν πώγωνα ὁ Καῖσαρ τότε πρῶτον ξυράμενος αὐτός τε μεγάλως ἑώρτασε καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι δημοτελῆ

mittere velim. [1]) Tales epulas autem ceterasque liberalitates, de quibus in proximis acturi sumus, vulgo cum variis sollemnibus (ludis, triumphis) coniunctas fuisse, facile intellegimus.

C. Iulius Caesar „munus populo epulumque pronuntiavit in filiae memoriam, quod ante eum nemo. Quorum ut quam maxima expectatio esset, ea quae ad epulum pertinerent, quamvis macellaris ablocata, etiam domesticatim apparabat." [2]) Idem quattuor illos triumphos agens, cum congiarii nomine populo dabat frumentum, oleum, nummos, [3]) „adiecit epulum ac viscerationem, [4]) et post Hispaniensem victoriam duo prandia; nam cum prius parce neque pro liberalitate sua praebitum iudicaret, quinto post die aliud largissimum praebuit." [5]) Epulum illud magnificentissimum fuit ac splendidissimum; cum enim toti

---

ἑορτὴν παρέσχε." Quae vero a privatis hominibus dabantur epulae, illae nimirum huius loci non sunt.

[1]) Etiam hoc quaeritur. Hae epulae, ut quae initio ad sacra publica pertinerent quarumque cura VIIviris epulonibus permissa esset, nonne tractandae fuerunt in prima parte, in qua quaestionem proposui, num et quo modo sacerdotes pauperum rationem duxissent? At epulum ab epulonibus illud quidem curabatur, non dabatur; qui epulum dabant impensamque praestabant, erant aediles, imperatores, privati homines. Ceterum paulatim epulae publicae naturam istam exuerunt. Ego igitur de iis hoc loco nonnulla dicere non dubitavi. — De epulis publicis cum initio ad sacra publica pertinentibus tum postea non pertinentibus cf. Fustel de Coulanges et Bloch apud Dar. et Sagl., Dict d. antiq. II, s. v. *epula* et *epulones*. De epulonibus epulas curantibus cf. etiam Marq. StV III² pag. 347 seqq.

[2]) Suet. Iul. 26.

[3]) Vide pagg. 176 et 178.

[4]) *Visceratio* dicitur de carnibus populo divisis. Vide Serv. ad Verg. Aen. I, 211; VI, 253.

[5]) Suet. Iul. 38. Cf. Dio Cass. XLIII, 21, 3; 42, 1; Liv. Epit. CXV; Plut. Caes. 55. Drumann G. R. III pag. 615 adn. 46: „Vellej. 2, 56 fasst die Nachrichten von diesem Triumphe und dem spanischen des folgenden Jahrs zusammen, und spricht daher von einer epuli per multos dies dati celebratio." Fortasse recte. Non ita tamen Friedl. apud Marq. l. l. pag. 496 adn. 3.

populo dabatur tricliniorum viginti milibus, [1]) tum exstruebantur mensae conquisitis epulis vinisque, qualia erant murenae, Falernum vinum ac Chium. [2]) — Anno a. u. c. 715 (a Chr. n. 39) Augustus primum barbam ponens „αὐτός τε μεγάλως ἑώρτασε καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι δημοτελῆ ἑορτὴν παρέσχε." [3]) — Tiberius anno a. u. c. 745 (a. Chr. n. 9) „τῶν τε Δελματῶν καὶ τῶν Παννονίων ὑποκινησάντων τι αὖθις . . . κρατήσας, τά τε ἐπὶ τοῦ κέλητος ἐπινίκια ἔπεμψε, καὶ τοῦ δήμου τοὺς μὲν ἐν τῷ Καπιτωλίῳ τοὺς δ' ἄλλοθι πολλαχόθι ἐδείπνισε." [4]) Anno autem p. Chr. n. 11 idem „a Germania in urbem.. regressus" acto triumpho, quem distulerat, „prandium dehinc populo mille mensis, et congiarium trecenos nummos viritim dedit." [5]) — Caligula cum Augusto templum dedicaret, „οἵ τε εὐγενέστατοι παῖδες, ὅσοι γε καὶ ἀμφιθαλεῖς ἦσαν, μετὰ παρθένων ὁμοίων τὸν ὕμνον ᾖσαν, καὶ ἡ βουλὴ σὺν ταῖς γαμεταῖς σφων ὅ τε δῆμος εἱστιάθη, θέαι τε παντοδαπαὶ ἐγένοντο." [6]) — Domitianus, qui omnis generis edebat ludos, [7]) etiam in largitione erat effusior. Singularum vero liberalitatum tempus non facile definitur. In universum Suetonius: „Congiarium populo nummorum trecenorum ter dedit, atque inter spectacula muneris largissimum epulum." [8]) Et Cassius Dio: „τοῖς τε θεωμένοις συχνὰ διὰ τῶν σφαιρίων ἐδίδου, καί ποτε καὶ ἐδείπνισεν αὐτοὺς κατὰ χώραν καθημένους, οἶνόν τέ σφισι πολλαχῇ ῥέοντα νυκτὸς

---

[1]) Plut l. l.

[2]) Plin. N. H. VIII, 55, 171; XIII, 15, 97. (Hunc locum exscripsi pag. 176 seq.)

[3]) Dio Cass. XLVIII, 34, 3. Cf. etiam pag. 187 adn. 4.

[4]) Dio Cass. LV, 2, 4.

[5]) Suet. Tib. 20. — Ne in disiungendo essem subtilior, has quoque Augusti Tiberiique liberalitates hic referre non dubitavi, quamquam, cum istas epulas exhibebant, neuter iam principatum tenebat.

[6]) Dio Cass. LIX, 7, 1. Ab eodem ad honorem Drusillae mortuae „καὶ ὁ δῆμος εἱστιάθη, τοῖς τε βουλευταῖς ταῖς τε γυναιξὶν αὐτῶν δωρεὰ ἐδόθη." (Ibid. 13, 9.)

[7]) Cf. Suet. Dom. 4.

[8]) Suet. l. l. „Epuli dies" etiam commemoratur Cap. 13.

παρέσχεν." [1]) Ad Dacicum triumphum [2]) referendum est Dio LXVII, 8: „μετὰ δὲ ταῦτα ἑορτάς τινας νικητηρίους δῆθεν ἐπιτελῶν ἀγῶνας συχνοὺς ἐποίησε. τοῦτο μὲν γὰρ ἐν τῷ ἱπποδρόμῳ μάχας καὶ πεζῶν πρὸς ἀλλήλους καὶ ἱππέων αὖ συνέβαλε, τοῦτο δὲ καὶ ἐν καινῷ τινι χωρίῳ ναυμαχίαν ἐπετέλεσε. καὶ ἀπέθανον ἐν αὐτῇ πάντες μὲν ὀλίγου δεῖν οἱ ναυμαχήσαντες, συχνοὶ δὲ καὶ ἐκ τῶν θεωμένων." Sequitur causa eorum mortis; deinde pergit: „ἐφ' ᾧ που παραμυθούμενος αὐτοὺς δεῖπνόν σφισι δημοσίᾳ διὰ πάσης τῆς νυκτὸς παρέσχε." Ad hanc cenam sola plebs vocata est. Incipit enim Cap. 9: „τὸ μὲν οὖν πλῆθος οὕτως τότε ἐδείπνισεν, αὖθις δὲ τοὺς πρώτους τῆς γερουσίας καὶ τῶν ἱππέων τόνδε τὸν τρόπον e. q. s." Non ita ad epulum anni 93 [3]) post lauream de Sarmatis Capitolino Iovi relatam, [4]) quod in hunc modum carmine celebrat Martialis: [5])

„Quanta Gigantei memoratur mensa triumphi
Quantaque nox superis omnibus illa fuit,
Qua bonus accubuit genitor cum plebe deorum
Et licuit Faunis poscere vina Iovem:
Tanta tuas celebrant, Caesar, convivia laurus;
Exhilarant ipsos gaudia nostra deos.

---

[1]) Dio Cass. LXVII, 4, 4. Hoc epulum vulgo incidere putant in annum 83 vel 84, cum de Chattis triumphabat Domitianus. De tempore huius belli cf. Peter, Gesch. Roms III⁴ pag. 475 cum adn. 1. Nescio tamen an recte Vollmer (ad Stat. Silv. I, 6, pag. 303): „Gewöhnlich setzt man diese Speisung unmittelbar nach dem Chattenkrieg 83, aber das Capitel des Xiphilinus stellt nur verschiedene Äusserungen der ἄνοια des Kaisers zusammen ohne Rücksicht auf die Zeit, s. Einltg. S. 45. 8."

[2]) De Dacis Domitianus triumphavit anno 90 mense Ianuario. Cf. Peter l. l. pag. 481 adn. 2; Hertzberg, Gesch. d. röm. Kaiserreiches, pag. 324.

[3]) Friedl. ad Mart. VIII, 50: „Vermuthlich noch im Januar 93."

[4]) Vide Suet. Dom. 6. De Sarmatis igitur proprie non triumphavit Domitianus; at quia victoria reportata et magna pompa urbem ingressus est et „hos quoque secretos memoravit Roma triumphos" (Mart. VIII, 15, 5) et arcum maximum triumphalem sibi poni iussit — quem praeter alia illius opera idem Martialis celebrat (VIII, 65) — cenam illam *triumphalem* appellare equidem non dubito.

[5]) Mart. VIII, 50.

Vescitur omnis eques tecum populusque patresque,
Et capit ambrosias cum duce Roma dapes.
Grandia pollicitus quanto maiora dedisti!
Promissa est nobis sportula, recta data est."

Quod faciens Domitianus sibi ipsi constabat, qui „sportulas publicas sustul(er)it, revocata rectarum caenarum consuetudine." [1]) A Nerone enim „publicae caenae ad sportulas redactae" [2]) fuerant. Utrarumque discrimen hoc est. [3]) „*Recta coena* est lauta, integro apparatu instructa" (Forcell.); *sportularum* vero nomine ciborum quoque portiones significabantur, singulis convivis in sportulis praebitae, i. e. in parvis sportis, quae erant vasa qualorum aut fiscinarum aut corbium similia. [4]) Monendum tamen non raro quoque certam pecuniae summam fuisse datam, quae et ipsa *sportulae*, *viscerationis*, *epuli* vocibus designabatur.

Nihilo secius Domitianus ipse quoque sportulas distribuit, cuius rei auctor est Suetonius: „Septimontiali sacro quidem, senatui equitique panariis, [5]) plebei sportellis cum obsonio distributis, initium vescendi primus fecit." [6]) Sportulas autem hoc loco non persequar, ut quae sint pleraeque in privatorum erga pauperiores beneficia numerandae. [7])

Ad epulas igitur Domitiani redeundum est. Notabile eiusdem epulum carmine celebrat et quasi ante oculos proponit P. Papinius Statius. Inscribitur carmen, dignis-

---

1) Suet. Dom. 7.

2) Suet. Nero 16.

3) Cf. Marq. Privatl.² pag. 208 seqq.

4) Cf. Forcellini s. v. *sporta*.

5) Lipsius: „Panaria digniora sunt sportulis non magnitudine, sed materia, quod hae ex ligno, illa ex viminibus: et hae capaciores, quod ex iis interdum plures numero sumant; illa minora, quod unus tantum ex iis cibum caperet."

6) Suet. Dom. 4.

7) Attamen Caligulae quoque sportulas commemorat Suetonius (Cal. 18) hisce verbis: „Et panaria cum obsonio viritim divisit."

simum sane quod perlegatur, Kalendae Decembres. [1]) Hic quoque maiorem partem exscribere non alienum videtur. [2])

Vs. 9 seqq.:

„Vix Aurora novos movebat ortus,
Iam bellaria linea pluebant [3])
— Hunc rorem veniens profudit eurus —:
Quicquid nobile Ponticis nucetis,
Fecundis cadit aut iugis Idymes;
Quod ramis pia germinat Damascos,
Et quod percoquit † aebosia Caunos,
Largis gratuitum cadit rapinis;
Molles gaioli lucuntulique,
Et massis Amerina non perustis
Et mustaceus et latente palma
Praegnates caryotides cadebant.
Non tantis Hyas inserena nimbis
Terras obruit aut soluta Plias,
Qualis per cuneos hiems Latinos
Plebem grandine contudit serena.

---

1) Epulum illud fuitne a modo commemoratis diversum? In medio relinquendum est, quia Kalendae illae Decembres cuiusnam anni fuerint incertum. Cf. Vollmer ad hoc carmen, quod est sextum primi libri Silvarum. Is tamen nescit an cogitandum sit de anno 92 vel 93. Friedländer (Sittengesch. Roms III[6] pag. 476; in Mart. V, 49, 8; apud Marq. StV. III[2] pag. 496 adn. 2) putat annum fuisse 88 et — id quod Vollmer negat — eodem pertinere V, 49, 8 seqq., ubi poeta Labieni calvam ridens:

„Hic error tibi profuit Decembri,
Tum, cum prandia misit Imperator:
Cum panariolis tribus redisti."

2) Usus sum Silvarum editione, quam nuper (1900) paravit Alfredus Klotz. Si carminis interpretationem vis, legas egregium commentarium quem de Silvarum libris ante hos quinque annos dedit Fridericus Vollmer.

3) Friedl. ad Mart. VIII, 78, 7: „*linea dives*. Offenbar eine ausgespannte Leine, an welcher die für das Volk bestimmten Geschenke befestigt waren, die etwa im Sprunge erhascht werden konnten. Stat. S. I 6, 10 jam bellaria (cod. velaria) linea pluebant; vgl. Grosse Obss. in Stat. p. 39."

Ducat nubila Iuppiter per orbem
Et latis pluvias minetur agris,
Dum nostri Iovis hi ferantur imbres.
  Ecce autem caveas subit per omnis
Insignis specie, decora cultu
Plebes altera non minor sedente.
Hi panaria candidasque mappas
Subvectant epulasque lautiores;
Illi marcida vina largiuntur:
Idaeos totidem putes ministros.
Orbem, qua melior severiorque est,
Et gentes alis insemel togatas
Et cum tot populos beata pascas,
Hunc, Annona, diem superba nescis.
I nunc saecula compara, Vetustas,
Antiqui Iovis aureumque tempus:
Non sic libera vina tunc fluebant
Nec tardum seges occupabat annum.
Una vescitur omnis ordo mensa,
Parvi, femina, plebs, eques, senatus:
Libertas reverentiam remisit.
Et tu [1]) quin etiam — quis hoc vocari,
Quis promittere possit hoc deorum? —
Nobiscum socias dapes inisti.
Iam se, quisquis is est inops, beatus
Convivam ducis esse gloriatur."

Vs. 65 seqq.:

„Iam noctis propioribus sub umbris
Dives sparsio [2]) quos agit tumultus!

[1]) Sermonem convertit poeta in Domitianum, qui cum populo accubare non gravatus est.

[2]) Vollmer ad h. l.: „*Sparsio* im Amphitheater bedeutet gewöhnlich die Besprengung mit wohlriechenden Essenzen Sen. Q. N. II 9. 1 Controv. 10 praef. 9, wohl

Hic intrant faciles emi puellae,
Hic agnoscitur omne, quod theatris
Aut forma placet aut probatur arte.
Hoc plaudunt grege Lydiae tumentes,
Illic cymbala tinnulaeque Gades,
Illic agmina confremunt Syrorum,
Hic plebs scenica quique comminutis
Permutant vitreis gregale sulpur.
Inter quae subito cadunt volatu
Immensae volucrum per astra nubes,
Quas Nilus sacer horridusque Phasis, [1])
Quas udo Numidae legunt sub austro.
Desunt qui rapiant sinusque pleni
Gaudent, dum nova lucra comparantur.
Tollunt innumeras ad astra voces
Saturnalia principis sonantes
Et dulci dominum favore clamant:
Hoc solum vetuit licere Caesar." [2])

---

auch in den Spielankündigungen zu Pompeji CIL IV S. 70 ff. Wenn St. eine solche Sprengung gemeint hätte, so würde er sie wohl wie alles andere näher beschrieben haben; zudem konnte sie kaum *tumultus* erzeugen. Ich glaube mit Gevaert, dass *sparsio* (beachte auch *diues* wie *linea diues* Mart. VIII 78. 7 Stat. Silv. III 3. 147) hier die Ausstreuung der Gaben und tesserae bedeutet. Zu diesen tesserae gehörten auch *lasciua nomismata* (Mart. VIII 78. 9 Friedlænder) Marken mit obscenen Darstellungen (Eckhel D. N. VIII 315), welche die *faciles emi puellae* als Zahlung nahmen"

[1]) Post v. 77 talem fere versum intercidisse coniecit Wachsmuthius: „Quas Ganges lavat (sive: „alit") ac palus Scytharum." Cf. tamen Vollmer ad hunc locum.

[2]) Haec exempla sufficiant. Si quae forte praeterea a scriptoribus commemorantur epulae, has ut minoris momenti praeterire licet, ut quod de Macrino narrat Cassius Dio (LXXVIII, 34, 3): „κἀκ τῆς αὐτῆς ταύτης αἰτίας καὶ τῷ δήμῳ δεῖπνον κατὰ πεντήκοντα καὶ ἑκατὸν δραχμὰς ἔνειμε πρὶν καὶ ὁτιοῦν περὶ τῆς ἐπαναστάσεως αὐτοῖς διαδηλῶσαι, ἵνα μὴ δι' ἐκείνην ἀλλ' ἐς τὴν τοῦ υἱέος τιμὴν ἑστιᾶν αὐτοὺς νομισθείη." Ceterum imperatorem tunc non epulum ipsum dedisse patet, sed *epuli nomine* populo centenas

Ex hoc loco aliisque compluribus videmus varias quoque res iactas fuisse in populum, ita quidem ut aut ipsa dona spargerentur aut sortes quaedam sive tesserae quibus inscripta erant munera plebi cessura. Horum munerum maxima erat varietas. Donabantur enim praesentia absentia, [1]) vulgaria insignia ac rara, esculenta animalia. Cupiditate provecti multi tanto impetu in iactata dona ferebantur, ut vel vitae periculum exsisteret. [2]) Itaque prudentissimus quisque magno parva constare sciens, cum primum munera induci videbat, a theatro fugiebat. [3]) At haec quoque munificentia optime illustrabitur, si ex ipsis rerum Romanarum auctoribus aliquanto plura exempla proferamus.

Iam antiquitus cicer, faba, lupini ab iis qui ludos Florales exhibebant, dabantur et spargebantur in vulgus „ad plausum et favorem populi captandum." [4]) Quod largitionis genus cum anno p. Chr. n. 217 in ceteris ludis cessasset, in Floralibus tamen permanebat testante Dione: *„τό τε διαδίδοσθαί τινα ἐν ταῖς τῶν στρατηγῶν τῶν πάνυ θέαις, πλὴν τῶν τῇ Φλώρᾳ τελουμένων . . . ."* [5]) Multo graviora sunt

---

quinquagenas drachmas viritim distribuit. *Δεῖπνον* igitur videtur hoc loco non aliter dictum esse atque saepius occurrit Latinum vocabulum *epulum*. (Cf. Marq. Privatl.² pag. 209 seq. et supra pag. 191.) De ista significatione nihil in Lexicis, ne in illo quidem suppletorio et dialectico, quod nuperrime composuit Van Herwerden.

[1]) Cf. Mart. VIII, 78, 10 seqq. de Stellae ludis — qui sane, ut a privato homine dati, non sunt huius loci —:

„Nunc dat s p e c t a t a s tessera larga feras,
Nunc implere sinus securos gaudet et a b s e n s
Sortitur dominos, ne laceretur, avis."

[2]) Cf. Herod. V, 6, 10. (Locum infra exscripsi pag. 197.)

[3]) Haec verba transtuli e Senec. Ep. Mor. IX, ep. 3 (74), ubi (§ 7 seqq.) huius largitionis ratio praeclare illustratur.

[4]) Cf. Schol. in Horat Sat. II, 3, 182; Pers. 5, 177 seq. et Jahn ad h. l.; Friedländer (Sittengesch. Roms II⁶ pag. 315; apud Marq. StV. III² pag. 497 adn 3) cogitat de pulte e faba ac cicere facta.

[5]) Dio Cass. LXXVIII, 22, 1. Locus est corruptus; vide Boissev. ad h. l. Praetores illi videntur fuisse urbani. Cf. Momms. StR. II³ pagg. 198 cum adn. 1, 237 adn. 6.

quae ipsi Caesares fecisse narrantur. De Caligula Suetonius tradit: „Sparsit et missilia variarum rerum, et panaria cum obsonio viritim divisit.“ [1]) — Cassius Dio de Nerone: „ὠλοφύροντο δὲ πάντες οἱ νοῦν ἔχοντες καὶ ἐπὶ τῷ πλήθει τῶν ἀναλισκομένων. πάντα μὲν γὰρ τὰ πολυτελέστατα ἃ ἄνθρωποι ἐσθίουσι, πάντα δὲ καὶ τὰ ἄλλα τὰ τιμιώτατα, ἵππους ἀνδράποδα ζεύγη χρυσίον ἀργύριον ἐσθῆτα ποικίλην, ἐδίδου διὰ συμβόλων· σφαιρία γὰρ μικρά, γεγραμμένα ὡς ἕκαστα αὐτῶν ἔχοντα, ἐς τὸν ὅμιλον ἐρρίπτει, καὶ ἐδίδοτο ὅ τι τις δι᾽ ἐκείνων ἥρπασεν.“ [2]) — De Tito: „σφαιρία γὰρ ξύλινα μικρὰ ἄνωθεν ἐς τὸ θέατρον ἐρρίπτει, σύμβολον ἔχοντα τὸ μὲν ἐδωδίμου τινὸς τὸ δὲ ἐσθῆτος τὸ δὲ ἀργυροῦ σκεύους, ἄλλ.ο χρυσοῦ ἵππων ὑποζυγίων βοσκημάτων ἀνδραπόδων, ἃ ἁρπάσαντάς τινας ἔδει πρὸς τοὺς δοτῆρας αὐτῶν ἀπενεγκεῖν καὶ λαβεῖν τὸ ἐπιγεγραμμένον.“ [3]) Suetonius de Domitiano: „Dieque proximo (sc. Septimontiali sacro senatui equitique panariis, plebei sportellis cum obsonio distributis) [4]) omne genus rerum missilia sparsit, et quia pars maior intra popularia [5]) deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris ac senatorii ordinis

---

1) Suet Cal. 18. De eadem Caligulae sparsione Joseph. XIX, 13 <93> (Ed. Naber): „πολλῆς δ᾽ ὀπώρας ἐπιχεομένης τοῖς θεώροις, καὶ πολλῶν ὀρνέων ὁπόσα τῷ σπανίῳ τίμια τοῖς κτωμένοις.“

2) Dio Cass. LXI, 18, 1 seq. Suetonius (Nero 11) in hunc modum rem narrat: „Sparsa et populo missilia omnium rerum per omnes dies“: — ludorum scilicet „pro aeternitate imperii suscepto(rum)“: nam de iis hoc loco agit Suetonius — „singula cotidie milia avium cuiusque generis, multiplex penus, tesserae frumentariae, vestis, aurum, argentum, gemmae, margaritae, tabulae pictae, mancipia, iumenta, atque etiam mansuetae ferae, novissime naves, insulae, agri.“ Quae hic commemorantur tesserae frumentariae certe non faciunt cum iis qui — ut Hirschfeld, Marquardt, Rostovtsew — has tesseras semel tantum in omnem vitam datas fuisse tenent. (Cf. pagg. 187 adn. 4, 167 cum adn. 6.) Quare illi hoc loco de extraordinariis tesseris cogitant. (Cf. Hirschf. in Philol. l. l. pag. 18 cum adn. 23; Rostovtsew, Étude sur les plombs antiques, in Revue numismatique 1898, pag. 263 seq.) Quaesita sane enodatio minimeque necessaria!

3) Dio Cass. LXVI, 25, 5.

4) Vide pag. 191.

5) sc. subsellia.

pronuntiavit." [1]) — De Elagabalo, quem Phoenicum more subus se abstinuisse dicit, Herodianus: „μετὰ δὲ τὸ καταγαγεῖν αὐτὸν καὶ ἱδρῦσαι ἐν τῷ ναῷ τάς τε προειρημένας θυσίας καὶ πανηγύρεις ἐπετέλει, πύργους τε μεγίστους καὶ ὑψηλοτάτους κατασκευάσας, ἀνιὼν τε ἐπ' αὐτοῖς, ἐρρίπτει τοῖς ὄχλοις, ἁρπάζειν πᾶσιν ἐπιτρέπων, ἐκπώματά τε χρυσᾶ καὶ ἀργυρᾶ ἐσθῆτάς τε καὶ ὀθόνας παντοδαπάς, ζῷά τε πάντα, ὅσα ἥμερα ὅσα ἀτίθασα, πλὴν χοίρων· τούτων γὰρ ἀπείχετο Φοινίκων νόμῳ· ἐν δὴ ταῖς ἁρπαγαῖς πολλοὶ διεφθείροντο, ὑπό τε ἀλλήλων πατούμενοι καὶ τοῖς δόρασι τῶν στρατιωτῶν περιπίπτοντες, ὡς τὴν ἐκείνου ἑορτὴν πολλοῖς φέρειν συμφοράν." [2]) — De Probo Flavius Vopiscus: „Dedit Romanis etiam uoluptates, et quidem insignes, delatis etiam congiariis. triumphauit de Germanis et Blemmyis, omnium gentium drungos usque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit. uenationem in circo amplissimam dedit, ita ut populus cuncta diriperet. genus autem spectaculi fuit tale: arbores ualidae per milites radicitus uulsae conexis late longeque trabibus adfixae sunt, terra deinde superiecta totusque circus ad siluae consitus speciem gratia noui uiroris effronduit. missi deinde per omnes aditus strutiones mille, mille cerui, mille apri; iam damae, ibices, oues ferae et cetera herbatica animalia, quanta uel ali potuerunt uel inueniri. inmissi deinde populares, rapuit quisque quod uoluit." [3])

---

1) Suet. Dom. 4. De Domitiani missilibus vide etiam Dio LXVII, 4, 4 (cf. pag. 189): „τοῖς τε θεωμένοις συχνὰ διὰ τῶν σφαιρίων ἐδίδου."

2) Herod. V, 6, 9 seq. Vel si mavis Aelii Lampridii narrationem (Anton. Heliogab. 22, 1): „Sortes sane conuiuales scriptas in coclearibus habuit tales, ut alius exierit 'decem camelos', alius 'decem muscas', alius 'decem libras auri', alius 'decem plumbi', alius 'decem strutiones', alius 'decem oua pullina', ut uere sortes essent et fata temptarentur."

3) Vopisc. Probus 19, 1 seqq Simile quid, licet aliquantulum minus grande, traditur de Gordiano primo, qui auctore Iulio Capitolino (Gordiani tres 3, 5 seqq.) „aedilitatis suae tempore duodecim populo Romano munera, id est per singulos menses singula de suo exhibuit." Eiusdem silvam exstare narrat memorabilem, „in qua pictura" — ut Capitolini verbis utar — „etiam nunc continentur cerui palmati

At huius loci finis faciendus est et quaerendum quaenam commoda ex hisce omnibus contingerent pauperioribus. Egentium vera cura sane quidem dici non possunt. Quod enim in frumentationibus, in stata igitur largitione, negandum esse vidimus, num id affirmabis in muneribus istis, quae, licet satis frequenter, incertis tamen temporibus, prout Caesaribus libebat, exhibebantur? Qui quidem haud dubie illud praecipue spectabant, ut splendorem magnificentiamque adderent ipsorum imperio vel labantem suam potestatem fulcirent. Quid quod interdum, ut in spargendis tesseris, temeritas et casus valebat vel soli nobiles ad epulum vocabantur? [1]) Haec omnia ab egentium iusta cura procul abhorrere concedes. Attamen congiaria illa, epulas, similia in rei familiaris angustiis multis subsidio vel certa levamento fuisse non minus verum est. Ludorum et epularum voluptates domesticas sollicitudines parumper discutiebant. Etiam hoc tenendum, regionum meridianarum incolas multo magis quam nos in diem vivere solere, quibus si contingit, ut hodie benigne se tractent, fere crastinum diem non multum curant. Ii autem, quos fortuna in deliciis habebat, casum obvenisse videbant magnas praedas faciendi. Immo erant qui fortunae temeritati ita confiderent, ut in incertum sparsionis eventum ante nundinarentur quae alios capturos esse sperarent. [2])

---

ducenti mixtis Brittannis, equi feri triginta, oues ferae centum, alces decem, tauri Cypriaci centum, strutiones Mauri miniati trecenti, onagri triginta, apri centum quinquaginta, ibices ducenti, dammae ducenti."

[1]) Cf. e. g. Dio Cass. LV, 8, 2; LVII, 12, 5; LIX, 11, 3; Suet. Cal. 17.

[2]) Pompon. Dig. XVIII, 1, 8, 1: „Aliquando tamen et sine re venditio intellegitur, veluti cum quasi alea emitur. quod fit, cum captum piscium vel avium vel missilium emitur: emptio enim contrahitur etiam si nihil inciderit, quia spei emptio est: et quod missilium nomine eo casu captum est si evictum fuerit, nulla eo nomine ex empto obligatio contrahitur, quia id actum intellegitur."

CAPUT V.

De alimentis publicis.

Tractanda restant publica „alimenta" [1]), quae multis nominibus cum omnibus quae antecesserunt discrepant. Ut enim illa aut maxime aut omnino ad ipsam urbem Romam pertinebant, ita alimentis Italiae potissimum rationibus prospiciebatur; utque illa a vera egentium cura longissime aberant, ita haec ad talem curam propius accessisse

1) De alimentis inter alios conferendi sunt Wolf, Von einer milden Stiftung Trajan's, Berlin 1808; Savigny, in Heidelberg. Jahrbb. d. Litterat. 1809, pag. 254 seqq.; de Lama, Tavola alimentaria Velejate, detta Trajana, Parma 1819; Henzen, De tabula aliment. Baebianorum, in Annali dell' Instit. 1844, pag. 5 seqq. (etiam separatim editum Romae 1845); Id. Bullett. dell' Instit. 1845, pag. 233 seq ; 1847, pag. 8 seqq.; Id. Additamenti e correzioni all' artic. sugl. alimenti pubblici dei Romani, in Annali dell' Instit. 1849, pag. 220 seqq.; Garrucci, Monum. reip. Ligurum Baebian. Roma 1846; Desjardins, De tabulis alimentariis, Paris 1854; Kratz, De beneficiis a Traiano aliisque imperatoribus in pueros puellasque inopes collatis, in Jahresber. über das kön. kath. Gymn. an Marzellen zu Köln i. d. Schulj. 1870—1871; Mommsen StR. II³ pag. 949, 1079 seq.; III pag. 447 seq.; Marquardt StV. II² pag. 141 seqq.; Hirschfeld, Röm. Verwaltungsgesch I pag. 114 seqq.; Herzog, Gesch. u. Syst. d. röm. Staatsverf. passim (vide Indicem s. v. Alimentar-Stiftungen); Pauly-Wissowa, Real-Encycl. I² s. v. *alimenta;* Daremb. et Sagl., Dict. des Antiq., s. v. *alimentarii pueri et puellae;* Ruggiero, Diz. epigr. s. v. *alimenta.*

Parum Latine multi, qui de hac re scripserunt (Henzen, Desjardins, Kratz), utuntur

in confesso est. Rebus ita se habentibus aliquantum haesitavi utrum hunc locum leviter attingerem an subtilius de eo disputarem. Nam quoad alimenta re vera egentium cura appellari possunt, dignissima videntur quibus insistamus; quoad vero ad urbem Romam non spectabant, ea paucis absolvenda esse dixeris. Momentum fecit alimentorum ipsa vis et natura. Erant enim alimenta tam gravia nec non ad argumentum nostrum tam manifesto pertinebant, ut illa quidem quo minus quasi praetervolarem in animum inducere non sustinuerim.

Urbi Romae, terrarum reginae, quod cetera Italia — ex qua ipse ortus erat — semper postponeretur indigne tulisse videtur Nerva imperator. [1]) Cuius rationibus ut ipse consuleret, „puellas puerosque natos parentibus egestosis sumptu publico per Italiae oppida ali iussit." [2]) Confirmatur res nummo quodam, in cuius aversa parte imperator Nerva exhibetur sellae curuli insidens dexteramque extendens versus mulierem (Italiam), inter utrumque puerulus et puella; adiuncta est inscriptio TVTELA ITALIAE. [3])

---

vocabulo q. e. *institutio alimentaria*. *Institutio* enim ab optimis Latinitatis auctoribus active tantum ponitur, non passive. Cf. Krebs-Schmalz, Antibarb. d. latein. Sprache s. v. *institutio*. In titulis vero et apud scriptores, quotiescumque de hac re mentio fit, nudum vocabulum *alimenta* ponitur (nonnunquam *alimenta Caesaris*, ut C. I. L. XI, 3123 (= Henzen 6666); 3211). Ita magistratus, qui his rebus praeerant, appellabantur *praefectus alimentorum, curator viae et alimentorum, subcurator alimentorum*, et qui sunt generis eiusdem Cf. infra Pecuniae, quam imperatores in alimenta assignabant, nomen erat *sacra pecunia alimentaria* (C. I. L. IX, 2354; X, 1491), sive *pecunia publica quae est aliment(orum)* (C. I. L. X, 981), sive *pecunia alimentorum publicorum* (C. I. L. X, 4570), sive *pecunia alimentor(um)* (C. I. L. X, 4582), sive *pecunia alimentaria* (C. I. L. IX, 1415; 2807; 3923; X, 20; 47; XI, 4389). Illud *sacra* in *sacra pecunia alimentaria* non referendum est ad res divinas; quaecumque ad imperatores spectabant, sacra appellata esse notum est

[1]) Cf. Hirschf. V. G. I pag. 114.

[2]) Aurel. Victor. Epit. 12.

[3]) Cohen II² pag. 12, 142. Recte igitur Henzen (De tab. aliment. Baeb. l. l. pag.

Nerva pietatis suae illustrem heredem habuit filium Traianum, qui inceptae rei tanto cum studio, tanta cum constantia se addixit, ut illius vere auctor habendus sit. Is enim nec Romae saluti deerat et Italiae prospiciebat. Romae puerorum paulo minus quinque milia ingenuorum alimentorum beneficio auxit, quam liberalitatem egregie describit Plinius in Panegyrico. [1]) Narratio dignissima est quae tota perlegatur; initium hic inseram. „Adventante congiarii die observare principis egressum in publicum, insidere vias examina infantium futurusque populus solebat. Labor parentibus erat ostentare parvulos inpositosque cervicibus adulantia verba blandasque voces edocere: reddebant illi quae monebantur. Ac plerique inritis precibus surdas principis aures obstrepebant, ignarique quid rogassent, quid non inpetrassent, donec plane scirent, differebantur." Tum in Traianum sermonem convertens: „Tu ne rogari quidem sustinuisti," pergit, „et quamquam laetissimum oculis tuis esset conspectu Romanae sobolis inpleri, omnes tamen ante quam te viderent adirentve recipi incidi iussisti, ut iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur, crescerent de tuo qui crescerent tibi, alimentisque tuis ad stipendia tua pervenirent, tantumque omnes

9 seqq.) „complures (illos) viros auctoritate minime spernenda" refutat, „e quibus Muratorium nomin(at) (Symbolae litt. Florent. vol. V, p. 11)," qui negant Nervam „eius instituti fundamenta iecisse, silentio praecipue Cassii Dionis ad illam sententiam adduct(i)." „Quin haud scio," inquit, „an ad ipsa alimenta pertinuerit legata accipiendi ius, municipiis ab imperatore illo concessum . . . . Antequam enim ius illud civitatibus concessum esset, de alimentorum institutione, qualem ex inscriptionibus fuisse eam novimus, vix cogitari potuit." De iure illo vide Ulpiani fragm. 24, 28; „Ciuitatibus omnibus, quae sub imperio po*pul*i Romani sunt, legari potest; idque a diuo Nerua introductum, postea a senatu auctore *H*adriano diligentius constitutum est." Cf. etiam Dig. XXX, 117; 122.

[1]) Cap. 26 seqq. Eodem respicere videntur haec verba ex Cap. 51: „Populo, cui locorum quinque milia adiecisti" — de quibus verbis dicam pag. 211 adn. 1.

uni tibi quantum parentibus suis quisque deberet." Quod ad Italiam attinet, Dione teste „ἐς δὲ τὴν Ῥώμην ἐσελθὼν πολλὰ ἐποίει πρός τε διόρθωσιν τῶν κοινῶν καὶ πρὸς χάριν τῶν ἀγαθῶν, ἐκείνων τε διαφερόντως ἐπιμελούμενος, ὡς καὶ ταῖς πόλεσι ταῖς ἐν Ἰταλίᾳ πρὸς τὴν τῶν παίδων τροφὴν πολλὰ χαρίσασθαι, καὶ τούτους εὐεργετῶν." [1]) Quod sciam, apud scriptores frustra plura testimonia quaeres, quae Traiani alimenta illustrent. [2]) Causa haud dubie repetenda est ex temporum iniquitate, qua non pauca scripta ad Traiani regnum pertinentia evanuerunt. Perierunt quos ipse confecit de bello Dacico commentarii, [3]) periit Traiani vita a Mario Maximo descripta, perierunt Fabii Marcellini, Arvelii Veri, Statii Valentis studia, „qui omnem eius uitam in litteras miserunt." [4]) Tacitus vero, rerum ille gravissimus auctor, qui, „si vita suppedit(ar)et, principatum divi Nervae et imperium Traiani . . . . senectuti seposu(erat)," [5]) hoc consilium quominus perficeret, morte videtur esse impeditus. At haec fatorum iniuria compluribus nummis ac titulis in aere lapidibusque incisis partim sarcitur. Insigni Traiani munificentiae vel maximum testimonium dant inscriptiones duae amplissimae, ad quas infra redeundum erit. Tabulas dico Ligurum Baebianorum et Veleiatium, quarum prior spectat ad annum centesimum primum, Veleiatium vero duarum obligationum documentum est, alterius ante annum centesimum quartum factae, alterius post, id quod patet ex cognomine *Dacico* in illa omisso, in hac adscripto. Porro commemorandi sunt tituli Amerinorum C. I. L. XI, 4351 (= Orelli

---

1) Dio Cass. LXVIII, 5, 4.

2) Spartian. Hadrian. 7, 8 nudi facti meminit: „Pueris ac puellis, quibus etiam Traianus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adiecit."

3) Cf. Prisciani Instit. VI, 13 (Ed. Hertz, in Keilii Grammaticis Latinis).

4) Vide Lamprid. Alexander Severus 48, 6.

5) Tac. Hist. I, 1.

3363) et qui Tarracinae est repertus C. I. L. X, 6310 (= Henzen 5822). [1]) Accedit inscriptionis fragmentum „Imperatori Caesari divi Nervae filio Nervae Traiano" Auximatium municipio dicatae „[quod per mu]nificentiam suam . . . . . subolemq(ue) Italiae . . ." Nummos denique aliquot Cohen descriptos habet ad Traiani alimenta pertinentes. [2]) In aliis inscriptis ALIM. ITAL. conspicitur imperator togatus modo stans, modo sedens dextramque extendens modo versus binas parvas figuras, modo versus mulierem adstantem cum binis infantibus, e quibus unum in ulnis gestat. In aliis item inscriptis videmus mulierem modo spicas cornuque copiae tenentem adstante puerulo, modo

[1]) C. I. L. XI, 2, 4351 est:

*i*MP · NERVAE
*tr*AIAN · AVG · GER
*pon*T · MAX · TRIB · POT
ui ? COS IIII · P · P a. p. C. 102 (vel 101)
NOMINE PVERORVM
PVELLARVMQVE
VLPIANORVM
EX · S · C · PVB

Adnotat Bormann: „Non recte in dubium vocavit Mommsen *Ber. d. S. Ges. d. W.* 1849 p. 270." Nempe Mommseno auctore titulum falsum Ligorianum esse aliquamdiu putaverunt viri docti (in his etiam Marquardt StV. II² pag. 143 adn. 3). Neque ob aliam causam omissum esse suspicor a Kubitschek apud Pauly-Wissowa, Real-Encycl. I² s. v. *alimenta*. Hi pueri et puellae autem dicebantur *Ulpiani*, quia ab Ulpio Traiano alimenta accipiebant.

C. I. L. X, 6310 est:

PROVIDENTIAE
IMP · CAESARIS NERVAE
TRAIANI · AVGVSTI
GERMANICI ·
EX · S · C ·

Mommsen in Additamentorum auctario (pag. 1015): „Monet Blancherius in latere dextro . . cerni . puellam, recte iudicans statuam positam esse propter alimenta a Traiano instituta."

[2]) Cohen II² pag. 18 seq., 7—19; pag. 37, 179; pag. 51 seq., 326 et 327.

incedentem demissis bracchiis et puerulo comitatam. In aliis inscriptis ITALIA REST. [1]) vel REST. ITALIA imperator togatus mulierem (Italiam) genu flectentem sublevat; adstant bini pueruli manus versus Caesarem attollentes. [2])

Traiani vestigia secuti sunt qui ei successerunt, Hadrianus, Antoninus Pius, Marcus Aurelius. Hadrianum enim „pueris ac puellis, quibus etiam Traianus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adieci(sse)" narrat Aelius Spartianus. [3]) Antoninus Pius „puellas alimentarias in honorem Faustinae Faustinianas constituit." [4]) Res confirmatur nummis illis, qui in adversa parte Faustinae caput, in aversa cum inscriptione PVELLAE FAVSTINIANAE imperatorem repraesentant sedentem iuxta stante muliere; ambo corpus inclinant, ut a viro puellam acceptent; adsunt aliae quoque figurae modo plures modo pauciores. [5]) Marcus

---

1) i. e.: restituta.

2) Ad Traiani alimenta etiam pertinet opus illud caelatum, in foro repertum anno 1872, in quo adumbratur imperator laeva sceptrum tenens dextramque extendens ad mulierem (Italiam) in tribunali accedentem quae in manibus infantem gestat puellamque secum ducit adolescentem. De hoc anaglypho vide Henzen, Bullett. dell' Instit. 1872, pag. 273 seqq.; Jordan in Bursian's Jahresberr. I, 1873 pag. 725 seqq.; Topograph. d. Stadt Rom, I, 2, pag. 219 seqq. cum Tab. IV, 1. Alii vero monumentum referunt ad Hadrianum. Cf. Bormann, Index lect. Marburg. aestiv., 1883 pag. XII seqq.; Marq. StV. II² pag. 143 adn. 2. — De alio anaglypho apud Henzen (De tab. aliment. Baeb. l. l. pag 13 adn. 1) haec scripta lego: „Anaglyphum quoque quodda marcus Beneventani ad alimentorum institutionem pertinet, in quo Traianus conspicitur, ad quem quattuor accedunt mulieres coronis muralibus ornatae cum puerulis virisque puerulos humeris gestantibus. Quae mulierum figurae municipia Italiae repraesentant. — Ipse arcus ad trib. pot. XVIII spectat."

3) Spartian. Hadrian. 7, 8. Hadriani munificentiam Henzen l. l. pag. 24 et Hirschfeld in Philol. l. l. pag. 10 ad Italiam tantum, non ad Romam pertinere sumunt. Falso, si quid video. Cf. Sauppe in Philol. XXX (1870), pag. 134 seqq. et infra pag. 212 adn. 1.

4) Capitol. Anton. Pius 8, 1.

5) Cohen II² pag. 433, 261—263. 261 exhibet aedificium duas tabulationes habens; in superiore conspicitur imperator, qualem in textu descripsi; infra quattuor

Aurelius autem „de alimentis publicis multa prudenter inuenit." Ob coniunctionem Lucillae et Veri fratris cum hoc „pueros et puellas nouorum nominum frumentariae perceptioni adscribi praecep(it)." „Nouas" denique „puellas Faustinianas instituit in honorem uxoris mortuae." [1]) Tituli quoque reperti sunt nonnulli, quos Antonino Pio et Marco Aurelio dicaverunt pueri et puellae alimentarii: priori anno p. Chr. n. 149 „pueri et puellae a[l]iment[a]ri Cuprenses Montani" [2]) et post eius mortem „alimentari" e Sestino, [3]) alteri anno 150 „pueri et puellae alimentari" ex Urbino [4]) et anno 162 „pueri et puellae alimentari Ficolensium." [5])

Posthac de alimentis non multa litteris sunt custodita. Pertinax, cui iam antequam imperator factus erat, alimentorum cura fuerat mandata, [6]) „alimentaria etiam compendia, quae nouem annorum ex instituto Traiani debebantur, obdurata uerecundia sustuli(sse)" fertur. [7]) Ut Pertinax,

---

mulieres et duo viri, qui uterque parvulam puellam in ulnis gestant; procul sunt tres puellae.

1) Haec omnia leguntur apud Iulium Capitolinum in Vita Marci Antonini Philosophi. (Capp. 11, 2; 7, 8; 26, 6.)

Ad novas illas puellas Faustinianas anaglyphum pulcherrimum in Museo villae Albaniorum adhuc servatum referendum se credere dicit Henzen (l. l. pag. 20), in quo mulieres duae stantes in suggestu, complures autem ante illum conspiciuntur puellae, quarum quae proxime ad suggestum accessit, vestem pandit, ut ab altera mulierum frumentum accipiat.

2) C. I. L. IX, 5700 (= Orelli 89).

3) C. I L. XI, 2, 6002 (= Orelli 847). Non e Sentino, quod exhibet Kubitschek apud Pauly-Wissowa s. v. *alimenta* (I² pag 1487); utrumque et Sestinum et Sentinum est Umbriae municipium.

4) Gruterus pag. 1022, 6. Hanc inscriptionem in C. I. L. reperire non potui.

5) C. I. L. XIV, 4003 (= Orelli 3364).

6) Capitol. Pertinax 4, 1.

7) Ibid. 9, 3. De hoc loco sententiae variantur. Antiquiores (ut Muratori, de Lama, Zumpt) a Pertinace totum institutum sublatum esse aiunt. — Henzen (quem sequitur Marquardt, l. l. pag. 147) illis verbis nihil aliud significari dicit (l. l. pag. 48), „nisi per novem annos intermissam alimentorum perceptionem fuisse, Pertinacem vero in summa, qua tum Italia erat, calamitate residua, non ipsas obli-

ita Iulianus quoque consularis „curam alimentorum in Italiam meruit.“ [1]) Macrinum imperatorem pueros Antoninianos et puellas Antoninianas illum quidem instituere voluisse legimus; [2]) at mox necatus est nec videtur consilium esse exsecutus. Restat Severus Alexander, qui

---

gationes, id quod ne verbis quidem citatis exprimitur, sustulisse.“ — Mommsen contra haec scribit (StR. II³ pag. 1080 (1081) adn. 3): „Eher könnte man die Frage aufwerfen, ob nicht Marcus in seiner Finanzbedrängniss sich genöthigt gesehen hat die Alimentarcapitalien von den Grundbesitzern einzuziehen und die bisher von denselben gezahlten Zinsen auf die Staatskasse zu übernehmen; auf eine derartige Massregel führt *vita Pertin.* 9. [Sequitur locus quem in textu exscripsi.]“ — Ne Rodberti quidem explicatio videtur esse praetermittenda, etiamsi eam non accipias. Is quidem (Bedenken gegen den von den Topographen Roms etc. l. l. pag. 15 seq.) tempus perfectum (quod dicitur) *sustulit* non a *tollendo*, sed a *sufferendo* derivans Pertinacem contra residua ista persolvisse ponit. Hanc interpretationem optime quadrare dicit cum iis quae proxime antecedunt, ubi legimus Pertinacem rem publicam ordinasse, aes alienum, quod primo imperii tempore contraxerat, solvisse, aerarium in suum statum restituisse, stipendia plurimis retro debita exsolvisse, obeundis postremo cunctis muneribus fiscum parem fecisse, et id genus alia. Verba ipsa breviora sunt quam ut satis intellegi possit quid velint. Mihi tamen videtur aliquantum interesse utrum ad Romam an ad Italiam pertineant. In Italia enim residua vix imperatorum fuisse dixeris, sed colonorum qui praedia sua obligaverant. (Cf. pag. 212 seqq.) Quodsi Henzen scriptoris sententiam assecutus est, Pertinacem Italos misere afflictos illos quidem relevasse, pueris vero defuisse sequitur, qui alimentorum commodis fruebantur. Quod quia minus veri simile videtur, nescio an Mommseni coniectura sit probanda.

1) Spartian. Didius Iulian. 2, 1.

2) Lamprid. Antonin. Diadumen. 2, 10. Macrinus enim „ueritus, ne in aliquem Antoninorum . . . . . . exercitus inclinaret,“ filium suum Antoninum appellaverat (ibid. 1, 3).

Ad Macrini consilia quaedam alimentaria etiam videtur pertinere locus quidam Dionis (LXXVIII, 22, 5), qui cum Bekkeri supplementis ita legitur: „[καὶ τοῖς] ἐπ' ἐλπίδι β[ραχείᾳ τρε]φομένοις [ὀρφανοῖς] ἐκ τῆς . . . . πα[ιδικῆς] μέχρι τῆς σ[τρατευσίμου] ἡλικίας ἐπ[εκουρήθη].“ Cf. Hirschf. V. G. I pag. 119 adn. 4. Adnotat autem Boissevain, in fine ἐκ, non ἐπ, certum videri affirmans: „An Bekkeri supplementa ita mutanda: ὀρφανοῖς δ' ἐπ' ἐλπίδι βραχείᾳ τρεφομένοις σιτοδοτεῖν ἐκ τῆς . . . . μέχρι τῆς στρατευσίμου ἡλικίας ἐκαινοτομήθη?, verum ἐπ' ἐλπίδι βραχείᾳ τρέφεσθαι quid sit non optime intellego, cogitavi de ἐπ' ἐλπίδι βουλείας, quo admisso nonnulla supplementa Bekkeri retineri non possunt.“

„puellas et pueros, quemammodum Antoninus Faustinianas instituerat, Mammaeanas et Mammaeanos instituit." [1]) Deinde de alimentis tacent scriptores; at lapides, nonnullos alimentorum praefectos divulgantes, ea exeunte tertio saeculo, vel certe ante annum 271, [2]) etiamtunc permansisse docent. Constantini vero temporibus alimenta cessasse viri docti cogunt e Cod. Theodos. XI, 27, 1: „*Imp. Constantinus A. ad Ablavium.* Aereis tabulis vel cerussatis aut linteis mappis scripta per omnes civitates Italiae proponatur lex, quae parentum manus a parricidio arceat, votumque vertat in melius. Officiumque tuum haec cura perstringat, ut, si quis parens afferat subolem, quam pro paupertate educare non possit, nec in alimentis nec in veste impertienda tardetur, cum educatio nascentis infantiae moras ferre non possit. Ad quam rem et fiscum nostrum et rem privatam indiscreta iussimus praebere obsequia. *Dat. III. Id. Maii Naisso, Constantino A. IV. et Licinio IV. AA. Coss.* (315.)" Constantinum prorsus nova quaedam instituisse ex hoc loco dixeris. [3])

Alimentorum et originem et incrementa et exitum persecuti iam quaeramus, alimenta illa quibusnam in rebus consisterent. Viri docti plerique ea non nisi frumentum

---

[1]) Lamprid Alex. Severus 57, 7.

[2]) Cf. Hirschf. l. l. pag. 122 cum adn. 2.

[3]) Cf. Hirschf. l. l. adn. 3; Schiller, Gesch. d. röm. Kaiserz. II pag. 295: „Möglicherweise ist auch in dieser Zeit der Finanzkalamität die Alimentareinrichtung . . . . . . untergegangen, die in Diokletians Zeit noch bestand. Vielleicht hatte Konstantin d. Gr. neue Einrichtungen getroffen, da die früheren nicht mehr ausreichten. Der Untergang dürfte nicht mit einem Schlage und auch nicht sowohl durch gesetzgeberische Massregeln als vielmehr durch Unterlassung der Zahlungen herbeigeführt worden sein." Quod ad Christiana tempora attinet, Marq. l. l. adn. 7: „In der christlichen Zeit giebt es ganz andere Versorgungsanstalten, Waisenhäuser (*orphanotrophia*), Kinderhäuser (*brephotrophia*), Armenhäuser (*ptochotrophia*), Hospitäler (*gerontotrophia*). Cod. Just. 1, 2, 19. 22."

fuisse dicunt. Ab illis facere videtur: 1° quod in inscriptionibus urbis Romae Latinis pertinentibus ad tribus et ad frumentum publicum commemorantur pueri quidam incisi frumento publico vel saltem illud frumentum accipientes;[1]) pueros autem, quibus Traianus alimenta praestabat, illos quoque incidi iusserat [2]); 2° quod — ut supra vidimus — Antoninus Pius puellas alimentarias Faustinianas, Marcus Aurelius novas puellas Faustinianas instituit, idemque „pueros et puellas nouorum nominum frumentariae perceptioni adscribi praecep(it)"; itidem talis puella „divae Faustinae iunioris", sex annos nata, in titulis illis urbanis (C. I. L. VI, 10222 = Orelli 3365) diserte dicitur incisa fuisse frumento publico [3]); 3° C. I. L. X, 5056 (= Orelli 4365):

---

1) Tituli leguntur C. I. L. VI, 10220 seqq. Pueri isti sunt dispares aetate, ut trimi, quadrimi, unus etiam proprie puerilitatis annos egressus. Narcissum illum dico, de quo C. I. L. VI, 10226 (= Orelli 3359):

„Quintum annum et decimum Narcissus flore iuventae
hoc iacet abreptus conditus in tumulo."

Ultimi versus sunt:

„Hic septimum decimum frumentum publicum accepit,
sextum decimum . . . . perdidit."

19 in. [lacunam illam dicit, quattuor punctis indicatam] potuisse esse *quod afuit* vel simile quid monuit Mommsen.

Causae non perhibentur; has quoque diversas fuisse credideris. Duo pueri aeneatorum collegio ascribuntur C. I. L. VI, 10220 et 10221 (10220 partim, 10221 totum exscripsi pag. 159(160) adn. 7), de quibus aeneatoribus cf. pag. 160 cum adn. 3 et *Addenda et Corrigenda* in disputationis fine.

2) Cf. pag. 201.

3) Titulus est:

D M
SEXTIAE · SATVRNINAE
C · SEXTI · DAPHNI · ET
SEXTIAES · SATVRNINAE
5 FIL · Q · VIX · ANN · VI · M · VII ·
DIEB · XIIII · INC · FR · PVBL
DIV · FAVST · IVNIOR

Adnotat Henzen: „Intellegendum *inc(isus) fr(umento) publ(ico) div(ae) Faust(inae) iunior(is)*. Cf. *puellae Faustinianae* apud Iul. Capit. vit. Ant. P. 8 et in num-

„[T] Helvio T. f. Basilae aed(ili), pr(aetori), proco(n)s(ule), legato Caesaris Augus(ti), qui Atinatibus HS ccclↃↃↃ ccclↃↃↃ ccclↃↃↃ ccclↃↃↃ legavit, ut liberis eorum ex reditu, dum in aetate[m] pervenirent, frumentu[m] et postea sesterti[a] singula millia darentur; Procula filia posuit." [1]); 4⁰ quod Veleiae quoque mense alimentorum loco pueris dabantur 16, puellis 12 HS, Tarracinae pueris 20, puellis 16 HS; quam pecuniam ad frumentum comparandum suppeditasse, in plura vix satis effecisse dixeris. [2])

Recte tamen Rodbertus [3]) monet nullum locum exstare, ex quo aperte pateat *alimentarios* (qui dicuntur) pueros (et puellas) non nisi *frumentum* percepisse. Nonnulla testimonia profert e Digestis, [4]) e quibus appareat *alimenta* multo latius patere quam *frumentum*. Quod autem ad puellas Faustinianas attinet, utramque et Antonini Pii et Marci Aurelii uxorem Faustinam appellatam fuisse docens, *puellas alimentarias*, quas prior „in honorem Faustinae *Faustinianas* constituit," non eiusdem generis fuisse autumat atque *novas puellas Faustinianas*, quas alter „instituit in honorem uxoris mortuae" — ad has autem nimirum referendum esse C. I. L. VI,

mis apud Eckhelium 7, 40." *Inc*(*isus*) tamen rectum esse nequit; legendum *inc*(*isae*). Ne quis putet *s* litteram in *Sextiaes* per dittographiam (quam vocant) scriptam esse, is sciat primis Caesarum saeculis tales genetivos in sermone plebeio non raro inveniri. Cf. Ferd. Sommer, Handb. d. latein. Laut- u. Formenlehre (Heidelberg 1902), pag. 354: „Die bisweilen schon in vorchristlicher Zeit und fast nur bei plebejischen Frauennamen vorkommende Endung -*aes* . . . . ist eine Anlehnung an die Genitive auf -ης der griechischen Namen und stammt aus einer Zeit, wo im Volksmunde *ae* schon durchweg zu *e* geworden war."

[1]) Est hoc privatae munificentiae exemplum.

[2]) De Veleiatium alimentis cf. infra; de Tarracinae, quae et ipsa erat privata munificentia, dicam in huius libri tertia parte. De frumenti pretiis cf. pag. 56 seqq.

[3]) Rodberti argumentationem legas „Zur Fr. d. Sachw. d. Geldes im Alt.", l. l. pagg. 398 seqq., 405 seqq. (Cf etiam eundem, Bedenken gegen den von den Topographen Roms etc., l. l. pag. 5 seqq.)

[4]) Dig. XXXIIII, 1, 6 et 23; II, 15, 8, 24; L, 16, 77 etc.

10222 —; priores enim fuisse quam ille dicit *eine Alimentationsstiftung*, has vero *eine Frumentationsstiftung*. Magis profecto quam vulgo fit Rodberti argumentorum ratio habenda videtur. E Digestorum locis exscribam Iavoleni testimonium, quod mihi quidem admodum grave est — Iavolenum illorum ipsorum imperatorum aequalem fuisse moneo, qui in primis in alimentis curam adhibuerunt: natus enim est a. 79 et mortuus a. 138 p. Chr. n. —: „Legatis alimentis cibaria et vestitus et habitatio debebitur, quia sine his ali corpus non potest: cetera quae ad disciplinam pertinent legato non continentur." [1]) Equidem hanc enodationem propono. Non omnes alimentarii pueri et puellae uno ordine habendi videntur. Omnes percipiebant frumentum — quo Romanos potissimum vixisse notum est — et Romae certe frumento erant incisi; praeterea, utut erat statutum, saepius etiam alia, ut oleum, vinum, vestitum, interdum fortasse vel habitationem, praebita fuisse credi potest. [2])

Quae si vera sunt, Henzeno non assentieris autumanti [3]) Traiano nihil aliud agendum fuisse, nisi ut tabulis eorum

---

[1]) Dig. XXXIIII, 1, 6. Ruggiero, Diz. epigr. s. v. *alimenta* (I pag 404), ex eodem titulo primo huiusce libri Digestorum trigesimi quarti l. quoque 9 et 17 affert, ut confirmet alimenta valere frumentum, nihil aliud. Quo iure mihi quidem non liquet.

[2]) Equidem igitur non tam severe, quam Rodbertus fecit, distinguendum esse puto inter quae ille vocat *Frumentations-* et *Alimentationsstiftungen*. Quae si reapse prorsus disiungenda sunt, sequitur Veleiae et Tarracinae frumentum multo minoris constitisse quam vulgo putant. Quod statuere Rodbertus non dubitavit (Zur Fr. d. Sachw. d. Geldes im Alt., l. l. pag. 410): „Muss man festhalten, dass resp. 16 und 20 Sest. für den Knaben und 12 resp. 16 Sest. für das Mädchen nicht blos zu Brodkorn, sondern zur gesammten Alimentation eines Monats hinreichte, so werden sich höchstens 2 Sest. als Durchschnittspreis des frumentum herausstellen und jene Stiftungsurkunden sind ein schlagender Beweis für die »Wohlfeilheit« des Lebens und also den hohen Sachwerth des Geldes im Alterthum."

[3]) De tab. aliment. Baeb. l. l. pag. 22.

qui frumentum publicum gratis accipiebant, puerorum quoque nomina incidi iuberet, ab eo receptorum, „ut iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur." Magis placet Hirschfeldii sententia, qui alimentariorum puerorum et puellarum nomina Romae in separatas tabulas relata fuisse confirmat. [1]) Henzeni opinio vel ideo

[1]) Cf. Hirschf. in Philol. l. l. pag. 11 seq. Mommsen videtur stare ab Henzeno. Scribit enim (StR. III pag. 446 adn. 3): „Diese Plätze (sc. der neuhinzugetretenen Getreideempfänger), nicht die des Circus, meint Plinius *paneg.* 51: *populo . . . locorum quinque milia adiecisti* (denn er fährt fort: *auxeras enim numerum congiarii;* vgl. auch *c.* 25: *locupletatas tribus*) und auf sie geht die dem Traian gesetzte Inschrift *C.* VI, 955: *tribus XXXV, quod . . . commoda earum* (vgl. S. 444 A. 4) *etiam locorum adiectione ampliata sunt.* Vermuthlich sind dies eben die etwa 5000 Knabenstellen, von denen Plinius *paneg.* 28 spricht." Mommsenum Plinii locum (Cap. 51) non recte intellexisse mihi persuasum est. Quod ut appareat, totus locus exscribendus erit: „At quam magnificus in publicum es? . . . . Hinc inmensum latus circi templorum pulchritudinem provocat, digna populo victore gentium sedes, nec minus ipsa visenda quam quae ex illa spectabuntur: visenda autem cum cetera specie, tum quod aequatus plebis ac principis locus; siquidem per omne spatium una facies, omnia continua et paria, nec magis proprius spectandi Caesari suggestus quam propria quae spectet. Licebit ergo civibus tuis te invicem contueri: dabitur non cubiculum principis sed ipsum principem cernere, in publico, in populo sedentem, populo, cui locorum quinque milia adiecisti. Auxeras enim numerum eius congiarii facilitate maioremque in posterum suscipi liberalitatis tuae fide iusseras." Postrema verba non cum Mommseno interpretanda sunt: „Auxeras enim numerum (eius) congiarii" — sed: „Auxeras enim numerum eius, sc. populi, idque congiarii facilitate." Quodsi quaeras quomodo congiarii facilitate populus augeri potuerit, memineris Traianum pueros illos ingenuos, quos paulo minus quinque milia numero in congiarii partem vocavit, eosdem liberaliter alendos curasse, item (ut docent addita verba „maioremque in posterum suscipi liberalitatis tuae fide iusseras") viam plurium in posterum suscipiendorum aperuisse. Ita „populo — et implicite circo — locorum quinque milia adiecisse" dici poterat; populum enim augens circi ampliandi occasionem dedit. Quod autem C. I. L. VI, 955 tribuum XXXV commoda etiam locorum adiectione ampliata esse feruntur, docent Plinii verba „ex his (sc. incisis pueris) castra, ex his tribus reple b u n t u r (non *replentur* vel *repletae sunt*)" (Paneg. 28) hos pueros nondum cum ceteris tribulibus eadem iura nactos esse neque igitur illinc cogi posse eorum nomina in communes tabulas esse relata. Hi pueri autem, nisi fallor, simili modo dici possunt in tribus recepti esse atque C. I. L. VI, 10220 et 10221 duo illi pueruli adnumerantur in collegio aeneatorum. (Cf. pagg. 159 adn. 7, 160 adn. 3, 208 adn. 1, et *Addenda et Cor-*

videtur esse repudianda, quod ad frumentationes virilis tantum sexus, immo viri adulti, quibus suffragium ferre licebat, ad alimenta contra ab initio cum Romae tum in Italia et pueri et puellae admittebantur, [1]) qui praeterea variis nominibus erant notati, ut pueri puellaeque Ulpiani, puellae Faustinianae, novae Faustinianae, puellae et pueri Mammaeanae et Mammaeani.

Res alimentaria optime illustratur duobus maximis documentis, ad quae mihi redeundum fore supra dixi. Sunt tabulae Ligurum Baebanorum et Veleiatium, quae leguntur C. I. L. IX, 1455 (= Henzen 6664) et XI, 1147. Ligurum Baebianorum erat colonia [2]) haud procul a Benevento, a quibus dicta est tabula, quae, admodum lacera illa quidem ac mutilata, anno 1831 in ista regione reperta est; altera vero tabula anno 1747 effossa est propter Placentiam eo loco, ubi quondam Veleia fuit in Gallia Cispadana. Discimus autem ex his monumentis Traianum municipiis istis quasdam pecuniae summas concessisse, ex quarum usuris certo puerorum puellarumque inopum numero menstrua darentur alimenta, illaeque summae ut cautiores essent, statuisse ut municipiorum cives, qui fundos haberent, inde pecunias accipere liceret hac lege, ut ob acceptam pecuniam ipsorum

---

rigenda in disputationis fine.) Quod denique Mommsen ex Cap. 25 quoque affert verba „locupletatas tribus" — totus locus est: „Nisi vero leviter attingi placet locupletatas tribus datumque congiarium populo, et datum totum, cum donativi partem milites accepissent." — Cap. 26 demum narrat Traianus de infantibus principi ostentatis et ab eo receptis. Ego igitur illud *locupletatas tribus* accipio de congiario populo per tribus donato, ut Martialis de Domitiano (VIII, 15, 4): „Et ditant Latias tertia dona tribus" — et Claudianus, Panegyr. de sexto cons. Honor. vs. 72 seq.: „Tecum praelarga vocavit Ditandas ad dona tribus."

[1]) Num re vera ab initio in ipsa urbe Roma puellae quoque admissae fuerint, illud quidem non prorsus constat, contra Henzen tamen l. l. pag. 24 et Hirschfeld in Philol. l. l. pag. 10 probavit Sauppe in Philol. XXX (1870), pag. 134 seqq.

[2]) Cf. Liv. XL, 37; 38; 41; Plin. N. H. III, 11, 105; Lange, Röm. Alt. II[3] pag. 268.

fundos obligarent. Vel, ut ipsa monumenta loquantur, utriusque cum primos versus tum summarium reddere placet.

Baebianorum tabulae praescriptio cum certa ratione restitui nequeat, probabiliter eam hoc fere modo expleri Mommsen [1]) monet:

„[Imp. Caes.] Nerva Traiano Aug. G[ermanic]o IIII [Q.] Articuleio Paeto [cos.] [2]) [qui i. s. s. [3]) ex praecepto optim]i maximiq(ue) principis obligarunt prae[dia ut ex em]pto Ligures Baebiani [usuras semestres i. s. [4]) percipiant e]t ex indulgentia eius pueri puellae(que) al[imenta a]ccipiant."

Adnotat Mommsen in C. I. L.: „Emptionem autem intellege talem, qualem significat Plinius in epistula 7, 18: *pro quingentis milibus nummum, quae in alimenta ingenuorum ingenuarumque promiseram, agrum ex meis longe pluris actori publico mancipavi, eundem vectigali imposito recepi, tricena milia annua daturus.* Scilicet domini fundorum cum vendidissent eos rei publicae Ligurum, pretii loco numerata sorte ab imperatore rei publicae concessa, mox eos rursus ab eadem emerunt ita, ut usurae in perpetuum solvendae pro pretio essent." [5])

---

[1]) In his versibus restituendis cum Mommseno aliquantum discrepant Burghesi (Bullett. dell' Instit. 1835, pag. 147) et Henzen.

[2]) i. e.: [co(n)s(ulibus)] (= 101 p. Chr. n.).

[3]) i. e.: [qui i(nfra) s(cripti) s(unt).

[4]) i. e.: i(nfra) s(criptas).

[5]) Simile quid iam posuit Henzen l l. pag. 25 seq. Haec opinio igitur, nisi fallor, huc redit, domino rei publicae tradito fundos rursus per *emphyteusin* (quod dicunt iuris consulti) auctoribus datos fuisse. Quod quidem late disputat Matthiass (Röm. Alimentarinstitution u. Agrarwirtschaft, in Jahrbb. f. Nationalökon. u. Statist. N. F. X, pag. 503 seqq.), cuius haec verba affero: „Bei dem Alimenteninstitut tritt uns von vornherein als fast befremdliche Thatsache entgegen, dass die Fonds für dasselbe bei einzelnen Grundbesitzern ausgethan wurden. Die Form, in welcher dieses geschah, kann . . . . . nur folgende gewesen sein. Ein Grundbesitzer erhielt aus dem Alimentenfonds ein bestimmtes Kapital, dafür übertrug er ein zu einem

Ipsae obligationes praediorum perscriptae sunt ad hanc formam. [1]) 1. Primo loco ponitur nomen domini fundi eiusdemque usurarum debitoris casu sexto. 2. Sequitur nomen fundi. 3. In plena eiusmodi forma territorium quoque in quo esset fundus enuntiandum fuit. In hac tabula quatenus territorium aut positum sit aut omissum, nostra nihil interest; ratio autem eius rei parum perspicitur. 4. Ad territorium pagum adscribendum esse et Ulpianus ait et confirmat tabula. 5. Sequuntur adfines ita, ut plerumque in singulis fundis singuli tantum adfines nominentur. 6. Deinceps perscribitur summa qua quisque

---

gewissen Werte abgeschatztes Grundstück an den Staat zu Eigentum, erhielt aber dasselbe zu dinglichem Erbpachtrecht zurück unter Auferlegung eines Bodenzinses (vectigal, pensio, canon), der dem Zins des dargeliehenen Kapitals entsprach" Hanc opinionem aliasque nonnullas Ruggiero, Diz. epigr. s. v. *alimenta*, impugnat: „Esso formalmente non era nè *fiducia*, nè *pignus*, nè *pactum hypothecae*, come alcuni ritengono (p. e. Savigny, Vermischte Schrift. 5 p. 64. Puchta, Inst. 3, § 118 cf. Bachofen, Pfandr. 1 p. 226), e tanto meno un' enfiteusi [sequitur sententia, in qua Matthiass esse diximus]. Ma consisteva nella semplice iscrizione nei registri del municipio (*tabulae publicae*) dei fondi dati in pegno, siccome era in uso nelle *obligationes praedibus praediisque* dei privati verso i comuni (v. Lex Malacit. C. II 1174 c. 60. 63 cf. Mommsen, Stadtr. p. 469)." Simili modo v. Brinz, qui et ipse de harum obligationum ratione satis copiose egit, etiam alias controversias attingens, quas hic praetermitto, in Sitzungsberr. d. histor. Classe der k. b. Akad. d. Wissensch. zu München, 1887 II pag. 209 seqq. („Zu den Alimentenstiftungen der römischen Kaiser"): „Dass Trajan endlich denselben Weg eingeschlagen, wie sein Plinius, ist eine so verkehrte Ansicht, dass man schwer begreift, wie Henzen S. 26 daran auch nur denken konnte. Wenn Jemand derart stiftet, dass er seine Grundstücke für immer wegschenkt, sie zu Erbpacht zurückempfängt, und den Zins für den gewissen Zweck widmet, so können die Grundstücke nicht mehr obligirt oder verpfändet sein oder heissen." Et paulo infra: „Das lange Register ehrsamer Velejaten und Ligurischer Baebianer die ihre Grundstücke — freilich nicht wegschenkten, und in Erbpacht verwandelten, sondern theils volleigene, theils Erbpacht-Güter gegen verhältnissmässig kleine Kapitalien verpfändeten. Trägt man in die Alimentartafeln nichts hinein, so schaut aus ihren Obligationen mehr als die Hypothek nicht heraus." Nos tamen obligationum modum, de quo multum disputaverunt viri docti iuris periti, his ipsis disceptandum permittamus.

1) Hoc summarium quoque, in angustum tamen coactum, deprompsi e Mommseno in C. I. L.

fundus *aestimatus* est, vel, ut semel 2, 67 reperitur, *emptus*. 7. Eam excipit summa pecuniae ab imperatore acceptae, formula *in sestertium milia tot.* Conferenda est formula tabulae Veleiatis *ille fundum professus est sestertiorum tot in sestertios tot.* 8. Claudit caput summa usurarum a dominis deinceps pendenda, ad quas summas in futurum determinandas cum tabula praecipue spectaret destinata fortasse quaestoribus futuris pecuniae alimentariae, quorum pecuniarum earum exactio erat, [1]) ad marginem collocatae sunt ordine separato. 9. Extra ordinem aliquoties additur, a quo pecunia petenda sit formula *n(umerat) ille.* [2])

In Baebianorum tabulae praescriptione, contra quam in Veleiatium, neque caput a Traiano concessum indicatum est — quod quidem HS 4018000 fuisse ipsae obligationes docent — neque usura neque vero puerorum puellarumque numerus, quibus alimenta (vel pecunia) erant destinata. Quem numerum ut efficeret, Mommsen talem rationem iniit: „Sunt autem, ut in singulis capitibus apparet, usurae sextantariae semunciariae, eum in Veleiate tabula diserte reperiantur quincunces. Quam ob rem cum mihi persuadere nequeam in ipsa Italia Traiani aetate eam diversitatem obtinuisse, ut publice in perpetuum credenti in regione superiore eaque longe opulentiore duplo maiores usurae praestarentur quam in inferiore, magis crediderim usuras eas bis in anno quaestori numeratas esse et propterea hic non tam annuas summas perscriptas esse quam semestres. [3])

---

[1]) Vide Henzen l. l. pag. 68.

[2]) Haec quidem interpretatio olim a Mommseno commendata (vide Henzen l. l. pag. 69) adhuc vera ei videtur.

[3]) De usuris *semestribus* alii quoque cogitant viri docti recentiores. Ita (ne plures afferam), qui in antiquorum usuris multum versatus est, Billeter, Gesch. d. Zinsf. im gr.-röm. Alt., pag. 189 seqq. Iam memineris illas *usuras semestres* in tabulae praescriptionem quoque a Mommseno esse illatas. (Cf. pag. 213.)

Fiunt autem usurae omnes (scilicet 2, 43 computatis sestertiis non XXXXIIX, sed XXXXII) sestertium decem milia quadraginta quinque (10045), quae si semestres fuerunt, annuae efficiuntur sestertium viginti milia nonaginta (20090), cum Veleiatibus annua numerarentur sestertium quinquaginta duo milia ducenti (52200). Quod si pueri alimentarii apud Ligures eadem atque Veleiates commoda accipiebant, id est sestertios annuos CXCII, summa illa pervenit ad pueros paullo plus centum."

De Veleiatium tabula scribit Bormann in C. I. L.: „Tabula continet duas obligationes praediorum pro pecuniis alimentorum causa ab imp. Traiano datis, quarum quae tempore prior est, facta per Cornelium Gallicanum [1]), antequam Traianus nomen Dacici acciperet, id est ante exitum a. 102, appendicis instar incisa est in extrema pagina 7 versibus 31—60. In hac quinque homines ..... obligaverunt praedia decuplo aestimata in pecunias quarum summa fuit 72000 sestert. Pro quibus cum usurae quincunces solvendae essent, quotannis efficiebantur 3600 sestertii, ex quibus accipiebant:

		quoque mense	quoque anno	
pueri legitimi	18	16	*192* =	3456
puella legitima	1	12	*144* =	*144*
			summa	3600."

Non indignum videtur huius obligationis primos versus ex ipsa tabula inserere:

„Item obligatio praediorum facta per Cornelium Gallicanum ob HS $\overline{\text{LXXII}}$, ut ex indulgentia optimi maximique principis Imp. Caes. Nervae Traiani Augusti Germanici

[1]) De hoc Cornelio Gallicano in adnotatione addit: „His iam impressis Henzenus certiorem me fecit ex privilegio aliquo militari musei Pestinensis edito *Ungarische Revue* 1883 p. 216 seqq. cognosci C. Cornelium Gallicanum fuisse consulem suffectum a. 84."

pueri puellaeque alimenta accipiant, legitimi n. [1]) XIIX in singulos [2]) HS XVI n. [3]) fiunt HS $\overline{\text{III}}$CCCCVI, legitima HS XII, fit summa utraque usura =–= [4]) summae s. s. [5])"

Pergit Bormann: „Reliquam partem tabulae complectitur obligatio praediorum multo maior facta nescio per quem postquam a. 102 Traianus Dacici nomen accepit ante annum 113, qua praedia obligata sunt pro summa sestertiorum 1044000. Pro quibus cum item usurae quincunces solvendae essent, fiebant quotannis sest. 52200.

Ex iis accipiebant		quoque mense	quoque anno	
pueri legitimi	245	16	*192* =	47040
puellae legitimae	34	12	*144* =	4896
puer spurius	1	*12*	144 =	144
puella spuria	1	*10*	120 =	120
			summa	52200.

In hac obligatione ratio ea fuit, ut pretium praediorum non minus decuplum esset quam summa quae dabatur, scilicet decuplum est in obl. [Sequuntur obligationes], maius omnibus reliquis locis excepto corrupto ut videtur 5, 91 .... — Convenit quod in tabula Ligurum Baebianorum pretium praedii obligati bis ...... decuplum est summae acceptae, omnibus reliquis locis maius."

Huius quoque obligationis exordium transcribam:

„Obligatio praediorum ob HS deciens quadraginta quattuor millia, ut ex indulgentia optimi maximique principis Imp. Caes. Nervae Traiani Aug. Germanici Dacici pueri puel-

---

1) i. e.: n(umero).
2) sc. menses.
3) i. e. n(ummos).
4) i. e.: quincunx.
5) i. e.: s(upra) s(ribtae). (Cf. alterius obligationis exordium.)

laeque alimenta accipiant, legitimi n.[1] CCXLV in singulos[2] HS XVI n.,[3] f.[4] HS $\overline{\text{XLVII}}$XL n.[5], legitimae n.[6] XXXIV sing.[7] HS XII n.[8] f.[9] HS $\overline{\text{IV}}$DCCCXCVI, spurius I HS CXLIV[10], spuria I HS CXX. Summa HS $\overline{\text{LII}}$CC, quae fit usura =—=[11] sortis supra scribtae."

Notabile videtur, quod Veleiatium pueris non ipsa alimenta, sed certa pecuniae summa donabatur.[12]

Obligationes singulae ipsae fere in hunc modum scriptae sunt.[13] Incipiunt a nomine domini fundorum. Saepius sequitur cum praepositione *per* qui pro domino professionem fecit. Sequuntur, si pluribus actibus obligationes factae sunt verba *professus est* (*est* interdum omissum est) *praedia rustica* addita summa qua fundi aestimati sunt. Sequitur *accipere debet* et summa quae domino obligatorum praediorum solvenda sit. Iam quae sequitur enumeratio fundorum obligatorum inducta verbis *et* (*debet*) *obligare fundos* convenit formae legitimae, qualem testatur Ulpianus dig. 50, 15, 4 pr. Saepissime nominibus fundorum adiunctum est, pro quota parte fundus obligatus sit. Proxima est secundum normam supra allatam indicatio civitatis et

---

1) i. e.: n(umero).
2) sc. menses.
3) i. e.: n(ummos).
4) i. e.: fiunt.
5) i. e. n(ummos).
6) i. e. n(umero).
7) i. e.: sing(ulae).
8) i. e.: n(ummos).
9) i. e.: f(iunt).
10) sc. in annum.
11) i. e.: quincunx.
12) Cf. pag. 209 et 210 adn. 2.
13) Ut supra feci in Baebianorum tabula, ita hoc quoque summarium, in angustum coactum, deprompsi e C. I. L.

pagi. Sequuntur adfines. Ad fundos adscripta est summa, qua aestimati sunt. Plerumque hanc summam sequitur summae, quam accipere debet dominus, ea pars pro qua fundi praecedentes obligati sunt formula *in IIS tot.* Diverse concepta est obligatio 43 colonorum Lucensium. Denique ultimarum quoque quattuor obligationum 49—52 paulum discrepans forma est.

Pecuniam alimentariam e fisco depromptam fuisse pro certo haberi licet. Minus facile diiudicatur num re vera — id quod nonnulli sumunt [1]) — imperatoribus in animo fuerit alimenta extendere ad omnia Italiae municipia aut ad illa saltem, ubi privata munificentia publicae vicem non praestabat. At etiamsi ille aut ille tale quid sequeretur, vix tamen habebat unde in eos sumptus pecunia erogaretur. Utcumque est, imperatores fortasse ne debita quidem semper solvere potuisse supra vidimus. [2])

De iis qui alimentis praeerant multa dicere supervacaneum videtur. Cornelius ille Gallicanus et Pomponius Bassus a Traiano missi sunt, dumtaxat ut Veleiae alimenta constituerent. [3]) Post vero singula procurabant quidam magistratus ab ipsis municipiis mandata habentes. Latius patebant munia eorum, qui publice totarum regionum ali-

---

[1]) Kubitschek apud Pauly-Wissowa l. l. pag. 1486: „Dass die Stiftung solcher Alimentationen aus kaiserlichem Fond sich auf alle Städte Italiens erstrecken sollte, ist wohl kaum in Frage zu stellen, ob aber und inwieweit sie durchgeführt worden ist, lässt sich nicht ausmachen; immerhin darf nicht ausser Acht gelassen werden, dass es möglich ist, dass die privaten Stiftungen die kaiserlichen ergänzten und umgekehrt, so dass z. B. in Comum, das eine Stiftung des jüngeren Plinius zwischen 97 und 100 erhalten hatte, ganz wohl von einer kaiserlichen Stiftung Umgang genommen werden konnte."

[2]) Cf. pag. 205 cum adn. 7.

[3]) Momms. StR. II[3] pag. 1080 adn. 1: „Die wahrscheinlich ausserordentliche Stellung der mit der Fundirung der Alimentarstiftungen betrauten Personen." Cf. etiam ibid. pag. 949 cum adn. 1.

mentis erant praepositi (*praefecti alimentorum, procuratores alimentorum*). Dubium tamen, a Marco Aurelio ad Macrinum universaene rei alimentariae summus quidam praefuerit *praefectus alimentorum*, ab imperatore creatus Romaeque domicilium habens. [1])

Restat ut quaeramus quid potissimum secuti Caesares Romani alimenta illa constituisse putandi sint. Utrum humanitatis quandam suavitatem an utilitatem persequebantur? Romanos, qui omnia consilia factaque sua ad utilitatem vitae dirigerent, ne hac quidem in re civilem usum neglexisse credideris. Quod sane a vero videtur non abhorrere. Constat enim inter omnes fere, qui de hac causa scripserunt viri docti, imperatores ad hanc quoque rationem confugisse, ut multitudinis imminutioni occurrerent et pubem legionibus adducerent. [2]) Secundo p. Chr. n. saeculo imperii fines immane quantum erant propagati. Quid si deessent milites qui fines tam late patentes tuerentur? Satis significanter certe Plinius in Panegyrico: [3]) „Omnes tamen ante quam te viderent adirentve recipi incidi iussisti, ut iam inde ab infantia parentem publicum

---

1) Rem affirmat Hirschfeld (V. G. I pag. 117 seqq.), infitiatur Mommsen (l. l. pag. 1080 adn. 3). Utrumque in universum conferas de magistratibus in re alimentaria occupatis (Hirschf. l. l. pag. 114 seqq., Momms. l. l. pag. 1079 seq.). In inscriptionibus Romanis horum magistratuum varia nomina leguntur. Apud Ruggiero in Diz. epigr. inveni haec: *praefectus alimentorum, curator viae .... et alimentorum, subcurator alimentorum, procurator alimentorum, quaestor alimentorum, quaestor alimentorum Caesaris, quaestor sacrae pecuniae alimentariae, curator pecuniae alimentariae, praefectus (alimentorum?), quaestor pecuniae publicae et alimentariae, quaestor aerarii et alimentorum, quaestor rei publicae et alimentorum, duovir et curator alimentorum, duovir alimentorum quaestor curator sacrae pecuniae, actor alimentorum, vilicus ab alimentis, alimentarius (servus)*. (Posteriores tres minoris iuris erant.) Complures quoque contulit Henzen in disputatione illa saepius iam commemorata.

2) Cf. Prooem. pag. 7. Alia consilia vide pagg. 3, 55, 98.

3) Cap. 26 seqq. Cf. etiam Cap. 51.

munere educationis experirentur, crescerent de tuo qui crescerent tibi, alimentisque tuis ad stipendia tua pervenirent, tantumque omnes uni tibi quantum parentibus suis quisque deberet. Recte, Caesar, quod spem Romani nominis sumptibus tuis suscipis. Nullum est enim magno principe inmortalitatemque merituro inpendii genus dignius quam quod erogatur in posteros. Locupletes ad tollendos liberos ingentia praemia et pares poenae adhortantur; pauperibus educandi una ratio est bonus princeps. Hic fiducia sui procreatos nisi larga manu fovet, auget, amplectitur, occasum imperii, occasum rei publicae adcelerat frustraque proceres plebe neglecta, ut defectum corpore caput nutaturumque instabili pondere, tuetur . . . . Super omnia est tamen quod talis es ut sub te liberos tollere libeat expediat. Nemo iam parens filio nisi fragilitatis humanae vices horret, nec inter insanabiles morbos principis ira numeratur. Magnum quidem est educandi incitamentum tollere liberos in spem alimentorum, in spem congiariorum; maius tamen, in spem libertatis, in spem securitatis . . . . Paulo minus, patres conscripti, quinque milia ingenuorum fuerunt, quae liberalitas principis nostri conquisivit, invenit, adscivit. Hi subsidium bellorum, ornamentum pacis publicis sumptibus aluntur, patriamque non ut patriam tantum verum ut altricem amare condiscunt. Ex his castra, ex his tribus replebuntur, ex his quandoque nascentur quibus alimentis opus non sit. Dent tibi, Caesar, aetatem dii quam mereris, serventque animum quem dederunt: et quanto maiorem infantium turbam iterum atque iterum

videbis incidi! Augetur enim cotidie et crescit, non quia cariores parentibus liberi, sed quia principi cives. Dabis congiaria, si voles; praestabis alimenta, si voles: illi tamen propter te nascuntur." — Numeri quoque notandi sunt. Veleiae pueri legitimi sustentabantur ducenti quadraginta quinque, puellae legitimae non nisi triginta quattuor. Quod ad subsidium ipsum attinet, pueri illi HS sedecim, puellae non nisi duodecim quoque mense accipiebant. Alebantur utrique usque ad pubertatem, pueri usque ad decimum octavum, puellae usque ad quartum decimum annum. [1]) Praeter paucos autem ingenui tantum ad alimenta videntur admissi esse. [2])

Etiamsi igitur Romani principes in alimentis quoque ante omnia utilitatem spectasse existimandi sint, nihilominus misericordia quadam humana eos simul ductos fuisse non negaverim. [3]) Tempus erat, cum hominum mentes imbuebat sapientia Stoica; quae licet a Christiana religione non paulum discreparet, ita tamen ambarum doctrinarum erat quidam quasi consensus concentusque, ut utraque multum valeret ad hominum mentes mites et mansuetas faciendas. [4]) Benevolus imperatorum animus aperte elucet ex titulis non

---

[1]) Ulpian. Dig. XXXIIII, 1, 14, 1: „Certe si usque ad pubertatem alimenta relinquantur, si quis exemplum alimentorum, quae dudum pueris et puellis dabantur, velit sequi, sciat Hadrianum constituisse, ut pueri usque ad decimum octavum, puellae usque ad quartum decimum annum alantur, et hanc formam ab Hadriano datam observandam esse imperator noster rescripsit. sed etsi generaliter pubertas non sic definitur, tamen pietatis intuitu in sola specie alimentorum hoc tempus aetatis esse observandum non est incivile." Tarracinensium pueris „usq(ue) ad annos XVI" singulis mensibus denarii V dabantur alimentorum nomine. (De hac munificentia tamen me dicturum esse in huius libri tertia parte supra iam monui.)

[2]) Cf. Henzen l. l. pag. 32; Marq. StV. II² pag. 145; Momms. StR. III pag. 447 seq. (vide supra pag. 159 cum adn. 5.)

[3]) Cf Prooem. pag. 14.

[4]) De hoc loco paulo plura dixi in Prooem. pag. 13 seqq.

paucis, quales sunt C. I. L. IX, 1455; XI, 1147: „ex indulgentia . . . . . principis"; VI, 1492: „ab indulgentissimo imperatore"; XIV, 4003: „indulgentissimo principi"; IX, 5825: „quod per munificentiam suam"; X, 6310: „providentia imperatoris"; XI, 5395: „ex liberalitate sacratissimi principis"; alii. [1]) Quid quod privati similem munificentiam exhibebant? Vel hoc notabile est, quod puellae quoque, licet paucae, inter alimentarios recipiebantur. Immo ne spurios quidem (puerum puellamque) Veleiae omissos esse vidimus. (Puer ille spurius tantum accipiebat, quantum puellae legitimae; puella spuria etiam minus, HS decem quoque mense.) Alimenta nonnumquam etiam pauperibus parentibus viam patefecisse, ut eorum pueri instituerentur, docere videtur Lamprid. Alex. Sever. 44, 4: „Rhetoribus, grammaticis, medicis, haruspicibus, mathematicis, mechanicis, architectis salaria instituit et auditoria decreuit et discipulos cum annonis pauperum filios modo ingenuos dari iussit."

Quae cum ita sint, nescio an huius capitis initio itemque in Prooemio ex vero scripserim alimenta magis quam cetera Romanorum consilia, in quibus substitimus, ad egentium iustam curam accessisse.

---

[1]) Immo beneficentiam in alimentis vel primum fuisse putat Ruggiero („sorge naturalmente il pensiero, che il fine sia stato piuttosto sociale o di beneficenza").

Appendix.

Locis hucusque expositis addi possint nonnulla, quae partim illa quidem fortasse leviora, attamen et ipsa aliquid momenti fecerunt, ut pauperes sublevarentur aut certe nonnullam perciperent commoditatem. In horum numerum referas:

a. Commoda iis tributa, qui tres pluresve liberos haberent. Scriptores legentes talia commoda non raro offendimus. Ita Caesarem in agrum Campanum Stellatemque ad viginti milia civium deduxisse vidimus, quibus terni pluresve liberi essent. [1]) Anno a. u. c. 708 (a. Chr. n. 46) idem Cassio Dione auctore [2]) „πολυπαιδίας ἆθλα ἐπέθηκεν", quae tamen quid fuerint Dio non addit. Et Augustus „ iis, qui regiones (sunt regiones Italiae) sibi revisenti filios filiasve approbarent, singula nummorum milia pro singulis dividebat." [3]) At imprimis cogitandum est de lege Papia Poppaea, [4]) quam „sub Octaviano Caesare suffecti consules Papius et Poppaeus . tulerunt . . . . continen(tem) pa-

---

1) Cf. pag. 95 seq.
2) XLIII, 25, 2.
3) Suet. Aug. 46.
4) Cf. pag. 148.

trum praemia pro suscipiendis liberis." [1]) Illa praemia autem donabantur Romae cum tres, in Italia cum quattuor, in provinciis cum quinque liberi aderant, unde facile intellegimus Romae mores etiam multo corruptiores fuisse quam in provinciis. [2]) Qui multis liberis aucti erant, in congiariis quoque, itemque in alimentis, fuisse praelatos viri docti aliqua veri simili ratione coniciunt. [3])

b. Liberalitatem, qua in unum diem vel in perpetuum plebi concedebatur, ut sine pretio in balneis lavarentur. Velut Augustus, cum in Galatia, Germania, Hispania omnia constituisset, anno a. u. c. 741 (a. Chr. n. 13) „τῇ δ' ὑστεραίᾳ ἔν τε τῷ παλατίῳ τὸν δῆμον ἠσπάσατο, καὶ ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνελθὼν τήν τε δάφνην ἀπὸ τῶν ῥάβδων περιεῖλε καὶ ἐς τὰ τοῦ Διὸς γόνατα κατέθετο, τῷ τε δήμῳ προῖκα τά τε λουτρὰ καὶ τοὺς κουρέας τὴν ἡμέραν ἐκείνην παρέσχε." [4]) Antoninus Pius autem „balneum, quo usus fuisset, sine mercede populo exhibui(sse)" fertur. [5]) Municipia Romae non cedebant, ut quibus cum imperatores [6]) tum ipsorum decuriones [7]) saepenumero balneas gratuitasque lavationes dedisse constet. [8])

---

[1]) Isidor. Origg. V, 15, 1.

[2]) De iure liberorum quod dicitur praemiisque patrum cf. inter alios Momms. StR. passim (vide Indicem s. v. *Ehe- und Kinderprivilegien*); Marq. Privatl.[2] pag. 74 seqq.; Id. StV. II[2] pag. 142.

[3]) Cf. Momms. Röm. Trib. pag 143 adn. 46; Hirschf. in Philol. XXIX (1870), pag. 8 adn. 11, ubi ille colligit e Dion. Cass. LX, 25, 7 [lege: 6] inter eos, qui a Claudio congiarium acciperent, unum pluresve fuisse qui vel undeviginti liberos haberent!

[4]) Dio Cass. LIV, 25, 4.

[5]) Capitol. Ant. Pius 7, 6.

[6]) Inscriptiones ad imperatores pertinentes vide apud Ruggiero, Diz. epigr. s. v *balneum* (I pag. 966). Sunt C. I. L. IX, 1663; 5746; XI, 556; 720; 3363; XII, 107. Omitto Gruterum pag. 178, 3, quia hic titulus idem est atque C. I. L. XI, 556.

[7]) C. I. L. V, 376 *add.*: „Decuriones colonis, incolis, peregrinis, lavandis gratis de pecunia publica dederunt."

[8]) Friedl. Sittengesch. Roms III[6] pag. 149: „Auch in den Provinzen erkannten

c. *Ludorum varia genera populo edita.*

d. *Donativa militibus data, non solum qui stipendia merebant, sed etiam veteranis.* [1])

e. *Immunitates orbis et proletariis sive capite censis,* [2]) *item medicis, philosophis, rhetoribus, grammaticis donatas.* [3])

f. *„Loca publica inopum destinata funeribus."* [4]) [?]

g. *Senatorum census in paupertate manifesta a Caesaribus expletos.* [5])

h. *Munificentias ab iisdem in incendiis, terrae motibus, similibus publice exhibitas.* [6])

Sic pergere possum. At enim haec ipsa, quae enumeravi, sufficiant. Nec necesse videtur in istis pluribus verbis commorari neque vero qualia essent copiosius demon-

---

selbst die kleinsten Communen es als Pflicht, ihren Angehörigen wohlfeile und gute Bäder zur Verfügung zu stellen." Pöhlmann Übervölk. pag. 144 seq.: „Die in der römischen Kaiserzeit von den kleinsten Communen gelöste Aufgabe, ihren Angehörigen gute und wohlfeile Bäder zur Verfügung zu stellen, fand natürlich in der Weltstadt die glänzendste Lösung ..... Zugleich war es — soweit nicht kaiserliche oder private Munificenz volles Freibad gewährte — durch die Vortrefflichkeit der Organisation ermöglicht, den Preis für ein Bad so niedrig zu stellen, dass die Wohlthaten derselben auch den niedrigsten Volksschichten zu Gute kamen."

[1]) Exemplum donativi veteranis dati habeas Mon. Anc. Lat. 3, 17 seqq. De donativis plura videas apud Marq. StV. II^2 pag. 140 seq.

[2]) Cf. Momms. StR III pag 236 seqq. Plutarchus Camillum censorem anno 377 primum τοὺς ὀρφανοὺς ὑποτελεῖς ποιῆσαι narrat πρότερον ἀνεισφόρους ὄντας (Plut. Camill. 2). Haec verba quomodo interpretanda sint incertum est. Cf. Momms. l. l. pagg. 256 adn. 4, 1124 adn. 1.

[3]) Priores immunitates ad rerum Romanarum initia, hae vero ad imperatorum saecula pertinent. De immunitatibus medicis, philosophis, rhetoribus, grammaticis donatis vide Grasberger, Erziehung u. Unterricht im kl. Altert, III pagg. 443, 584. De medicorum immunitatibus copiose egit Haeser, Gesch. d. Medizin, I^3 pag. 407 seqq.

[4]) Cf. Frontinus, De Controv. (Ed. Lachm.) in Gromaticorum scriptis, Ed. Blume, Lachmann, Rudorff, pag. 55, 8 (cf. etiam pagg 21, 15; 86, 9). Haec communia sepulcra dicebantur *puticuli,* de quo vocabulo cf. Varro L. L. V, 25; Festus pag. 216; 217b, 8; Comment. Cruq. ad Hor. Serm. I, 8, 10.

[5]) Cf. Friedl. o. l. I^6 pag. 262 seq.

Cf. Friedl. l. l. pag. 31 seqq.; III^6 pag. 206 seqq.

strare. [1]) Quis enim — ut hoc unum dicam — non perspicit gratuitam balnearum potestatem aliquantum adiuvasse ad communem salutem? [2]) Quis non intellegit a veteranis, si egerent, quanta pericula imminerent rei publicae? Plebem ad humanitatem informare pulchra illa quidem, at eadem sumptuosa res est. Nonne igitur laudandi sunt imperatores illi, qui philosophis, rhetoribus, grammaticis immunitates concedentes, ad tam utilem rem se profitebantur adiutores? Rhetorum et grammaticorum sane fere admodum misera erat fortuna. [3]) Id quidem indignum! Optimum tamen, quod res scholasticas publicum negotium non esse aliquamdiu, immo utique usque ad secundum p. Chr. n. saeculum, iudicabant Romani. [4]) Quod autem ad medicorum immunitates attinet, ne has quidem leves habebo, quamquam mihi quidem non minus grave videtur ante edictum Valentiniani anni 368 p. Chr. n. [5]) Romae certe nullum vestigium apparere medicorum,

---

[1]) Plurima sua sponte intelleguntur. (Ludorum voluptates nonnihil valere ad domesticas sollicitudines parumper discutiendas iam monui pag 198.)

[2]) Nescio tamen an haec liberalitas privatis saepius quam Caesaribus deberetur. Cf. partis tertiae Caput II.

[3]) De rhetorum et grammaticorum iniqua miseraque condicione legas Friedl. o. l. I[6] pag. 315 seqq. et conferatur Iuvenalis praeclarus ille locus eorum cum laborem omnium molestissimum tum vilissimam mercedem optime illustrans (Iuv. 7, 150 seqq.). (Ovid. Fast. III, 829: „Nec vos, turba fere censu fraudata, magistri.")

[4]) Friedl. l. l. pag. 315: „Der Unterricht wurde im Anfang der Kaiserzeit gar nicht, im 2. Jahrhundert nur in sehr beschränktem Umfange als Angelegenheit des Staates betrachtet und auch als Communalangelegenheit wol erst in dieser Zeit allgemein anerkannt."

[5]) De anno huius edicti cf. Marq. Privatl.[2] pag. 778 adn. 2. Edicti verba haec sunt (Cod. Theod. XIII, 1, 8): „Exceptis porticus Xysti virginumque Verstalium, quot regiones urbis sunt, totidem constituantur archiatri. Qui scientes, annonaria sibi commoda a populi commodis ministrari, honeste obsequi tenuioribus malint, quam turpiter servare divitibus. §. 1. Quos etiam ea patimur accipere, quae sani offerunt pro obsequiis, non ea, quae periclitantes pro salute promittunt." (*Porticus Xysti* est coniectura Gothofredi. Libri mss.: *portus Syxti*. Vocabulum *ministrari*

qui egentibus gratis mederentur. [1]) Valetudinaria quoque qualia nos habemus frustra quaereres. [2]) Immo nihil sane videntur fecisse ad impugnandos morbos perniciales, [3]) qui quidem maxime vagari solent per ignota capita. Sepulcra denique communia, [4]) in quibus pauperum cadavera pute-

---

Beck reposuit ex Cod. Iust.; deest in codicibus. Hiare orationem iam Gothofredus monuit.) De his archiatris Romanis cf. Marq. l. l. pag. 774 seqq.; Friedl. l. l. I[6] pag. 338; Pauly-Wissowa, Real-Encycl. II[2] s. v. Ἀρχιατρός; Ruggiero, Diz. epigr. s. v. *archiater;* Haeser l. l. pag. 414; imprimis Briau, L'archiatrie romaine (Paris 1877). (Vide etiam eundem apud Daremb. et Sagl., Dict. d. Ant., s. v. *Archiatrus.*)

[1]) Lego quidem apud Pöhlmann, Übervölk. pag. 141: „Wenn auch sicher schon vor dem Auftreten der »archiatri populares« in dem bekannten Edict Valentinians von 370 [immo 368; cf. priorem adnotationem] die Anstellung besoldeter Armenärzte in Rom und anderwärts gebräuchlich war." At huius rei nulla testimonia affert. De urbe Roma certe equidem valde dubito. De coloniis Graecis (Massilia aliisque) concedendum est. Cf. Strabo IV, 1, 5: „σοφιστὰς γοῦν ὑποδέχονται (οἱ Γαλάται) τοὺς μὲν ἰδίᾳ, τοὺς δὲ αἱ πόλεις κοινῇ μισθούμεναι, καθάπερ καὶ ἰατρούς." Immo C. I. L. XI, 3007 (= Or. 3507) commemoratur quidam „medicus salariarius civitati[s] splendidissimae Ferentiensium." (Ferentinum hoc erat municipium Etruriae.) Tales medicos, qui publico salario fruebantur, omnes c i v e s, cum aegrotarent, illos quidem curasse credi potest. Quid tamen aegroti pauperes, qui civitate carerent? Lallemand, Hist. de la Charité, I pag. 155 seq. (Paris 1902): „On voit que les Romains, à l'imitation des cités grecques, ont dans nombre de villes des médecins publics, payés sur les fonds municipaux, mais donnant leurs soins aux seuls citoyens et ne se préoccupant point des pauvres qui ne jouissent pas de ce titre."

[2]) Haeser l. l. pag. 441: „Dass das Alterthum Krankenhäuser in unserm Sinne nicht kannte, wird am meisten bewiesen durch das Staunen der Heiden beim Anblick der ersten Anstalten dieser Art, durch den Wetteifer der heidnischen Kaiser, es den Christen gleich zu thun." Quod ut probet, commemorat verba illa Iuliani Apostatae, quae ipse in Prooemio exscripsi (pag. 17(18) adn. 3). — Briau, L'assist. médic. chez les Rom., pag. 93: „Les recherches multipliées des auteurs . . . . . . paraissent avoir démontré sans conteste que dans aucun temps et chez aucun peuple, il n'a existé rien de semblable à un hôpital public avant la fin du ɪᴠe siècle de l'ère chrétienne."

[3]) Pöhlmann l. l. pag. 141 adn. 1: „Gar nicht scheint es gekommen zu sein zu einer Prophylaxis von Volksseuchen. Was wir z. B. von einem in dieser Hinsicht so wichtigen Verwaltungsressort, wie der Aufsicht der Ädilen über die Bordelle und das Prostitutionswesen wissen [cf. Momms. StR. II[3] pag. 511], lässt nicht das geringste hygienische Motiv erkennen."

[4]) Hor. Serm. I, 8, 10: „Hoc miserae plebi stabat commune sepulchrum."

scebant proiecta, nescio an miserae plebi magis fuerint ludibrio quam solacio. [1])

Kiessling hic cogitat de privatis sepulcris collegiorum funeraticiorum (de quibus vide huius libri partem quartam) propriis. Nescio tamen an potius publicum sepulcretum accipiendum sit. Lucian Müller ad h. l. adnotat: „*commune;* drückt wohl nur aus, dass die mittellosen Bürger in Masse dort lagen (doch vermuthlich von den Grabstätten der Sclaven geschieden), nicht, dass sie in gemeinsamen Gräbern ruhten."

[1]) Marq. Privatl.[2] pag. 342: „Zu ihnen sind auch die oft erwähnten *puticuli* (Brunnengräber) zu rechnen, d. h. Massenbegräbnisse, in welche die Leichname von armen Leuten, die kein eigenes Grab kaufen konnten, und von Sclaven unverbrannt übereinander geworfen und der Verwesung überlassen wurden."

PARS TERTIA.

Quam curam egentium habuerint privati homines.

In publica egentium cura satis diu commorati sumus. De privata aeque fuse lateque dicere nec vacat mihi nec placet neque vero res ipsa postulat. Cum enim cavendum est ne supra modum crescat haec disputatio, tum omnia quae privati homines ex pauperum usu fecerunt sub uno aspectu ponere, quod ne in hoc quidem statu rerum facile videtur, quanto difficilius est in Romanis ac paene quod fieri posse prorsus negaveris. Nam Romanos et ipsos multo minus quam nos, et privatim rursus etiam multo minus quam publice certa quadam via ac ratione pauperum rationibus prospexisse constat. Immo quae publice fiebant, etiamsi proprie egentium cura dici non possit, vulgo tamen ad regulam quandam dirigebantur; quae privatim praestabantur, plerumque nuda facta erant, quae haud sane inter se cohaerebant. Accedit quod divites Romani, cum in pauperiores cives suos beneficia conferebant, non raro imperatorum vestigiis insistebant aut certe cum illis in paribus liberalitatibus versabantur. Quae quidem nisi paucis absolvamus, credo, erit verendum ne cantilenam eandem canere videamur.

Caput I.

Conspectus generalis.

Communi, quam viri theologi dicunt, debetur Dei *gratiae*, quod in mundo nostro corrupto ac depravato inter homines, qui „natura propensi sunt ad odium Dei et proximi" [1]), effloruit praeclara illa virtus beneficentiae, „quam eandem vel benignitatem vel liberalitatem appellari licet." [2]) Cuius virtutis nulla quidem gens quantumvis barbara prorsus expers habenda est, neque vero iam inde antiquitus in Romano populo eiusdem non inveniuntur certa quaedam vestigia. Quod ne ii quidem infitias ibunt, qui num Romani ad misericordiam propensi fuerint addubitant. [3]) Documento sunt cum viri illi non pauci quos beneficos fuisse ipsi scriptores vel reperti tituli testantur, tum quae de praeclara hac virtute aut iniecerunt aut fusius disputaverunt Romani poetae, rhetores, in primis philosophi. Monendum quidem in rerum contemplatione plus minusve versari philosophiam. Cuius praeceptis ut usus vitae plane conformetur plerum-

---

1) Catechea. Palat. V.

2) Cic. De Off. I, 7, 20.

3) Cf. Prooem. pag. 8 seqq.

que longe abest. Romanorum certe usum vitamque communem infra philosophorum doctrinam fuisse mox videbimus. Nec mirum, siquidem Romani, qui omnia consilia factaque sua ad utilitatem vitae dirigebant, philosophiam, proprium sane Graecorum ac domesticum genus, aspernari solebant. [1])

Attamen nescio an quae in liberalium Romanorum animis insita essent, a Cicerone exprompta sint. [2]) Cicero Romanae philosophiae clarissimum columen fuit, [3]) qui de beneficentia ac de liberalitate commentatus est De Off. I, 14, 42 seqq.; II, 15, 52 seqq. Ex his locis flosculos nonnullos carpere atque delibare placet. In primo libro de Officiis iudicat esse „nihil honestius magnificentiusque quam pecuniam contemnere, si non habeas, si habeas, ad beneficentiam liberalitatemque conferre." [4]) In altero beneficentiae sive liberalitatis scribit duplicem esse rationem; „nam aut — ut ipsius verba afferam — opera benigne fit indigentibus aut pecunia. Facilior est haec posterior, locu-

---

[1]) Cf. Friedl. Sittengesch. Roms III⁶ pag. 669 seqq.; Boissier Relig. rom. II³ pag. 1 seq.

[2]) Cf. Friedl. l. l. pag. 692 seq.: „Obwol nun also in der griechischen wie in der römischen Welt in den verschiedensten Bildungs- und Lebenskreisen theils gegen die Philosophie, theils gegen die Philosophen berechtigte und unberechtigte Abneigungen der mannigfachsten Art bestanden, so war doch offenbar die grosse Mehrzahl der Gebildeten auch in Rom und den westlichen Ländern von der Ueberzeugung durchdrungen, dass die Philosophie die beste Führerin zur höchsten Sittlichkeit sei: und schon die bisher geschilderte, so vielseitige und lebhafte, ja gereizte Opposition ist ohne die allgemeine Verbreitung dieser Ansicht nicht denkbar, sie setzt sie vielmehr voraus. Als den Vertreter der Anschauung, die im spätern römischen Alterthum die meisten Anhänger zählte, dürfen wir wohl auch hier Cicero ansehn."

[3]) Friedl. l. l. pag. 669: „(Ciceros) philosophische Werke . . . . . . bildeten den Kern der neu entstehenden römischen philosophischen Litteratur." Cf. etiam Boissier l. l. pag. 3 seqq. (Legitur ibid. pag. 5: „L'on retrouve en germe dans Cicéron presque tous les principes que développent Sénèque et Marc-Aurèle.")

[4]) 20, 68.

pleti praesertim, sed illa lautior ac splendidior et viro forti claroque dignior. Quamquam enim in utroque inest gratificandi liberalis voluntas, tamen altera ex arca, altera ex virtute depromitur." [1]) Concedit tamen „non numquam . es(se) largiendum, nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum es(se) et saepe idoneis hominibus indigentibus de re familiari inpertiendum, sed diligenter atque moderate." [2]) Omnino duo genera largorum distinguit, quorum alteros prodigos, alteros liberales esse dicit. „Liberales autem (sunt), qui suis facultatibus aut captos a praedonibus redimunt aut aes alienum suscipiunt amicorum aut in filiarum collocatione adiuvant aut opitulantur in re vel quaerenda vel augenda." [3]) Denique in beneficiis locandis certas quasdam leges servari iubet. Legimus enim I, 14, 42: „Videndum est ., primum ne obsit benignitas et iis ipsis, quibus benigne videbitur fieri, et ceteris, deinde ne maior benignitas sit quam facultates, tum ut pro dignitate cuique tribuatur; id enim est iustitiae fundamentum, ad quam haec referenda sunt omnia." Paulo post § 45: „Tertium est propositum, ut in beneficentia dilectus esset dignitatis; in quo et mores eius erunt spectandi, in quem beneficium conferetur." Tum 15, 49: „In collocando beneficio et in referenda gratia, si cetera paria sunt, hoc maxume officii est, ut quisque maxume opis indigeat, ita ei potissimum opitulari." Denique II, 18, 61, 62: „In illo autem altero genere largiendi, quod a liberalitate proficiscitur, non uno modo in disparibus causis adfecti esse debemus. Alia causa est eius, qui calamitate premitur, et eius qui res

---

[1]) 15, 52.
[2]) § 54.
[3]) 16, 56.

meliores quaerit nullis suis rebus adversis. Propensior benignitas esse debebit in calamitosos, nisi forte erunt digni calamitate. In iis tamen, qui se adiuvari volent, non ne adfligantur, sed ut altiorem gradum ascendant, restricti omnino esse nullo modo debemus, sed in deligendis idoneis iudicium et diligentiam adhibere. Nam praeclare Ennius:

Bene fácta male locáta male facta árbitror."

Hisce verbis igitur admonemur ut in bene faciendo quoque iustitiam aequitatemque colamus. At ne utilitas quidem neglegenda est! Spectandus enim est „et animus erga nos et communitas ac societas vitae et ad nostras utilitates officia ante conlata." [1]) Atque adeo benignitatem ipsi rei publicae emolumento esse discimus: „Atque haec benignitas etiam rei publicae est utilis, redimi e servitute captos, locupletari tenuiores; quod quidem volgo solitum fieri ab ordine nostro in oratione Crassi scriptum copiose videmus." [2]) Haec omnia a Christiana virtute longe abhorrent. Quid enim? Liberalitas cum vel ideo a Cicerone commendatur, quia probi homines accepta beneficia grata memoria prosequi solent, [3]) nonne hoc quoque principium ab amore sui ductum esse patet? Profecto multo praestat Christiana caritas, qualis in euangelio describitur. Haec enim

---

1) I, 14, 45.

2) II, 18, 63.

3) l. l.: „Quod autem tributum est bono viro et grato, in eo cum ex ipso fructus est, tum etiam ex ceteris. Temeritate enim remota gratissima est liberalitas, eoque eam studiosius plerique laudant, quod summi cuiusque bonitas commune perfugium est omnium. Danda igitur opera est, ut iis beneficiis quam plurimos adficiamus, quorum memoria liberis posterisque prodatur, ut iis ingratis esse non liceat. Omnes enim inmemorem beneficii oderunt eamque iniuriam in deterrenda liberalitate sibi etiam fieri eumque, qui faciat, communem hostem tenuiorum putant."

„quaerit et salvum facit quod perierat", [1]) haec „non quaerit quae sua sunt", [2]) haec agit ad divina illa verba Domini Iesu: „Beatius est magis dare, quam accipere". [3])

At non solum species ipsa beneficentiae, qualem Cicero depingit, Christianae omnino posthabenda est, sed ne ad illam quidem plerosque consurrexisse ingenue confitetur. Nam postquam hoc maxume officii esse docuit, „ut quisque maxume opis indigeat, ita ei potissimum opitulari", [4]) uno velut tenore addit: „Quod contra fit a plerisque; a quo enim plurimum sperant, etiamsi ille iis non eget, tamen ei potissimum inserviunt." [5]) Quod historiae Romanae videntur comprobare. Plerosque enim vere sua causa aliis profuisse dixeris. [6]) Obversentur species e maxime diversis temporibus sumptae. Sp. Maelius proponatur, „ex equestri ordine, ut illis temporibus praedives" (erat annus a. u. c. 315 = a. Chr. n. 439), qui, cum in urbe esset fames mala, „frumento . ex Etruria privata pecunia per ho-

---

[1]) Luc. XIX, 10. Longe aliter Plaut. Trucul. II, 2, 13: „Piaculumst miserere nos hominum rei male gerentum." Poenul. III, 3, 22: „Malo siquid bene facias, id beneficium interit." Duos alios eius modi locos Plautinos vide in Prooemio pag. 10. Ibidem tamen iam monui talibus locis ex comicis sumptis nimium tribuendum non esse.

[2]) 1 Cor. XIII, 5.

[3]) Act. Apost. XX, 35.

[4]) De Off. I, 15, 49.

[5]) Notabilis quoque hic locus e Cicerone (De Orat. II, 25, 105): „Ac nostrae fere causae, quae quidem sunt criminum, plerumque infitiatione defenduntur. Nam et de pecuniis repetundis, quae maximae sunt, neganda fere sunt omnia; et de ambitu raro illud datur, ut possis liberalitatem atque benignitatem ab ambitu atque largitione seiungere." Quae verba, nisi fallor, hoc volunt: si de ambitu accusatur quis, raro illud datur, ut possis liberalitatem atque benignitatem ab ambitu atque largitione seiungere, quare praestat prorsus negare reum liberalem atque benignum fuisse.

[6]) Nimirum de iis quicquam asseverare non possumus, qui liberales fuisse feruntur, nihil aliud. Velut Q. Roscius Comoedus, qui „etiam ante quam locuples semper liberalissimus munificentissimusque fuit." (Cic. Pro Rosc. Comoed. 8, 22)

spitum clientiumque ministeria coempto . . . . largitiones frumenti facere instituit plebemque hoc munere delini(vit)." [1]) De M. Manlio Capitolino cogitetur, qui „centurionem, nobilem militaribus factis, iudicatum pecuniae cum duci vidisset, vociferatus · de superbia patrum ac crudelitate faeneratorum et miseriis plebis . . . . inde rem creditori palam populo solvit libraque et aere liberatum emittit," quo facto vel proprium suum „fundum in Veienti, caput patrimonii, subiecit praeconi; 'ne quem vestrum' inquit, 'Quirites, donec quidquam in re mea supererit, iudicatum addictumve duci patiar'." [2])

Quid vero? Uterque, et Sp. Maelius et M. Manlius Capitolinus „propter suspicionem regni appetendi sunt necati." [3]) M. Acilius Glabrio „multa congiaria habuerat, quibus magnam partem hominum obligarat." Ob id ipsum autem, cum multi et clari viri censuram petebant, „in hunc maxime favor populi se inclinabat." [4]) Haud secus Miloni propter magnificentiam munerum liberalitatemque naturae vulgi ac multitudinis studium conciliatum fuisse legimus, quare Cicero sperabat fore ut consul crearetur. [5]) Milo ille quidem nihili vir erat, seditiosus civis ac turbulentus. Sallustio si fides habenda, Catilinae temporibus „iuventus, quae in agris manuum mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita urbanum otium ingrato labori praetulerat." [6]) Ecquis erit, qui du-

---

[1]) Liv. IV, 13, 1 seqq. Cf. etiam VI, 17, 2, ubi „ab ore civium famem suis inpensis propulsa(sse)" fertur.

[2]) Liv. VI, 14, 3, 5, 10.

[3]) Cic. Phil. II, 44, 114. Haud ambigam meritone an falso insimulati sint; at ipsa illa suspicio admodum insignis erat.

[4]) Liv. XXXVII, 57, 9 seqq. Lectio „congiaria *habuerat*" videtur esse corrupta. Vide Weisenborn ad h. l.

[5]) Cic. Ad Fam. II, 6, 3.

[6]) Sall. Cat. 37, 7.

bitet quin perniciosae illae largitiones multis valerent ad honores petendos et ad gloriam adipiscendam? [1]) Eodem tempore C. Iulius Caesar „beneficiis ac munificentia magnus habebatur"; „mansuetudine et misericordia clarus factus (erat)"; „dando sublevando ignoscundo . . . gloriam adeptus est"; in eo „miseris perfugium erat". [2]) Idem „privatim egregia liberalitate, publice maxumis muneribus grandem pecuniam debebat." [3]) Quid autem? Huic viro, quem infinitus quidam gloriae aestus absorbuit, nonne ipsa haec liberalitas praeclarum instrumentum erat ad cogitata perficienda? [4]) Imperatorum liberalitatis fere non alia erat natura. [5]) Non est obliviscendum Romanos principes, aliter atque nostros reges et imperatores, non habuisse regiam potestatem, quamvis reapse paulatim sum-

---

[1]) Tale quid iam inest in ipsa largitionis voce. Nam „saepe *largitio* in malam partem accipitur pro distributione pecuniae, quae fit ad aucupandum favorem in petitione honorum, et ad benevolentiam conciliandam potentiae comparandae causa." (Forcell.)

[2]) Sall. Cat. 54, 2, 3.

[3]) Ibid. 49, 3.

[4]) Cf. Cic. Phil. II, 45, 116 de Caesare: „Muneribus, monimentis, congiariis, epulis multitudinem imperitam delenierat."

[5]) Ut exemplo utar, Augusti munificentiam inter paucas memorabilem fuisse novimus (cf. pag. 181 adn. 2). De eodem tamen Gardthausen, Augustus u. seine Zeit, I pag. 498: „Obwohl ein guter Rechner und genauer Haushalter, war Augustus doch keineswegs geizig. Wenn es nothwendig war, verstand er es, das Geld mit vollen Händen auszustreuen, für gewöhnlich aber ging er haushälterisch und sparsam damit um. Das Geld war ihm immer nur Mittel zum Zweck. Kolossal sind die im Monumentum Ancyranum angeführten Summen, die er theils in baarem Geld, theils in anderen Spenden, namentlich aber für Bauten und öffentliche Anlagen im Laufe seiner langen Regierung zum allgemeinen Besten aufgewendet hat. Aber Augustus wusste stets, wesshalb er diese Opfer brachte, und es ist nicht zu leugnen, dass sie ihm gute Früchte trugen, obwohl sie seinen geordneten Haushalt niemals in Unordnung gebracht haben. Uebrigens war der Staatsmann freigebiger als der Privatmann, an den natürlich ebenfalls oft recht hohe Ansprüche gemacht wurden. Sowohl seine Begleiter wie seine Soldaten ärgerten sich manchmal über die spärlichen Belohnungen, die er ihnen zu spenden pflegte. (Macrob. Saturn. 2, 4, 6, vgl. 8.)"

ma potestas ad illos delata sit; erant magistratus, [1]) non reges. Quorum imperium quibusdam popularis potestatis radicibus nixum tum demum stare poterat, si multitudini usque satisfaciebant. [2])

Ceterum inter imperatores quoque fuisse vere benignos non negaverim. Ita Divus Vespasianus „in omne hominum genus liberalissimus" erat, quod singillatim comprobat Suetonius. [3]) Summa quidem integritas videtur fuisse in Tito filio, qui eodem teste „natura . benivolentissimus .... obstinatissime tenuit, ne quem sine spe dimitteret; quin et admonentibus domesticis, quasi plura polliceretur quam praestare posset, *non oportere ait quemquam a sermone principis tristem discedere;* atque etiam recordatus quondam super caenam, quod nihil cuiquam toto die praestitisset, memorabilem illam meritoque laudatam vocem edidit: *Amici, diem perdidi.*" [4])

Titi laudes nullo modo detrectabo. Quamquam nescio an ista animi affectio illa aetate plures obtineret. Tempus

---

[1]) Momms. StR. II[3] pag. 749 seqq.: „Wie die frühere Republik, so ruht auch der Principat auf der Volkssouveränetät. Alle Gewalten im Staate üben nicht eigenes Recht aus, sondern stellvertretend dasjenige des Volkes, und der Princeps ist nichts als ein Beamter mehr, und zwar ein Beamter nicht mit einer Machtfülle, die ihn über die Verfassung stellte, sondern mit einer in die verfassungsmässigen Ordnungen eingefügten und fest umschriebenen Competenz. Also liegt es im Wesen des Principats, dass der Princeps als der erste der Bürger durch die Gesetze des Staates ebenso gebunden ist wie jeder andere auch." A Diocletiano demum iustam „monarchiam", quam nos dicimus, conditam esse novimus.

[2]) Haec quoque iusta causa est, cur imperatorum liberalitates in publica egentium cura tractandae neque hic amplius respiciendae viderentur.

[3]) Suet. Vesp. 17 seqq. Idem quidem (Cap. 19): „Et tamen ne sic quidem pristina cupiditatis infamia caruit." Bene tamen Duruy, Hist. d. Rom., IV pag. 653: „Aussi ne comprend-on pas qu'après l'énumération de ces dépenses, dont les unes étaient des nécessités, les autres des bienfaits, Suétone lui ait adressé un reproche qui est resté sur sa mémoire, celui d'une avarice sordide et coupable."

[4]) Suet. Tit. 8.

erat cum Romanorum et ingenia et mores iam fiebant mitiora. [1]) Multos tenebat sapientia Stoica, quae docebat naturam omnes homines et cognatos edidisse et sociabiles fecisse iisdemque amorem indidisse mutuum. De beneficentia quoque Stoicae sectae philosophi multa praeclare praecipiebant. Unus Seneca nonne septem libros conscripsit de Beneficiis et duos de Clementia? Ex quibus haec colligo. Legimus De Benef. I, 6, 1: „Quid est ergo beneficium? benevola actio tribuens gaudium capiensque tribuendo, in id quod facit prona et sponte sua parata." — II, 1, 1: „Sic demus, quomodo vellemus accipere. ante omnia libenter, cito, sine ulla dubitatione." — II, 9, 2; 10, 1: „Quae . . . . . . succurrunt infirmitati, egestati, ignominiae, tacite danda sunt, ut nota sint solis quibus prosunt. Interdum etiam ipse, qui iuvatur, fallendus est, ut habeat nec a quo acceperit sciat." — II, 11, 6: „Nihil aeque in beneficio vitandum est quam superbia." — IV, 3: „Beneficium, de quo nunc agitur, dare virtutis est et turpissimum id causa ullius alterius rei dare, quam ut datum sit . . . . . . non est beneficium quod ad fortunam spectat. Praeterea, si ut prodessemus sola nos invitaret utilitas, minime beneficia distribuere deberent, qui facillime possent, locupletes et potentes et reges aliena ope non indigentes. di vero tot munera, quae sine intermissione diebus ac noctibus fundunt, non darent . . . . . . Istud non beneficium, sed fenus est, circumspicere non ubi optime ponas, sed ubi quaestuosissime habeas, unde facillime tollas." — IV, 11, 3: „Atqui ut scias rem per se expetendam

---

[1]) Cf. Prooem. pag. 13 seqq.

esse benefacere, advenis modo in nostrum delatis portum et statim abituris succurrimus ignoto naufrago navem, qua revehatur, et damus et struimus. discedit ille vix satis noto salutis auctore et numquam amplius in conspectum nostrum reversurus debitores nobis deos delegat precaturque, illi pro se gratiam reddant: interim nos iuvat sterilis beneficii conscientia." — Denique, ne plura afferam, De Clem. II, 6, 2, 3: „(Sapiens) dabit manum naufrago, exuli hospitium, egenti stipem, non hanc contumeliosam, qua pars maior horum, qui se misericordes videri volunt, abicit et fastidit quos adiuvat contingique ab his timet, sed ut homo homini ex communi dabit. Donabit lacrimis maternis filium et catenas solvi iubebit et ludo eximet et cadaver etiam noxium sepeliet, sed faciet ista tranquilla mente, voltu suo. Ergo non miserebitur sapiens, sed succurret, sed proderit, in commune auxilium natus ac publicum bonum, ex quo dabit cuique partem." „Omnibus dignis proderit et deorum more calamitosos propitius respiciet." — Similia addi possunt e Marci Aurelii Commentariis. Is enim V, 6: „Ὁ δέ τις τρόπον τινὰ οὐδὲ οἶδεν, ὃ πεποίηκεν· ἀλλὰ ὅμοιός ἐστιν ἀμπέλῳ βότρυν ἐνεγκούσῃ, καὶ μηδὲν ἄλλο προσεπιζητούσῃ, μετὰ τὸ ἅπαξ τὸν ἴδιον καρπὸν ἐνηνοχέναι, ὡς ἵππος δραμών, κύων ἰχνεύσας, μέλισσα μέλι ποιήσασα. Ἄνθρωπος δ' εὖ ποιήσας, οὐκ ἐπιβοᾶται, ἀλλὰ μεταβαίνει ἐφ' ἕτερον, ὡς ἄμπελος ἐπὶ τὸ πάλιν ἐν τῇ ὥρᾳ τὸν βότρυν ἐνεγκεῖν. — VII, 73: „Ὅταν σὺ εὖ πεποιηκὼς ᾖς, καὶ ἄλλος εὖ πεπονθώς, τί ἐπιζητεῖς τρίτον παρὰ ταῦτα, ὥσπερ οἱ μωροί, τὸ καὶ δόξαι εὖ πεποιηκέναι, ἢ τὸ ἀμοιβῆς τυχεῖν; — IX, 42 (in fine): „Τί γὰρ πλέον θέλεις εὖ ποιήσας ἄνθρωπον; οὐκ ἀρκεῖ τούτῳ, ὅτι κατὰ φύσιν τὴν σήν τι ἔπραξας, ἀλλὰ τούτου μισθὸν ζητεῖς; ὡς εἰ ὁ ὀφθαλμὸς ἀμοιβὴν ἀπῄτει, ὅτι βλέπει, ἢ οἱ πόδες, ὅτι βαδίζουσιν. Ὥσπερ γὰρ ταῦτα πρός τόδε τι γέγονεν, ἅπερ κατὰ τὴν ἰδίαν κατασκευὴν ἐνεργοῦντα ἀπέχει τὸ ἴδιον, οὕτως καὶ ὁ ἄνθρωπος εὐεργετικὸς

πεφυκώς, ὁπόταν τι εὐεργετικόν, ἢ ἄλλως εἰς τὰ μέσα συνεργητικόν πρᾶξῃ, πεποίηκε, πρὸς ὃ κατεσκεύασται, καὶ ἔχει τὸ ἑαυτοῦ." — Stoica haec consilia aliquanto generosiora sunt, ut ita dicam, quam ea quae ex Cicerone exscripsi. Immo ea Christiano quodam fuco illita esse dixeris. Vera Christiana caritas tamen ne hic quidem reperitur. Quonam enim animo dabit sapiens ille Stoicus? „Succurret alienis lacrimis, non accedet." „Non miserebitur sapiens, sed succurret, sed proderit." „Voltum quidem non deiciet nec animum ob crus alicuius aridum aut pannosam maciem et innixam baculo senectutem." Misericordiam enim dicit esse „vitium animorum nimis miseria paventium." [1]) Quid autem? „Uni placere contentus in hoc dabo, ut quod oportet faciam." [2]) Dat, quia „viri officium est inter alia et beneficium dare." Quare ergo dat? „Ne non det, ne occasionem benefaciendi perdat", [3]) „ut ex munere suo percipiat gaudium", [4]) ut servet „bonam conscientiam". [5]) Licet igitur ab omni humilitate sit remotus, tamen re vera amor sui vis est quae Stoicum quoque ad beneficentiam vocat. [6])

In Stoica sapientia paulo diutius commoratus sum, quia qui hanc sectam sequebantur tam elate et ample de ipsa

---

[1]) De Clem. I 1. § 2, 3, 4. Cf. etiam Cap. 5, 1: „Clementiam mansuetudinemque omnes boni viri praestabunt, misericordiam autem vitabunt: est enim vitium pusilli animi, ad speciem alienorum malorum succidentis."

[2]) De Benef. IV, 11, 1.

[3]) De Benef. IV, 12, 5.

[4]) De Benef. IV, 29, 3.

[5]) De Benef. IV, 12, 4.

[6]) Ut Cicero, ita Seneca quoque magnam vim tribuit beneficiorum gratae memoriae. Cf. De Benef. IV, 26 seqq. Dat sane etiam malis atque ingratis. At enim quia „satius est . prodesse etiam malis propter bonos quam bonis deesse propter malos"; quia „quaedam non poterant ceteris contingere. nisi universis darentur." (l. l. 28, 1, 6)

beneficentia scripserunt populique melior pars illorum praeceptis ducebatur. Scio equidem multitudinem a Stoica doctrina abhorruisse, [1]) sed tamen, sive nihilominus Stoica tacite animos movebant sive aliis de causis fiebat, [2]) increbruisse passim et invaluisse consuetudinem in omnes partes benigne faciendi constat. Quod iam apparebit, cum a generalibus ad singula venerimus.

---

[1]) Cf. Friedl. 1 l. pag. 677 seqq.

[2]) Graves quidem eaedemque manifestae causae erant, quod nobiles gloria ducti inter se bene faciendo praecurrere studebant, quod beneficentiae famam supremo titulo prorogari cupiebant, quod dignitate et splendore plebis oculos praestringere conabantur, et id genus alia.

Caput II.

Singula liberalitatum genera.

Iam transeuntibus ad singula liberalitatum genera, ut omittam aediles [1]) quos nonnunquam in caritate parvo frumentum vendidisse scimus, [2]) primum nobis ante oculos obversantur variae cibariorum distributiones, frumenti, olei, carnis, vini, pecuniarum quoque, [3]) tum epulae, [4]) munera, ludi, vena-

---

[1]) Exemplum habeas Cic. De Off. II, 17, 58: „Ne M. quidem Seio vitio datum est, quod in caritate asse modium populo dedit; magna enim se et inveterata invidia nec turpi iactura, quando erat aedilis, nec maxima liberavit."

[2]) Ut enim supra iam monuimus (pag. 130 cum adn. 3), aediles cum rei frumentariae mederentur, non semper satis exploratum est utrum publico an privato sumptu id facerent.

[3]) Eiusmodi largitiones congiariorum nomine comprehendi posse e superioribus iam novimus itemque ne ea quidem facile semper diiudicari posse utrum publica an privata essent. Initio sane erat privata munificentia. Cf. pag. 181.

[4]) Plut. Sulla 35: „Ἀποθύων δὲ τῆς οὐσίας ἁπάσης ὁ Σύλλας τῷ Ἡρακλεῖ δεκάτην ἑστιάσεις ἐποιεῖτο τῷ δήμῳ πολυτελεῖς· καὶ τοσοῦτον περιττὴ ἦν ἡ παρασκευὴ τῆς χρείας, ὥστε παμπληθῆ καθ' ἑκάστην ἡμέραν ἐς τὸν ποταμὸν ὄψα ῥιπτεῖσθαι, πίνεσθαι δὲ οἶνον ἐτῶν τεσσαράκοντα καὶ παλαιότερον." — Dio Cass. XXXVII, 51, 4: „κἀν τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ (a. u. c. 694 = a. Chr. n. 60) Φαῦστος ὁ τοῦ Σύλλου παῖς ἀγῶνά τε μονομαχίας ἐπὶ τῷ πατρὶ ἐποίησε, καὶ τὸν

tiones. [1]) Iam tum, cum libera erat Romanorum res publica, crebrae erant occasiones, neque hoc mirum in civitate illa, quae optimatium arbitrio regebatur; his enim, ut statum suum retinerent, pro dignitate vivendum magnificisque apparatibus vitaeque cultu cum elegantia et copia utendum erat. Quare saepissime eiusmodi largitionibus [2]) locum fuisse facile intellegimus ad aucupandum favorem in honoribus vel petendis vel acceptis et ad benevolentiam conciliandam potentiae comparandae causa, item in triumphis exornandis, [3]) in funeribus celebrandis, [4]) similibus.

δῆμον λαμπρῶς εἱστιάσε, τά τε λουτρὰ καὶ <τὸ> ἔλαιον προῖκα αὐτοῖς παρέσχεν." — Cic. De Off. II, 17, 58: „Oresti nuper prandia in semitis decumae nomine magno honori fuerunt."

[1]) Cic. De Off. II, 16, 55: „Prodigi, qui epulis et viscerationibus et gladiatorum muneribus, ludorum venationumque apparatu pecunias profundunt in eas res, quarum memoriam aut brevem aut nullam omnino sint relicturi."

[2]) Cf. pag. 181. Contemptim Cicero munerum istam largitionem dicit esse „adsentatorum populi multitudinis levitatem voluptate quasi titillantium." (De Off. II, 18, 63) Idem tamen paulo ante (17, 58): „Vitanda tamen suspicio est avaritiae . . . . . . Quare et, si postulatur a populo, bonis viris si non desiderantibus, at tamen adprobantibus faciundum est, modo pro facultatibus, nos ipsi ut fecimus, et si quando aliqua res maior atque utilior populari largitione adquiritur." Et Pro Mur. 36, 77: „Quare nec plebi Romanae eripiendi fructus isti sunt ludorum, gladiatorum, conviviorum, quae omnia maiores nostri comparaverunt, nec candidatis ista benignitas adimenda est, quae liberalitatem magis significat quam largitionem."

[3]) Athen. V, 65 (pag. 221f) (Ed. Kaibel): „ἐν τῷ τοῦ Ἡρακλέους εἱρῷ, ἐν ᾧ οἱ τοὺς θριάμβους κατάγοντες στρατηγοὶ ἑστιῶσι τοὺς πολίτας." Magnificum exemplum praebet Lucullus, qui ex Asia rediens „τήν τε πόλιν εἱστίασε λαμπρῶς καὶ τὰς περιοικίδας κώμας, ἃς οὐίκους καλοῦσι." (Plut. Luc. 37) Tunc ipsum vini „milia (illa) cadum congiarium divisit amplius centum." (Cf. pag. 176) De Caesaris triumphis dixi pagg. 176 seq., 188.

[4]) Liv. VIII, 22, 2: „Populo visceratio data a M. Flavio in funere matris." — XXXIX, 46, 2 seq.: „P. Licini funeris causa visceratio data et gladiatores centum viginti pugnarunt et ludi funebres per triduum facti, post ludos epulum. in quo cum toto foro triclinia strata essent e. q. s." — XXXXI, 28, 10, 11: „Munera gladiatorum eo anno aliquot, parva alia data; unum ante cetera insigne fuit T. Flaminini, quod mortis causa patris sui cum visceratione epuloque et ludis scaenicis

At vero multo plura dici possunt de Caesarianis temporibus. Tunc enim hominum animi vel maxime ad beneficia erant propensi. In honesta et magnifica opes suas insumere aetatis ratio et voluntas erat. [1]) Documento sunt cum

quadriduum dedit. magni tamen muneris ea summa fuit, ut per triduum quattuor et septuaginta homines pugnarint" (De *viscerationis* voce cf. pag. 188 adn. 4.)

Epula funebria sive cenae novendiales solebant esse tam luxuriosae, ut in proverbium venirent. Cogita de epulo illo funebri Q. Arrii, Ciceronis familiaris, de quo vide Cic. In Vat. 12, 30; 13, 31 (cf. Hor. Serm. II, 3, 86). Antiquam frugalitaem servavit Q. Tubero. „Is, cum epulum Q. Maximus P. Africani, patrui sui, nomine populo Romano daret, rogatus est a Maximo, ut triclinium sterneret, cum esset Tubero eiusdem Africani sororis filius. Atque ille, homo eruditissimus ac Stoicus, stravit pelliculis haedinis lectulos Punicanos et exposuit vasa Samia, quasi vero esset Diogenes Cynicus mortuus et non divini hominis Africani mors honestaretur." Addit tamen Cicero: „Huius in morte celebranda graviter tulit populus Romanus hanc perversam sapientiam Tuberonis, itaque homo integerrimus, civis optimus, cum esset L. Pauli nepos, P. Africani, ut dixi, sororis filius, his haedinis pelliculis praetura deiectus est. Odit populus Romanus privatam luxuriam, publicam magnificentiam diligit; non amat profusas epulas, sordes et inhumanitatem multo minus." (Cic. Pro Mur. 36, 75 seq.; cf. etiam Senec. Ep. Mor. XV, ep. 3 (95), 72 seq.; XVI, ep. 3 (98), 13; Val. Max. VII, 5, 1.) Complura munera funebria congessit Friedl. apud Marq. StV. III² pag. 554 adn. 5 et 6.

Municipiis idem mos erat. Exemplum habemus in filio L. Papio Pollione qui ex testamento patris arbitratu L. Novercinii Pollionis haec tria fecit in honorem patris. Primum mulsum et crustum, fortasse in exequiis, dedit colonis Sinuessanis, item omnibus hominibus ex vico Sinuessae attributo Caediciis. Deinde et munus gladiatorium et cenam dedit cum colonis Sinuessanis tum gentis Papiae omnibus hominibus. Denique monumentum fecit ex sestertium XII milibus nummum. Cf. C. I. L. I, 1199 et Mommsen ad h. t.

[1]) Mart. IX, 22, vs. 1, 2, 15, 16:

„Credis ob haec me, Pastor, opes fortasse rogare,
  Propter quae vulgus crassaque turba rogat,
Est nihil ex istis: superos ac sidera testor.
  Ergo quid? Ut donem, Pastor, et aedificem."

Cf. Friedl. Sittengesch. Roms III⁶ pag. 151: „Von den Reichen und Grossen wurde immer noch erwartet, dass sie ihren Ueberfluss nicht bloss zur Unterstützung der Armuth verwenden würden, ... sondern auch, dass sie die Armen an ihren Genüssen in reichem Masse theilnehmen lassen, ihnen Vortheile und Vergnügungen aller Art gewähren würden, von denen sie in der modernen Welt meist ausgeschlossen sind."

scriptores tum inscriptionum paene infinitus numerus. [1]) Saepenumero sane divites coacti potius quam sponte sua liberales fuisse putandi sunt. [2])

Hic quoque ordinem quendam servare consentaneum videtur. Quare liberalitatum varia genera describere conabimur.

a. Primo loco commemorandae sunt e p u l a e, s p o r-

---

[1]) Complures eiusmodi locos et titulos in proximis commemorabo. Nimirum sunt quoque iique non pauci, qui nullo proximorum generum contineantur, attamen et ipsi beneficam voluntatem illius et illius illustrent. In his sunt Dio Cass. XLVIII, 32, 2: „καὶ εἷς γε τῶν τότε (erat annus a. u. c. 714 = a. Chr. n. 40) ὑπατευσάντων Λούκιος Κορνήλιος Βάλβος ἐγένετο, Γαδειρεὺς τε ὢν καὶ πλούτῳ καὶ μεγαλονοίᾳ τοσοῦτον τοὺς καθ' ἑαυτὸν ἀνθρώπους ὑπερενεγκὼν ὥστε καὶ δωρεὰν τοῖς Ῥωμαίοις ἀνὰ πέντε καὶ εἴκοσι δραχμὰς τελευτῶν καταλιπεῖν." — C. I. L. VI, 9545 (= I, 1027; Henzen 7244), tabula marmorea effossa in via Appia, ut viri docti putant ex eiusdem Augusti aetate. Est monumentum cuiusdam margaritarii de sacra via, qui viatorem in hunc fere modum alloquitur (Ritschl (Mus. Rhen. XIV pag. 307 = Opusc. IV, 365) versus coniectura restituit):

Hospés resiste et hóc grumum ad laevam áspice
ubei cóntinentur [cóndita] ossa hominís boni,
amántis, misericórdis, frugi, paúperis.
Rogo té, viator, túmulo huic nil male féceris

Paulo aliter Bücheler apud Fleckeisen, Jahrbb. 1863, pag. 769. — VIII, 9384 e provincia Numidia: „D(is) M(anibus). Geminia Ingenua univir[i]a, conservatrix dulcissima, mater omnium hominum, parens o[m]nibus subvenie[n]s, innocens, castissima, praestans, rarissima, v(ixit) a(nnos) LXXXI. Tristem fecit nemine(m). O(ssa) v(olo ?) b(ene) q(uiescant)."

[2]) Suet. Tib. 37: „Cum Pollentina plebs funus cuiusdam primipilaris non prius ex foro misisset, quam extorta pecunia per vim heredibus ad gladiatorium munus e. q. s." Quid, consules cum sive magistratum ineuntes sive pro magistratu ludos exhibebant sportulisque cenam praebebant, nonne illos quoque morem tantum servavisse dixeris, cuius neglegendi potestatem non haberent? Cf. Epict. Diss. IV, 10, 21; Nemesian. De Aucup. 16 seqq. Prior locus est (Ed Didot): „Καὶ τί τὸ γινόμενόν ἐστι; Δώδεκα δεσμὰ ῥάβδων, καὶ τρὶς ἢ τετράκις ἐπὶ βῆμα καθίσαι, καὶ Κιρκήσια δοῦναι, καὶ σπυρίσι δειπνίσαι." De ludis consularibus vide Momms. StR. II³ pag. 136 seqq.

tulae, [1]) congiaria [2]) variis sollemnibus adiuncta. [3]) Quibus non solum Roma, sed etiam municipia, immo maxime longinquae provinciae abundabant. Plinius enim ad

---

1) De *rectarum cenarum* et *sportularum* discrimine dixi pag. 191. Ibidem iam monui (cf. etiam pag. 194 adn. 2) non raro quoque certam pecuniae summam fuisse datam, quae et ipsa *viscerationis, epuli, sportulae* vocibus designabatur. Cf. Marq. Privatl.[2] pag. 209 seq.: „Wer ein solches Mahl gab, musste nach römischem Gebrauche die Lieferung der Speisen einem Unternehmer (*manceps*) übertragen und diesem für jedes Couvert oder jede Sportula eine bestimmte Summe zahlen. Es lag daher nahe, diese Largition so zu vereinfachen, dass man die betreffende Summe direct den Festtheilnehmern zahlte und diesen überliess, dieselbe zu Hause, oder öffentlich und gemeinsam zu verzehren oder endlich zu anderen Zwecken zu verwenden. In der Kaiserzeit wenigstens ist unter *visceratio, epulum* und *sportula* häufig nur ein Geldgeschenk zu verstehen, obwohl zuweilen die Verwendung desselben zu einem Festmahle ausdrücklich angeordnet wird oder eine doppelte Bewilligung einer Geldsumme oder eines *epulum* stattfindet" — et titulos ibidem in adnotationibus allatos. In his titulis non semper ascripta sunt Corporis Inscriptionum volumina et numeri. Addere velim Orelli 1368, 3740 esse C. I. L. XIV 2793, 2120. Cf. etiam Waltzing, Étude histor. sur les corp. profess. chez les Romains, IV pag. 687 seq., qui de *sportulae* voce haec docet: „Le mot *sportula* s'emploie dans deux sens. 1° *Sportule en nature* . . . . 2° *Sportule en argent.* Ad 1° scribit: „Il faut remarquer que la sportule ne comprend que la viande, et si elle doit servir à un repas commun, il y a lieu de pourvoir en outre au pain, au vin et aux hors d' oeuvre: *adjecto pane et vino.*" Re vera inscriptiones Latinae ad epulas sportulasque pertinentes crebras non solum panis et vini, sed etiam olei divisiones testantur.

2) Agrippa aedilis anno a. u. c. 721 (a Chr. n. 33) „καὶ ἔλαιον καὶ ἅλας πᾶσι διέδωκε," idque „μηδὲν ἐκ τοῦ δημοσίου λαβών." (Dio Cass. XLIX, 43, 1, 3). Idem postquam diem supremum obiit, illius nomine Augustus centenas drachmas viritim populo divisit. (Dio Cass. LIV, 27, 4: „καθ' ἑκατὸν δραχμὰς τῷ δήμῳ ὡς καὶ ἐκείνου κελεύσαντος διένειμε.")

3) Varia quoque dona populo spargebantur vel etiam tesserae, quae quibus contigerant, iidem quoddam munus consequebantur. (Cf. pag. 194 seqq.) Exemplum habeas in eodem Agrippa, qui „καὶ τέλος σύμβολά τέ τινα ἐς τὸ θέατρον κατὰ κορυφὴν ἔρριψε, τῷ μὲν ἀργύριον τῷ δὲ ἐσθῆτα τῷ δὲ ἄλλο τι φέροντα, καὶ ἄλλα πάμπολλα ὤνια ἐς τὸ μέσον καταθεὶς διαρπάσαι σφίσιν ἐπέτρεψεν." (Dio Cass. l. l. § 4) Cogita quoque de Stellae ludis in honorem Domitiani de Sarmatis triumphi exhibitis, de quibus lege Mart. VIII, 78 et cf. supra pag. 195 adn. 1.

Traianum: „Qui virilem togam sumunt vel nuptias faciunt vel ineunt magistratum vel opus publicum dedicant, solent totam bulen atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare binosque denarios vel singulos dare. Quod an celebrandum et quatenus putes rogo scribas. Ipse enim sicut arbitror, praesertim ex sollemnibus causis, concedendas esse invitationes, ita vereor ne ii qui mille homines, interdum etiam plures vocant modum excedere et in speciem dianomes incidere videantur." [1]) Occasiones facile multiplicari possunt. Divites quidem, qui vel ipsorum vel propinqui cuiusdam vel imperatoris natalem celebrabant, qui defunctis cognatis parentare studebant, qui munere quodam fungebantur, quibus patria statuam posuerat, hos omnes saepissime ad epulum publicum oppidanos vocasse vel iisdem sportulas divisisse constat. Non raro quoque contra fiebat, ut statua poneretur iis, qui epulis, sportulis, congiariis dandis, publicis operibus faciendis, similibus de civibus suis bene meriti essent. [2]) Ludi quoque, quibus et ipsis liberales viri populum delectare solebant, conviviorum amplam occasionem praebebant. Tales epulae et quae sunt generis eiusdem aut semel tantum stato die habebantur aut quotannis, ut ad demortuorum honorem, renovabantur. [3]) Quod ut fieret saepius

---

[1]) C. Plini et Traiani Epist. 116 (117). Plinii litteris a Traiano haec rescripta sunt (Epist. 117 (118)): „Merito vereris ne in speciem dianomes incidat invitatio, quae et in numero modum excedit et quasi per corpora, non viritim singulos ex notitia, ad sollemnes sportulas contrahit. Sed ego ideo prudentiam tuam elegi ut formandis istius provinciae moribus ipse moderareris et ea constitueres quae ad perpetuam eius provinciae quietem essent profutura."

[2]) Cf. Friedl. l. l. pag. 257.

[3]) Varia exempla ad urbem Romam et ad municipia pertinentia contulit Marquardt (l. l. pag. 208 adn. 9 et 10) e Wilmanns, Exempla Inscr. Lat. Illud odiosum est, quod adhuc non omnes Corporis Inscriptionum Latinarum Indices emissi sunt. Desiderantur cum maxime Voluminis sexti Indices, Inscriptiones urbis

testamento cavebatur. [1]) Curae autem eiusmodi liberalitatum persaepe demandabantur cum civitatibus tum collegiis, quorum tum efflorescebat ingens proventus. [2]) Causae non

Romae Latinas continentis. Qui vero prelum reliquerunt, hos diligenter perscrutatus titulorum eiusmodi liberalitates testantium prope infinitum numerum repperi. Ita in Indicibus Voluminis quarti decimi, Inscriptiones Latii veteris Latinas continentis, s. v. *Notabilia varia* commemorantur: ***divisiones similesque liberalitates factae civibus vel collegis***, I ***semel, plerumque ob dedicationem statuae aut ipsius donatoris aut filii eius*** (enumerantur unus et viginti tituli); II ***in perpetuum (quotannis, ex reditu summae donatae, plerumque die natali aut ipsius donatoris aut filii eius)*** (sequuntur decem tituli). In Indicibus Voluminis noni, Inscriptiones Calabriae Apuliae Samnii Sabinorum Piceni Latinas continentis, s. v. *Notabilia varia*: ***divisiones factae***: I ***in perpetuum, plerumque die natalis eius qui dat filiive eius*** (sequuntur septem tituli); II ***semel factae, plerumque*** ob dedicationem statuae; ***item ob honorem*** (enumerantur unus et quadraginta tituli). Denique in Indicibus Voluminis decimi, Inscriptiones Bruttiorum, Lucaniae, Campaniae, Siciliae, Sardiniae continentis, s. v. *Notabilia varia*: ***divisiones*** I ***in perpetuum, plerumque die natali eius qui dat filiive eius*** (enumerantur septendecim tituli); II ***semel factae plerumque*** ob dedicationem statuae (sequuntur tituli fere quadraginta quattuor). Illis numeris tamen comprehensae sunt epulae sportulaeve solis honoratioribus praebitae (cf. pag 251).

[1]) Dig. XXX, 122: „Civitatibus legari potest etiam quod ad honorem ornatumque civitatis pertinet: ad ornatum puta quod ad instruendum forum theatrum stadium legatum fuerit: ad honorem puta quod ad munus edendum venationemve ludos scenicos ludos Circenses relictum fuerit aut quod ad divisionem singulorum civium vel epulum relictum fuerit." Cf. etiam Dig. XXX, 117; XXXIII, 1, 21, 3; 1, 23; 2, 16. Tituli quoque creberrima praebent exempla. (Friedl. l. l. pag. 152 adn. 6 hos tres commemorat: Orelli 80; 81; C. I. L. IX, 2226. Orelli 80 autem est C. I. L. XI, 379; Orelli 81 est C. I. L. XI, 2, 6377.)

[2]) Quod non impediebat lex Iulia Augusti, qua „collegia praeter antiqua et legitima dissolvit." (Suet. Aug. 32. Cf. pag. 31 adn. 4) Collegia enim tunc non prorsus vetabantur, sed admittebantur illa, „quibus senatus c(oire) c(onvocari) c(ogi) permis(era)t e lege Iulia ex auctoritate Aug(usti)." (C. I. L. VI, 2193 = Henzen 6097) Ex eo igitur publicae curae ac velut tutelae erant collegia. Cf. Liebenam Röm. Vereinsw. pag. 29 seqq.; Waltzing, Étude histor. sur les corp. profess. chez les Rom., I pag. 115 seqq. Legimus ibid. pag. 120: „On ne tolère plus ces associations privées dont l'État ne s'était pas mêlé aussi longtemps qu'elles étaient restées inoffensives. Toute corporation a besoin d'être autorisée, et l'autorisation, une fois obtenue, lui donne le caractère d'une institution d'utilité publique, d'un véritable organisme inférieur de l'État, jouissant de certains privilèges, tels que la personnification civile. Désormais les collèges auront donc un double caractère, public et privé." Immo haud ita multo post ab imperatoribus nulla difficultas erat

longe petendae sunt. Civitatibus enim et collegiis — quae et ipsa stabilitatis aliquid habebant — si illa curanda tradebantur, minus erat verendum ne mandata non peragerentur. Quin haud dubie quantum ratione provideri poterat, occurrebatur, ne collegia ab officii religione declinarent. [1]) Qui vero cuiuspiam collegii erant patroni aut in illo honorem quendam sustinebant vel sustinuerant, hi ut ipsis praecipua officia praestabat collegium, ita iidem parem gratiam referre studebant. [2]) At etiam socii — qui vulgo appellabantur collegiati vel corporati [3]) — collegiis vel corporibus benevolentiam praestare cupientes nonnunquam varias liberalitates in ea conferebant. [4])

Harum epularum autem, similium, quae tandem erat ratio? Pertinebant illae quidem ad deorum et mortuorum

in collegiis confirmandis. Cf. Waltzing l. l. pag. 153: Mais tout en maintenant... les lois prohibitives, les princes se montrèrent fort tolérants dans la pratique et nous pouvons croire qu'à partir du IIe siècle l'autorisation fut accordée facilement et, d'autre part, qu'on laissa beaucoup de collèges . . . . . . s'établir sans autorisation . . . . Aussi l'initiative privée fut-elle encouragée par des primes et des privilèges accordés aux membres de certaines corporations. On alla plus loin: les princes fondèrent eux-mêmes des collèges ou relevèrent ceux qui menaçaient de périr." Nec mirum magnam frequentiam collegiorum inveniri in inscriptionibus Romanis.

[1]) Cf. Uhlhorn, Christl. Liebesth.[2], pag. 22; Liebenam l. l. pag. 248 seq.; Waltzing o. l. I pag. 461; IV pag. 545

[2]) Nimirum gratus animus etiam aliis modis significari poterat. Velut saepius quis collegio cuidam scholam fecit, refecit, exornavit, ad scholam solum dedit, aedem et aram fecit vel exornavit, cetera. Tales liberalitates vide apud Waltzing o. l. I pag. 471 seqq. et crebras inscriptiones IV pag. 653 seqq. De sepulcris collegiis donatis vide infra pag. 256 seq.

[3]) De vocabulis, quae sunt *collegium*, *corpus*, *collegiati*, *corporati* vide Waltzing o. l. II pag. 139 seqq. et alibi; Liebenam o. l. pag. 184 seqq.

[4]) Qui de collegiis eorumque liberalitatibus plura scire velit, eum reicio ad Waltzing o. l., qui de hac re quattuor volumina implevit ingentemque inscriptionum copiam collegit. Idem omnes viros doctos enumeravit, qui de Romanorum collegiis scripserunt. Conferas quoque antiquitatum thesauros, quos emittunt Wissowa, Daremberg et Saglio, Ruggiero.

cultum, ad dominorum et convivarum honorem, ad pelliculam curandam et ad oblectationem, carebant tamen misericordia. Quod etiam hinc intellegitur. Quos praecipue honorare volebant, ut curatores, decuriones, immunes, ceteros, his maiorem portionem dare solebant. [1]) Immo nonnunquam honoratiores tantum invitabantur. Attamen epulas, panis, vini, olei, denariorum illas distributiones, quarum titulis praesertim creberrima mentio continetur, pauperioribus non ita parvo adiumento fuisse nemo non videbit. [2])

---

[1]) Viri docti inter alia vulgo afferunt C. I. L. VI, 10234 (= Or. 2417): „Salvia C(ai) f(ilia) Marcellina, ob memoriam Fl(avi) Apolloni proc(uratoris) Aug(usti), qui fuit a pinacothecis, et Capitonis Aug(usti) l(iberti) adiutoris eius, mariti sui optimi piissimi, donum dedit collegio Aesculapi et Hygiae locum aediculae cum pergula et signum marmoreum Aesculapi et solarium tectum iunctum, in quo populus collegi s(upra) s(cripti) epuletur . . . . . Item eadem Marcellina collegio s(upra) s(cripto) dedit donavitque (sestertium quinquaginta) m(ilia) n(ummum) hominibus n(umero sexaginta) . . . . . Ex reditu eius summae si quod comparaverint, sportulas hominib(us) n(umero) LX ex decreto universorum . . . . . uti XIII k(alendas) Oct(obres) die felicissimo n(atali) Antonini Aug(usti) n(ostri) Pii p(atris) p(atriae) sportulas dividerent: in templo divorum in aede divi Titi C(aio) Ofilio Hermeti q(uin)q(uennali) p(er)p(etuo) vel qui tunc erit, (denarios) III, Aelio Zenoni patri collegi (denarios) III, Salviae Marcellinae matri collegi (denarios) III, imm(unibus) sing(ulis) d(enarios binos), cur(atoribus) sing(ulis denarios binos), populo sing(ulis denarios singulos). Item pla(cuit) pr(idie) Non(as) Nov(embres) n(atali) collegi dividerent ex reditu s(upra) s(cripto) ad Martis in scholam n(ostram) praesentibus, q(uin)q(uennali denarios sex), patri colleg(i denarios sex), matri collegi (denarios sex), imm(unibus) sing(ulis denarios quaternos), cur(atoribus) sing(ulis denarios quaternos), [post haec verba quadratarius videtur omisisse *populo sing(ulis denarios) binos*; cf. Schiess, Die röm. coll. funerat., pag 107 adn 361] panem [a(ssium)] III; vinum mensuras q(uin)q(uennali) s(extariorum novem), patr(i) coll(egi sextariorum novem), imm(unibus) sing(ulis sextariorum senorum), cur(atoribus) sing(ulis sextariorum senorum), populo sing(ulis) s(extariorum ternorum) e q. s." Equidem in Corporis Inscriptionum Indicibus sescentos eiusmodi titulos inveni, quos omnes hic afferre longum est.

[2]) Boissier Relig. rom. II³ pag. 297: „Sans doute ces libéralités, à les prendre par leurs résultats plutôt que par leur principe, avaient souvent les mêmes effets que les secours qu'un homme charitable distribue aux malheureux; ces festins éternels que le protecteur offrait aux associés devaient diminuer leurs dépenses particulières; ils y trouvaient en réalité autant de profit que de plaisir. Le profit fut plus grand encore quand on eut l'idée de remplacer les repas par des distributions de vivres et

Facilius, opinor, in beneficiorum loco numerari possunt: *b.* Consilia illorum satis frequentia, qui „annonam passi non sunt increscere", qui „certam pecuniae summam dederunt ad annonae comparationem", qui „populo frumentum annona cara dederunt", similia. [1])

c. At benevolentiae virtus imprimis elucebat in alimentis, quae saepenumero privatos quoque instituisse novimus, imperatoribus cum exemplum dantes, tum fortasse eorum exemplum secutos. Iam Augusti aetate T. Helvius Basila „Atinatibus HS ccclↃↃↃ ccclↃↃↃ ccclↃↃↃ ccclↃↃↃ legavit, ut liberis eorum ex reditu, dum in aetate[m] pervenirent, frumentu[m] et postea sesterti[a] singula millia darentur." [2]) Unica sane ut temporibus illis liberalitas! Inde enim nihil eiusmodi demonstratur usque ad Plinium, qui egregiam in patriam Comum munificentiam suam ipse in hunc modum litteris mandavit: „Pro quingentis milibus nummum, quae in alimenta ingenuorum inge-

---

d'argent . . . . . Cependant ce n'est pas là véritablement une aumône, une distribution de charité, comme nous l'entendons aujourd'hui. Si le donateur . . . . . avait eu le dessein spécial de soulager leur misère, il aurait donné à chacun selon ses besoins; au contraire, ce sont les magistrats de la société, c'est-à-dire les plus riches, qui reçoivent le plus." — Uhlhorn l. l. pag. 24: „Aber gewiss kam doch die sportula und die Mahlzeit, das ausgetheilte Brot und der Wein auch manchem Hülfsbedürftigen zu gute, und haben wir auch keine eigentliche Liebesthätigkeit vor uns, so doch immerhin ein gewisses Analogon, ... und jedenfalls ist die Bildung der Collegien und das in ihnen sich entfaltende Leben für die christliche Liebesthätigkeit und ihre Entwicklung von der höchsten Bedeutung gewesen."

[1]) Ruggiero, Diz. epigr. s. v. *annona* (I pag. 474), plus viginti titulos congessit, huiusmodi liberalitates laudantes in hunc modum: *annona, inlata pecunia, adiuta* (C. II 53 cf. IX 5454), *annona frumentaria empta, plebem adiuvit* (C. II 4468), *populo frumentum, annona cara, dedit* (C. II 2782), *ad annonam (sestertium octoginta millia) n(ummum) dedit* (C. III 1448), et quae sunt reliqua Addere possis similem inscriptionem Graecam Athenis repertam C. I. A. III, 687 (= Boeckh C. I. G. 378).

[2]) C. I. L. X, 5056 (= Or. 4365). Cf. pag. 208 seq.

nuarumque promiseram, agrum ex meis longe pluris actori publico mancipavi: eundem vectigali inposito recepi, tricena milia annua daturus. Per hoc enim et rei publicae sors in tuto nec reditus incertus, et ager ipse propter id quod vectigal large supercurrit semper dominum, a quo exerceatur, inveniet. Nec ignoro me plus aliquanto quam donasse videor erogavisse, cum pulcherrimi agri pretium necessitas vectigalis infregerit. Sed oportet privatis utilitatibus publicas, mortalibus aeternas anteferre, multoque diligentius muneri suo consulere quam facultatibus." [1]) Hic locus vel ideo insignis est, quia alimentorum rationem aliqua ex parte illustrat. [2]) Alia alimenta privata instituta reperta sunt Florentiae [3]), Ostiae [4]), Tarracinae [5]), et extra Italiam Hispali [6]), in urbe Hispaniae, in Africae

---

[1]) Plin Ep. VII, 18. Cf. etiam I, 8, 10 seqq. Eodem respicit C. I. L. V, 5262 (= Or. 1172): „C. Plinius L. f. Ouf(entina) Caecilius [Secundus co(n)s(ul), augur . . . . . . [item vivu]s dedit in aliment(a) pueror(um) et puellar(um) pleb(is) urban(ae) HS [quingenta milia] e. q. s."

[2]) Multa sane non liquent, quae viris doctis iuris peritis disceptanda permittimus. Velut nonnulli sumunt pro certo, quod aliis dubium controversumque est, alii vero negant, publicorum ac privatorum alimentorum eandem fuisse condicionem. Cf. pag. 213 cum adn. 5.

[3]) C. I. L. XI, 1602: „[item ad alimenta pueris ingenuis per a]nnos XIIII, puellis [ingenuis per annos . . .] HS. . . [dedit] e. q. s."

[4]) C. I. L XIV, 350: „ . . . . Ag[ripp . . . .] Fabi Agr[ippae . . . .] decurioni . . . . . consensu po[puli . . . .] sestertium . . . . . testament[o . . . . ut ex eius] summae usu[ris pueri colo]niae [n(ostrae)] centum alerentu[r et . . . . .] e. q. s."

[5]) C. I. L. X, 6328 (= Henzen 6669): „Caelia C. f. Ma[c]rin[a] . . . . . . in memoria[m] Macri fili sui Tarricinensibus (sestertium decies) r[eli]quid, ut ex reditu eius pecuniae darentur centum pueris [*centum puellis* omisit quadratarius] alimentor[u]m nomine sing(ulis) mensib[us si]ng(ulis) pueris colonis (denarii) V, puellis colonis s[i]ng(ulis) in mens(es) sing(ulos denarii) IIII, pueris usq(ue) ad annos XVI, puellis [usq(ue) ad] annos XIIII, ita ut semper C pueri, C puellae per successiones accipiant." De usuris Mommsen ad h. t.: „Quod si usurae fuerunt non quincunces, sed trientes cum parte tertia ($4^1/_3$), reditus cum alimentis fere convenit."

[6]) C. I. L. II, 1174: „Fabiae Q. f. H[adianil]lae, consularis [f(iliae), senatoris

oppidis Sicca Veneria [1]) et Curubi [2]), denique fortasse Athenis [3]). Ut diversis locis usurae diversae exigebantur, ita summae quoque secundum regiones maiores minoresve singulis mensibus pueris singulis assignabantur. Pueris Tarracinensibus illis quidem satis magnae summae dabantur. Quam rem Henzen „ita cum Burghesio explicandam esse cense(t) (Bull. 1839, p. 156), ut regionibus Romae vicinis maioris pretii frumentum fuerit." [4])

---

uxori], senatoris sorori, senatoris matri. [Qui sunt in r(e) p(ublica) n(ostra) pueri] ingenui Iuncini item puellae i[ngenuae . . . . . ., eis] quodannis in annos singulos HS L mili[um usuras semisses] dari volo, quam summam bis in ann[o natali C. Seii viri mei] K. Mais et meo VII K. Maias, in aliment[orum ampliationem] accipiant, pueri ingenui HS XXX nummos, pu[ellae ingenuae HS XL n(ummos). Quam]quam summam sufficere credo, si tamen numerus [puerorum puellarumque s(upra) s(criptorum)] maior erit pro por[t]ione, qua inter masculos [ut distribuatur cavi], distribui omnibus volo. Quod si amplius er[it in legato, item aequabiliterq]ue inter eosdem distribuant[ur qui supererunt nummi]."

1) C. I. L. VIII, 1641: „P. Licinio M. f. Quir(ina) Papiriano, procur(atori) Aug(ustorum) . . . . Municipibus meis Cirthensibus Siccensibus carissimis mihi dare volo sestertium terdecies. Vestrae fidei committo, municipes carissimi, ut ex usuris eius summae quincuncibus quodannis alantur pueri CCC et puellae CC, puer[i] ab annis tribus ad annos (quindecim) et accipiant singuli pueri (denarios binos semissem) menstruos, puellae ab annis tribus ad annos (tredecim) denarios (binos). Legi autem debebunt municipes item incolae, dumtaxat qui intra continentia coloniae nostrae aedificia morabuntur; quos, si vobis videbitur, optimum erit per duoviros cuiusque anni legi; curari autem oportet, ut in locum adulti vel demortui cuiusque statim substituatur, ut semper plenus numerus alatur." Ad h. t. Wilmanns: „Fortasse lapicida v. 6 non semel tantum peccavit, sed bis; nam pro PUELLAE · CC · PVERIS si scribimus PVELLAE · CCC · PVERI, ratio convenit."

2) C. I. L. VIII, 980 (= Or. 530): „C. Helvio C. f. Arn(ensi) Honorato aedil(i), IIvir(o), IIvir(o) q(uin(q)uennali), II[vir(o)] et curat(ori) aliment(orum) distrib(uendorum) ob insignes liberalitates e. q. s."

3) Cf. C I. A. III, 61 et Dittenberger ad h. t.; Mommsen in Herm. V pag. 131. Haec alimenta tamen utrum publica an privata fuerint incertum. (Cf. Liebenam, Städteverw. im röm. Kaiserr. pag. 109) Marquardt (StV. II² pag. 144 adn. 4) etiam affert Front. Ep. ad amic. I, 14 (pag. 193 [immo: 183] Naber): „Et Varianis alumnis masculis feminisque sestertium deciens singulis reliquit."

4) Henzen, De tabul. aliment. Baeb., in Annali dell' Instit. 1844, pag. 29. Aliter Rodbertus. Cf. supra pag. 210 adn. 2.

Senioribus quoque nonnunquam alimenta relicta fuisse aperte indicant Digesta. [1])

d. Balneae vel lavationes aut in unum diem aut in certum tempus aut in perpetuum populo exhibitae. Haec liberalitas cuius frequentissima mentio fit in titulis cum Italiae tum provinciarum, vel maxime ideo conspicua est, quod aliquotiens ad hospites, adventores, peregrinos, immo vel ad servos et ancillas redundabat. Saepius quoque divites balneas de proprio fecerunt vel solum dederunt ad balneum aedificandum. [2]) Gratuitam autem balnearum

---

[1]) Dig. XXX, 122: „Hoc amplius quod in alimenta infirmae aetatis, puta senioribus vel pueris puellisque, relictum fuerit, ad honorem civitatis pertinere respondetur."

[2]) Hanc quoque liberalitatem nonnulla exempla illustrabunt. (De Fausti benignitate dixi pag. 243 adn. 4.) Primo loco commemoro id quod Agrippa fecit aedilis, (anno a. u. c. 721 = a. Chr. n. 33), qui „τά τε βαλανεῖα προῖκα δι' ἔτους καὶ τοῖς ἀνδράσι καὶ ταῖς γυναιξὶ λοῦσθαι παρέσχε." (Dio Cass. XLIX, 43, 3. Cf. Plin. N. H. XXXVI, 15, 121: „Et gratuita praebita balnea centum septuaginta, quae nunc Romae ad infinitum auxere numerum." De hoc loco Mau apud Pauly-Wissowa, Real-Encycl. s. v. *Bäder* (II[2] pag. 2747): „Meist missverstanden, als hätte Agrippa so viele B. erbaut." Ipsae balneae igitur erant publicae, quas tamen Agrippa gratuito utendas praebuit.) Notabile quoque quod subicit Dio: „καὶ τοὺς κουρέας ἐν ταῖς πανηγύρεσιν, ἃς πολλὰς καὶ παντοδαπὰς ἐποίησεν . . . . . , ἐμισθώσατο, ἵνα μηδεὶς μηδὲν αὐτοῖς ἀναλώσῃ." Immo moriens a. u. c. 742 (a. Chr. n. 12) „κήπους τέ σφισι (i. e. populo) καὶ τὸ βαλανεῖον τὸ ἐπώνυμον αὐτοῦ κατέλιπεν, ὥστε προῖκα αὐτοὺς λοῦσθαι, χωρία τινὰ ἐς τοῦτο τῷ Αὐγούστῳ δούς." (Dio Cass. LIV, 29, 4) — Sequitur Plinii testamentum, qui Comensibus aliquantam pecuniam legavit et in alios usus et ad thermas aedificandas, exornandas, tuendas (C. I L. V, 5262=Or. 1172. Cf. Momms. in Herm. III pag. 102.) — Addi possunt etiam alii tituli permulti. Velut C. I. L. II, 1956: „Iunia D(ecimi) filia Rustica sacerdos perpetua . . . . solum balinei dedit." — 3270: „Q. Torio Q. f. Culleoni . . . . quod . . . . solum ad balineum aedificandum dedit." — III, 7380: „Ti. Claudius Faustus et Claudia Nais Fausti balneum populo et familiai Caesaris n(ostri) d(e) p(roprio) f(ecerunt)." — V, 6522: „Terentia Q. f. Postumina suo et C. Veturi L. f. Lucumonis viri sui et C. Veturi C. f. Postumini f(ilii) sui nomine balineum solo privato et lavationem gratuitam in perpetuum dedit." — IX, 5074 (cf. 5075. Bis extat altero exemplo integro altero fracto): „Q. C. Poppaeei . . . . municipibus, coloneis, incoleis, hospitibus, adventoribus lavationem in perpetuom de sua pecunia dant." —

potestatem, meridianis praesertim nationibus, non facile nimium putabis. [1])

e. Privatos homines municipia in curandis aegrotis adiuvasse gratuita medicamentorum erogatione Friedländer, Uhlhorn, Lallemand colligunt ex inscriptione Or. 114 (qui titulus est C. I. L. XI, 426*) de aromatario quodam, qui vascula dulciariorum CCC, item HS LX testamento reliquisse narratur genero suo, ut aegris inopibus coloniae Felicis Lorii pharmaca et mulsum sine pretio erogaret. Inscriptio tamen falsa est. [2])

f. Minus est dubium, quin in sepulcris condendis privati municipia aemulati sint. [3]) Persaepe quoque

XI, 720: „Divus Aug(ustus) parens dedit . . . . Augustus Germanicus . . . . refecit. In huius balinei lavation(em sestertios) CCCC nomin(e) C. Aviasi T. f. Senecae f. sui, T. Aviasius Servandus pater testament(o) legavit ut ex reditu eius summ(ae) in perpetuum viri et impuberes utriusq(ue) sexsus gratis laventur." — 6167: „L. Octavio . . . . qui lavationem gratuitam municipib(us), *incoleis, hospitib(us) et adventorib(us), uxsorib(us), serveis ancilleisque eor(um) in perpetuom dedit*" [Adnotat Bormann: „Descripsi quod superest. Integram exhibent Metellus et Grut. . . . . . In eis quae perierunt exhibui exemplum Metelli et Grut." Quae ut denotaret, litteris inclinatis usus est.] — XIV, 2978 (cf. 2979): „C. Auruncéius C. [f.] Cotta colonis, incolis, hospiti[bus], adventoribus, servisq[ue] eorum lavationem ex sua pecu[nia] gratuitam in perpetuo[m dedit]."— Haec sufficiant. Plura vide apud Marq. Privatl.[2] pag. 273 seq. et apud Liebenam, Städteverw. im röm. Kaiserr. pag. 96 seqq.

[1]) Cf. pag. 227.

[2]) Adnotat Bormann: „Etsi de sinceritate adhuc dubitatum non est (recipit eam Wilmanns exempl. n. 2596), certum est esse ludum hominis recentis." Quod Friedländerum prorsus silentio neglexisse miror. Titulum commemorat in tertia parte (pag. 152) notissimi illius operis, quod inscribitur *Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms*; quae pars sextum edita est anno 1890, Corporis Inscriptionum Latinarum Voluminis undecimi pars prior iam anno 1888. Etiam magis vituperandus est Lallemand, qui de hoc loco nuperrime scribens Corpus Inscriptionum evolvisse non videatur. Quod ad medicos attinet, bene idem haec verba affert e Briau, L'assist. médic. chez les Rom., pag. 5: „Il ne pouvait pas non plus y être question de médecine gratuite, c'est-à-dire de soins donnés gratuitement par les médecins, comme cela a lieu universellement aujourd'hui, tout médecin regardant comme un devoir professionel de venir, sans rétribution aucune, traiter les pauvres dans leurs maladies."

[3]) Testimonii loco Friedländer (l. l. III[6] pag. 152 adn. 2) et Marquardt (l. l.

collegiis a patronis aliisve dabantur sepulturae loca, monumenta variaeque res ad sepulturam pertinentes, quales sunt locus ustrinae, maceries, puteus, labrum cum mensis, vigilum locus, taberna, solarium, similia. [1])

g. Primo certe vel secundo p. Chr. n. saeculo Romanos dispicere coepisse quantum rei publicae interesset ubique constitui b o n o s p r a e c e p t o r e s, [2]) docent Plinii cum exemplum tum epistulae. Illi enim quaerenti, cur Comensis cuiusdam filius praetextatus Mediolani, non Comi studeret, cum respondisset pater: „'quia nullos hic praeceptores habemus'" — „'Quare nullos?" inquit, „nam vehementer intererat vestra, qui patres estis', et opportune conplures patres audiebant, 'liberos vestros hic potissimum discere. Ubi enim aut iucundius morarentur quam in patria aut pudicius continerentur quam sub oculis parentum aut minore sumptu quam domi? Quantulum est ergo collata pecunia conducere praeceptores, quodque nunc in habitationes, in viatica, in ea quae peregre emuntur inpenditis adicere mercedibus? Atque adeo ego, qui nondum liberos habeo, paratus sum pro re publica nostra, quasi pro filia vel parente, tertiam partem eius quod conferre vobis placebit dare . . . . . Proinde consentite, conspirate

---

pag. 373 adn. 6) afferunt titulum Orelli 4404 (Sassinae), qui hodie invenitur etiam in Corpore Inscriptionum Latinarum (XI, 2, 6528). Titulus est: „ . . Hora[tius . . f.] Balb[us?] . . . municipibus [su]eis incoleisque [lo]ca sepultura[e] su(a) p(ecunia) dat, extra au[ct]orateis et quei sibei [la]queo manu(m) attulissent et quei quaestum spurcum professi essent, singuleis in fronte p(edes) X, in agrum p(edes) X, inter pontem Sapis et titulum superiorem qui est in fine Fangoniani. — In quibus loceis nemo humatus erit, qui volet, sibei vivous monumentum faciet. In quibus loceis humati erunt, ei d(um) t(axat), quei humatus erit, postereisque eius monumentum fieri licebit."

[1]) De hisce omnibus cf. Waltzing o. l. I pag 474 seqq. et inscriptiones IV pag. 661 seqq.

[2]) In eandem fere aetatem cadunt immunitates illae ab imperatoribus philosophis, rhetoribus, grammaticis donatae, de quibus vide pag. 226 seq.

maioremque animum ex meo sumite, qui cupio esse quam plurimum quod debeam conferre. Nihil honestius praestare liberis vestris, nihil gratius patriae potestis. Educentur hic qui hic nascuntur statimque ab infantia natale solum amare frequentare consuescant. Atque utinam tam claros praeceptores inducatis ut finitimis oppidis studia hinc petantur, utque nunc liberi vestri aliena in loca, ita mox alieni in hunc locum confluant!'" [1]) Idem municipibus suis pretiosam bibliothecam donavit, [2]) praeclarum munus Plinii liberalitatem non minus lucide declarans! [3])

h. Breviter tantum perstringendae sunt dominorum in servos libertosque humanitates. Quod servorum valetudini diligenter consulebant, id quidem leve videtur, siquidem ipsorum multum intererat servos suos semper esse bonis viribus. Graviores sunt ipsae manumissiones in dies crebriores; habitationes, cibaria, vestiaria libertis donata; fundi, domus, tabernae cum mercibus et instrumentis et supellectili, horrea, vinaria, pecuniae, similia iisdem legata; immo interdum patroni libertos suos testamento heredes scribebant ex triente, ex besse, atque adeo ex asse. [4]) Quae omnia haud dubie multum contulerunt ad miserias praecavendas.

---

[1]) Plin. Epist. IIII, 13.

[2]) Cf. Plin. Epist. I, 8, 2. De hac bibliotheca Momms. in Herm. III pag. 100 seq.: „Noch unter Domitian schenkte Plinius seinen Mitbürgern eine Bibliothek, zum Werthe, wie es scheint, von einer Million und stiftete zugleich zur Unterhaltung und Vermehrung derselben ein Capital von 100,000 Sesterzen." Has summas quomodo effecerit cf. ibidem (pag. 100 adn 6).

[3]) Aliud bibliothecae testamento datae exemplum habemus C. I. L. XI, 2704 (Volsinii): „— is bybliothecam a solo . . . mque libris et statuis . . . (t)estamento dedit." (Ad hunc titulum adnotatum est in C. I. L.: „2 in. potest fuisse simile quid atque *fecit ornata*]*mque* vel *cu*]*mque*."

[4]) Cf. Marq. l. l. pag. 177 seq. multosque locos (maximam partem e Digestis) ibidem allatos.

i. Vere Romanos m e n d i c a r e puduisse in Prooemio [1]) iam monui. Nullo tempore tamen defuisse qui precaria stipe victitarent e scriptoribus plane intellegimus. Iam Plauti aetate mendicantes extra portam trigeminam considere solebant. [2]) At deteriores mores in dies increbrescere solent. Quod hic quoque evenisse patet. Caesarianis quidem temporibus mendicorum maxima erat facultas in pontibus, in clivis, in viis publicis, in celeberrimis urbis partibus. [3]) Plurimi sane erant peregrini, Iudaei aliique, qui praetereuntium misericordiam requirere haud dubie plerumque iam a pueris assuescebant. [4]) Quid ergo? Ex ipsa hac mendicorum frequentia efficitur, ut non pauciores fuerint illi, qui egentibus stipem porrigere solerent. Plerosque tamen a vera misericordia longe afuisse docet Senec. De Clem. II, 6, 2. [5])

Restat Romanorum c l i e n t e l a, de qua in proximo capite dicturus sum.

---

[1]) pag. 6.

[2]) Vide Plaut. Capt. I, 1, 22.

[3]) Cf. Senec. De Vita beata 25, 1; Iuv. IV, 117 seq; XIV, 134; Mart. X, 5, 3; XII, 32, 25.

[4]) Mart. XII, 57, 13: „A matre doctus. rogare Iudaeus." Hominum misericordiam variis modis commovere studebant. Senec. De Clem. II, 6, 3: „(Sapiens) voltum quidem non deiciet nec animum ob crus alicuius aridum aut pannosam maciem et innixam baculo senectutem." Naufragi, qui omnia sua perdiderant, mendicantes tabulam secum ferebant, in qua tempestas depicta erat. Cf. Phaedr. IV, 22, 24 seqq.; Horat. A. P. 20 seq.; Pers. I, 88 seqq.; VI, 32 seq.; Mart. XII, 57, 12; Iuv. XIV, 301 seq. Alias misericordiae captandae rationes vide apud Friedl. l. l. I pag. 296.

[5]) Hunc locum iam bis descripsi, pagg. 12 et 240.

Caput III.

De clientela Romanorum.

Ne gravissimum locum omittamus, iam aliquamdiu insistendum erit Romanorum clientelae, [1]) cuius origo ut ad antiquissima civitatis Romanae tempora est revocanda, ita ipsa cum Romano nomine arte coniuncta est. Scio equidem inter priscam illam clientelam et novam aetatis imperatorum propriam pernimium interesse, neque ausim contendere hanc continuatione quadam ac progressione cum illa cohaerere. Attamen utriusque clientelae haec sunt communia, *a* quod et veteres et novi clientes erant in alieno patrocinio: ut illi non erant sui iuris, ita hi vix quicquam soluti et liberi prae se ferebant; *b* quod utrorumque rationibus variis modis consulere solebant patroni; *c* quod clientes tam priores quam posteriores vicissim patronis operam suam praestare debebant; *d* quod inter patronos et clientes pietatis quoddam vinculum intercedere non solum antiquissimis, sed etiam aliqua ex parte Caesa-

---

[1]) Viros doctos, qui de clientela Romanorum scripserunt, vide apud Pauly-Wissowa, Real-Encycl. s. v. *clientes* (IV² pag. 54 seq.).

rum temporibus hominum animis penitus insita opinio erat. At rursus inter utrosque non minora erant discrimina. Vetus enim illud patrocinium ad ipsa iura familiaria pertinebat; novorum clientium obsequia — licet civitatis status et ipse esset in culpa — magnam partem exsistebant ex inertia, servili animo, mollitie. Olim inter patronos et clientes summae coniunctionis vincula fuisse dixeris, qualia cum filiis devinciunt parentes; [1]) sub Caesaribus patronis gloria erat clientium magna turba, qui ut precario cibo victitarent, dignitati suae prorsus deerant, locupletibus fautoribus se prosternentes, quibus „ore suo benedicebant et corde suo maledicebant." [2]) Immo ne sanctitate quidem nova clientela veterem illam priorem adaequabat, „quippe quae per hereditatem vulgo iam non propagaretur, sed voluntarium quiddam ac fortuitum haberet, ut etiam ex arbitrio saepe dissolvi posset." [3])

In vetere illa priore tamen non amplius versabimur. De illa nempe nonnulla diximus pag. 21 seqq. Hoc loco ad novam tantum clientelam animum referamus, qualem Ciceronis et imperatorum temporibus fuisse e scriptorum testimoniis novimus. [4]) Primum hic certe locum obtinent Martialis et Iuvenalis, qui licet fortasse res interdum verbis paulo maius et acerbius faciant, tamen clientium indignitatem optime oculis subiciunt.

Ciceroni si fidem habemus, [5]) ipsius saeculo homines

---

[1]) Cf pag. 23 seq.

[2]) Ps. LXI (LXII), 5.

[3]) Synnerberg, De clientelae apud Romanos sub Caesaribus ratione (Helsingforsiae 1865), pag. 6.

[4]) Temporis angustiis coactus in proximis Friedländer potissimum secutus sum.

[5]) Pro Mur. Capp. 33 et 34. Cf. etiam Q. Ciceronis commentariolum de petitione consulatus. Is (Cap. 9, 34) adsectationis tres partes esse dicit, unam salutatorum, alteram deductorum, tertiam adsectatorum.

tenues unum habebant in senatorium ordinem aut promerendi aut referendi beneficii locum, in nobilium petitionibus operam atque adsectationem. Neque igitur deesse solebat tenuiorum „amiçorum" copia „officiosissimam nationem candidatorum" diligenter observantium.

Post exstinctam libertatem, cum magistratuum auctoritates cessarent, nobilium tales sectatores sibi adiungere non iam interfuisse dixeris. At quod erat in proceribus civitatis subinane afficiebatur quadam delectatione, cum clientium magna caterva stipabantur [1]) et in omnes partes colebantur. Hi ipsi erant multitudo valde promiscua, ardeliones, [2]) parasiti, testamentorum captatores, plani, esuriones, milites, liberti, ipsi senatores et consulares re familiari comminuti, poetae aliique viri ingenio praestantes, [3])

---

1) Complures locos vide apud John E. B. Mayor ad Iuv. VII, 142 et 143.

2) De ardelionibus cf. Friedl. Sittengesch. Roms I[6] pag. 411 seq.

3) Velut Martialis, qui „ter denos vigilavera(t) per annos" (XII, 18, 16), immo per triginta quattuor autumnos Romae vixit (X, 103, 7); Statius (Silv. IV, 9); auctor Carminis ad Pisonem; P. Egnatius Celer, Sorani cliens, postea „emptus ad opprimendum amicum", qui „auctoritatem Stoicae sectae praeferebat" (Tac. Ann. XVI, 32); alii. De poetarum clientela cf. Friedl. o. l. III[6] pag. 439 seqq. At de Martiali Statioque etiam legendus Vollmer ad Stat. Silv. pagg 18, 401 (ad III, 2, 92), 491 (ad IV, 9). Primo loco (pag. 18) scriptum video: „Dass Statius jemals, wie Martial zu den Annaei, in eine wirkliche Klientel eingetreten, ist kaum anzunehmen; daran hinderte ihn wohl der Gedanke an die eigene vornehme Abstammung. Thatsächlich aber wird die Art seines Verkehrs mit den vornehmen Freunden und seines Broterwerbes der des spanischen Dichters gleich gewesen sein." Tertio loco (pag. 491): „Ein wirkliches Clientelverhältnis des Dichters zu Grypus aus diesem scherzhaften Gedichte (mit Ruediger 1887, 29 und 33) zu erschliessen, bin ich nicht geneigt. Dem, was ich Einltg 18. 2 und zu III 2. 92 gesagt habe, ist noch hinzuzufügen, dass Dichter wie Statius und Martial, dessen Clientel zu den Annaei ihren Grund in der Heimatsgemeinschaft hat, sich im Interesse ihres Erwerbes anders als die gewöhnlichen Clienten, die im wesentlichen von den Brosamen e i n e s Hauses lebten, einen weiteren Kreis von Gönnern erhalten mussten. Dass ihre Bitten und ihre Verehrung sich die Formen und Bilder der Clientel anlegen, ist erklärlich; sie haben dadurch vielleicht mehr erreicht als durch wirklichen Eintritt in die Clientel ihrer Auftraggeber und Gönner."

qui non haberent unde uterentur, et id genus alii. Clientes non omnes fuisse indignos, quibus succurreretur, equidem non negabo, neque vero inter „dominos" [1]) nonnullos fuisse vere humanos. [2]) Illorum tamen longe plurimi valde erant miserandi. Toga amicti — [3]) cum alio vestitu „domino" praesto esse non licebat — ad officia praestanda iam noctu vel prima luce itineri se committere solebant. [4]) Nec ventis tempestatibusque nec viarum luto nec longinquitatibus detinebantur. [5]) Quorsum vero spectabat haec tam officiosa sedulitas? Omnium sane praecipua cura erat salutatio matutina. Multi tamen per totum fere diem „dominum" ubique prosequi debebant, [6]) „si in turbam incidebat, cunctos umbone repellere, vel si lis erat, ingenti facere convicia voce." [7]) Quidquid denique loquebatur faciebatque laudabant: [8]) si carmina recitabat, assurge-

---

[1]) Clientes patronos *dominos* vel *reges* appellare solebant. Cf. Friedl. o. l. I[6] pag. 385; Marq. l. l. pag. 206.

[2]) Cf. Friedl. l. l. pag. 390 de Pisone.

[3]) Sumptuosa illa quidem eademque aestate molesta vestis!

[4]) Iuv. V, 19 seqq.:

„Trebius, propter quod rumpere somnum
Debeat et ligulas dimittere, sollicitus ne
Tota salutatrix iam turba peregerit orbem,
Sideribus dubiis aut illo tempore, quo se
Frigida circumagunt pigri serraca bootae."

Cf. etiam vs. 76 seqq.; III, 126 seqq. — Lucian. Nigrin. 22 (Ed. Didot): „Πολὺ δὲ τούτων οἱ προσιόντες αὐτοὶ καὶ θεραπεύοντες γελοιότεροι, νυκτὸς μὲν ἐξανιστάμενοι μέσης, περιθέοντες δὲ ἐν κύκλῳ τὴν πόλιν." Plures locos vide apud Mayor ad Iuv. V, 19.

[5]) Cf. Mart. III, 36; V, 22; X, 82; XII, 26; Iuv. V, 76 seqq.

[6]) Quin lassi interdum eundem decima adeo vel serius hora in Agrippae thermas sequebantur, cum ipsi in Titi lavarentur (Mart. III, 36). Thermae illae dimidiae fere horae spatio inter se distabant. Cf. Friedl. ad hunc Martialis locum.

[7]) Mart. III, 46.

[8]) Mart. XI, 24, 3.

bant et „in ora manus tendebant"; [1]) si orationem habebat, „grande sophos clamabat turba togata"; [2]) similia. A dominis contra saepius in extremas inauditasque humilitates submittebantur. Immo ipsi servi iis probra intentabant. Illud autem vel maxime intolerandum, quod non raro in ipsa ianua introitu prohibebantur. „Illud adhuc gravius, quod te post mille labores, Paule, negat lasso ianitor esse domi." [3]) Itaque, ne operam et oleum perderent, ne nummulis quidem parcebant, quos per summum sudorem quaesiverant. Vel si mavis Iuvenalis verba: „Quid das, ut Cossum aliquando salutes? Ut te respiciat clauso Veiento labello? . . . . praestare tributa clientes Cogimur et cultis augere peculia servis." [4]) Atque adeo a servis clientium munera videntur aliquotiens fuisse aversa. [5])

Iam quaeritur, e tanta sedulitate quosnam fructus clientes percipere solerent? „Fructus amicitiae magnae cibus, inputat hunc rex, Et quamvis rarum tamen inputat." [6]) Clientes a divitibus ad cenam vocari videtur fuisse vetus

---

[1]) Mart. X, 10, 10. Adnotat Friedl.: „Es ist an Kusshände . . . . als Beifallsbezeigung zu denken"

[2]) Mart. VI, 48, 1.

[3]) Mart. V, 22, 9 seq. Alias excusationes habeas Iuv. III, 186: „Ille metit barbam, crinem hic deponit amati." (Vide interpretes ad h. l.) Cf. etiam Columella R. R. I, praef. 9, 10: „Neque enim roganti, quid agatur intus respondere servi dignantur. An putem fortunatius a catenato repulsum ianitore saepe nocte sera foribus ingratis adiacere?"

[4]) Iuv. III, 184 seqq. Plures locos vide apud Mayor ad h. l., quibus addere velim Lucian. De mercede conductis 10: „ἀλλὰ πολλῆς μὲν τῆς διαδρομῆς, συνεχοῦς δὲ τῆς θυραυλίας, ἕωθέν τε ἐξανισταμενον περιμένειν ὠθούμενον καὶ ἀποκλειόμενον καὶ ἀναίσχυντον ἐνίοτε καὶ ὀχληρὸν δοκοῦντα ὑπὸ θυρωρῷ κακῶς Συρίζοντι καὶ ὀνομακλήτορι Λιβυκῷ ταττόμενον καὶ μισθὸν τελοῦντα τῆς μνήμης τοῦ ὀνόματος."

[5]) Cf. Lucian. Cronosolon 15.

[6]) Iuv. V, 14 seq.

mos. Tempore tamen procedente hic quoque sportulae rectas cenas exceperunt. [1]) Vel potius, eaedem vicissitudines, quas in epulis publicis fuisse vidimus, hic quoque videntur esse ponendae. Itaque inde a Nerone sportulas inductas fuisse, per Domitianum rectarum cenarum consuetudinem revocatam esse credi potest. [2]) Patronos mox tamen rursus pecuniae sportulas dedisse constat, haud dubie clientium querelis coactos. His enim in cenis rectis viliores cibi vasaque apponi solebant. [3]) Accedit quod ex sportulis alia quoque necessaria vitae praesidia clientes hominesque eiusdem sortis sibi parasse legimus. [4]) Cottidianam sportulam

1) Friedl. Sittengesch. Roms I[6] pag. 438: „Dass der Patron den Clienten in der frühern Zeit zur Tafel zu ziehen pflegte, ist wahrscheinlich; und so scheint es noch in Horazens Zeit gewesen zu sein, nicht bloss nach Epp. I 7, sondern auch Satt. II 7, 36. II 8, 41. Epp. I 18, 10 möchte ich an wirkliche Clienten denken. Ob sie in Columellas Zeit schon mit Geld abgefunden worden sind, mag dahingestellt bleiben ..... Jedenfalls bestand bereits im Anfange von Domitians Regierung (und zwar vielleicht schon lange) die Sitte, dass die Clienten statt der Speisung an dem Tische des Patrons (cena recta) entweder eine von ihnen abzuholende Portion oder ein Aequivalent in Geld erhielten. Beides heisst Sportula, und das letztere, die Geldsportula, war das Gewöhnliche." — De clientium sportulis multum disceptaverunt viri docti, multa quoque nondum ad liquidum perducta sunt Conferantur (vide Friedl. l. l.) — antiquiora scripta omitto — Becker, Gallus II[3] pag. 164 seqq.; Becker-Göll II pag. 204 seqq.; Rein in Pauly's Real-Encycl. s. v *sportula* (VI pag. 3185); Heuermann, Ueb. d. Clienten unt. d. erst. röm. Kaisern (Progr. d. Gymn. zu Burgsteinfurt 1856), pag. 14—30; Id. Unters. üb. d. Sportula d. Clienten (Progr. d. Gymn. zu Burgsteinfurt 1875); Guttman, Observ. in M. Valer. Martial. partic. V; in primis Marq. Privatl.[2] pag. 207—212; Friedl. l. l. pag. 438—442.

2) Cf. supra pag. 191.

3) Cf. Iuv. Sat. V; Mart. I, 20; III, 49; 60; 82; IV, 68; 85; VI, 11; X, 49; Plin. Ep. II, 6.

4) Cf. Mart III, 30:

„Sportula nulla datur; gratis conviva recumbis:
Dic mihi, quid Romae, Gargiliane, facis?
Unde tibi togula est et fuscae pensio cellae?
Unde datur quadrans? unde vir es Chiones?
Cum ratione licet dicas te vivere summa,
Quod vivis, nulla cum ratione facis."

centum quadrantium (qui sunt viginti quinque asses) fuisse complures loci docent, [1]) tametsi nonnunquam maiores dabantur. [2]) Contra vero patronos interdum sportulas non largitos fuisse facile intellegimus, ut cum clientes reiecti essent vel officia non praestitissent, cum patroni aegrotarent, et quae sunt generis eiusdem causae. [3]) At praeter sportulas, quae erat, ut ita dicam, merces quaedam cottidiana, alia quoque varia munera clientibus obtingebant, velut, si occasio ferebat, nummi, vestimenta, [4]) agelli, [5]) gratuitae habitationes, [6]) denique omnis generis subsidia. [7]) Quin ipsi quoque divitioribus „amicis" viliora munera quae-

---

Iuv. I, 119 seq.:

„Quid facient comites, quibus hinc toga, calceus hinc est
Et panis fumusque domi?"

1) Cf. Iuvenalis locum modo descriptum; Mart I, 59, 1, et passim. — Iuvenalis temporibus (cf. Iuv. I, 100 seqq.) vel nobiles summique magistratus (Iuv. l. l.: „Troiugenae", „praetores", „tribuni", „summus honor", „densissima lectica", etc.) sine ullo pudore sportulas petebant. De hoc more cf. Friedl. l. l. pag. 441.

2) Maiores sportulae commemorantur Mart. VIII, 42; X, 27. Viri docti nonnulli addunt IX, 100, 1 seq.: „Denaris tribus invitas et mane togatum Observare iubes atria, Basse, tua." De hoc loco tamen Friedl. l. l. pag. 440: „Dagegen IX 100 . . . . . . scheinen die 3 Denare für einen langen Dienst versprochen zu werden, die Belohnung war dann also eine geringere als die übliche."

3) Cf. Mart. IV, 26; IX, 85. (In hoc epigrammate vir dives aegrum se simulabat, ne cogeretur amicis impertire sportulam.)

4) Mart. X, 11, 5 seq.:

„»Donavi tamen« inquis »amico milia quinque
Et lotam ut multum terve quaterve togam.«"

Cf. etiam ibid. 73; XII, 36; Pers. I, 54.

5) Cf. Horat. Ep. I, 7, 81; Mart. XI, 18; Iuv. IX, 59 seq. Alii vero „e turba pedisequorum lecticariorumque defectissimum annis et viribus in agrum relega(ban)t", vel „ex mercenariis aliquem, iam recusantem cotidianum illud tributum, ignarum rei, cui praefuturus e(ra)t, magistrum fieri iube(ban)t." (Colum. R. R. I, praef. 12.)

6) Cf. Dig. VII, 8, 3; IX, 3, 5, 1.

7) Friedl. l. l. pag. 382: „Auch Unterstützungen durch Darlehn, Bürgschaft. Rechtsbeistand und sonstiger Schutz scheinen immer noch in der Regel erwartet und gewährt worden zu sein." Quod ut probet, in adnotatione remittit ad Mart. II, 32; X, 18.

dam natalicia, Saturnalicia, strenas, similia mittere solebant, parva illa quidem, sperantes tamen fore ut magna sibi remitterentur. [1])

Scriptores legentibus, fieri non potest quin nobis persuadeamus clientes, etiamsi a mane usque ad vesperum quod miserandum esset in officiis praestandis laborarent, nihilo minus, si rem omnem spectamus, parce ac duriter se habuisse. [2]) In primis Martialis crebras iactat querimonias de locupletium sordibus ac tenacitate. [3]) At etiamsi illum rem verbis exasperare credas, omnes boni sane ab ipsa illa Romanorum clientela toto animo abhorrebunt. Haec enim in causa fuit, ut tot homines, integra plerique aetate, qui manuum mercede victum quaeritare aut nollent aut nequirent, indignissimum in modum alienis impensis alerentur. Tam „perperam non agit" [4]) caritas Christiana!

---

1) Mart. V, 18. Cf. Friedl. l. l. pag. 390; Marq. l. l. pagg. 206 (207) adn. 17 251 adn. 6.

2) Friedl. l. l.: „Der karge Tagelohn, der in Martials Zeit 6¼ Sesterzen zu betragen pflegte (eine Summe die man einem Sklaven als Trinkgeld gab, die aber nebst den übrigen Emolumenten für den Lebensunterhalt der Clienten nothdürftig hinreichte)."

3) Mart. V, 19, 14: „Qui crepet aureolos, forsitan unus erit."

4) 1 Cor. XIII, 4.

PARS QUARTA.

Quid fecerint ipsi pauperes ad statum suum sublevandum.

Una restat movenda quaestio, de tenuiorum hominum mutuo auxilio. In Prooemio [1]) iam monui eiusmodi curae pauca tantum vestigia reperiri, idque in collegiis, quae Caesarum cum maxime aetate florebant. Hanc curam paulo diligentius itemque perbreviter exponere hoc loco mihi est propositum.

Imperatores Romani, ut plurima variaque collegia confirmare non gravabantur [2]), ita illa, quae ne ad seditiosos coetus coirent verebantur, pariter opprimere pergebant. In his vix videntur posuisse *collegia tenuiorum*, quae dicuntur. Quod docent duo loci e Digestis, quorum alter est: „Mandatis principalibus praecipitur praesidibus provinciarum, ne patiantur esse collegia sodalicia neve milites collegia in castris habeant. sed permittitur tenuioribus stipem menstruam conferre, dum tamen semel in mense coeant, ne sub praetextu huiusmodi illicitum collegium coeat.

---

1) pag. 6.

2) Cf. pag. 249 adn. 2.

quod non tantum in urbe, sed et in Italia et in provinciis locum habere divus quoque Severus rescripsit. Sed religionis causa coire non prohibentur, dum tamen per hoc non fiat contra senatus consultum, quo illicita collegia arcentur." [1]) Alter vero: „Servos quoque licet in collegio tenuiorum recipi volentibus dominis, ut curatores horum corporum sciant, ne invito aut ignorante domino in collegium tenuiorum reciperent, et in futurum poena teneantur in singulos homines aureorum centum." [2])

Mommsen titulum quendam Lanuvinum cum his locis conferens argumentis vix dubii quicquam relinquentibus docuit [3]) *collegia tenuiorum* illa quidem fuisse quae dicit *collegia funeraticia.* Inscriptionem dico uberrimam, quae legem continet „collegii salutaris cultorum Dianae et Antinoi." [4]) Legi praemittitur hoc „Kaput ex s(enatus) c(onsulto) p(opuli) R(omani)": „Quib[us coire co]nvenire collegiumq(ue) habere liceat. Qui stipem menstruam conferre volen[t in fun]era, in it collegium coeant, neq(ue) sub specie eius collegi nisi semel in mense c[oeant co]nferendi causa, unde defuncti sepeliantur." [5]) Quae verba priori Marciani loco ita respondent, ut collegium Lanuvinum ipsum fuisse tale collegium tenuiorum satis constet.

In lubrico tamen versatur Mommsen, cum Tertulliani quodam loco [6]) fretus haec scribit: „Fuerit arca collegii quasi

---

[1]) Marcian. Dig. XXXXVII, 22, 1.

[2]) Id. Dig. XXXXVII, 22, 3, 2.

[3]) In libello illo quem scripsit „De collegiis et sodaliciis Romanorum" (Kiliae 1843). Nomen *collegia funeraticia* apud antiquos non invenitur; est Mommseni inventum.

[4]) C. I. L. XIV, 2112 (= Henzen 6086; etiam descripta est Fontes Iuris Rom. antiqui[6] pag. 345 seqq.).

[5]) Paulo infra (I, 15 seq.) legitur: „Et bene adque industrie contraxerimus, ut [e]xitus d[efu]nctorum honeste prosequamur!"

[6]) Tertull. Apolog. 39 (Ed. Bindley): „Etiam si quod arcae genus est, non de

communi auxilio eorum collegarum, qui subsidio indigerent, parata et solitum refugium orborum pauperumque, quam ob rem legata ad pias causas antequam Christiani imperatores melius iis prospicerent plerumque collegiis data et ab eorum magistris administrata esse arbitror." [1]) Immo necessarie demonstravit Waltzing tantum abesse ut paganorum collegia e Christianorum interpretari liceat, ut Tertullianus illo ipso loco haec illis longe praestare moneat. Neque vero ullam persuadendi necessitatem adhibent Plin. Ep. 92 (93) et 93 (94), quas quidem et ipsas viri docti afferre solent. In altera C. Plinius scribit Traiano Imperatori: „Amisenorum civitas libera et foederata beneficio indulgentiae tuae legibus suis utitur. In hac datum mihi libellum ad eranos [2]) pertinentem his litteris subieci, ut tu, domine, dispiceres quid et quatenus aut permittendum aut prohibendum putares." Respondet autem Traianus Plinio:

---

honoraria summa, quasi redemptae religionis congregatur; modicam unusquisque stipem menstrua die, vel quum velit, et si modo velit et si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis nec potaculis, nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque, et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, jamque domesticis senibus, item naufragis, et si qui in metallis, et si qui in insulis, vel in custodiis, dumtaxat ex caussa Dei sectae alumni confessionis suae fiunt."

[1]) o. l. pag. 91. Mommseni opinioni accesserunt viri docti complures; immo sunt qui *collegia funeraticia* non nisi speciem quandam *tenuiorum collegiorum* fuisse contendant. Cf. Loening, Gesch. d. deutsch. Kirchenr. I pag. 204 seqq.; Schiller, Gesch. d. röm. Kaiserz. I pag. 423; Schiess, Die röm. coll. funerat., pag. 8; Mané, Praef. fabr. pag. 29 seqq.; Liebenam Röm. Vereinsw. pag. 40; alii.

[2]) De hisce *eranis* lego apud Waltzing, Étude histor. sur les corp. profess. chez les Romains, I pag. 313 seqq.: „En effet, le mot ἔρανος, qui désignait en Grèce des associations religieuses de personnes organisant des banquets avec des cotisations, avait aussi le sens de cotisations réunies par plusieurs personnes pour faire un prêt d'argent, gratuit, mais remboursable. Il s'appliquait à la fois à ces corporations religieuses, qui ne faisaient pas de prêts, et aux prêts remboursables sans intérêt." Cf. etiam Reinach apud Daremb. et Sagl., Dict. d. Ant., s. v. *Eranos* (II pag. 805).

„Amisenos, quorum libellum epistulae tuae iunxeras, si legibus istorum, quibus de officio foederis utuntur, concessum est eranum habere, possumus quo minus habeant non inpedire, eo facilius, si tali conlatione non ad turbas et ad inlicitos coetus sed ad sustinendam tenuiorum inopiam utuntur. In ceteris civitatibus, quae nostro iure obstrictae sunt, res huiusmodi prohibenda est." Patet igitur Amisi re vera fuisse sodalitatem, quae pecuniam colligere solebat conferentibus ipsis sodalibus, ut si quis eorum egestate premeretur, sublevari ea posset. Recte tamen monet Waltzing Amisum fuisse oppidum Graecum — Ponto adiacebat — ex quo de Romanis urbibus coniecturam facere non liceat; [1]) immo in his eiusmodi Graecas sodalitates lege fuisse vetitas. Itaque nescio an Waltzing a vero non longe absit, cum pro certo ponit collegia tenuiorum fuisse collegia funeraticia, nihil aliud. [2])

---

[1]) Idem dicendum est de titulo quodam Hierapoli reperto, de quo Waltzing l. l. pag. 184 adn. 5: „A Hiérapolis, en Phrygie, on trouve une ἐργασία θρεμματική se rattachant au collège des teinturiers en pourpre (Ramsay, *Rev. arch.*, 1887, p. 354. Lebas, 1687). Ce serait, selon A. Wagener *(Rev. de l'Instr. publ. en Belg.*, 1868, p. 8. *Bull. de l'Acad. roy. de Belg.*, mai 1889, p. 414), une corporation de jeunes ouvriers, un atelier d'apprentissage pour les enfants pauvres. Sur *θρέμματα (inferioris conditionis liberi)*, voyez Boeckh, *C. I. Gr.*, *ad n.* 3318. On pourrait y voir une institution de bienfaisance; en tous cas, il s'agit d'une particularité comme en présentent les collèges de l'Asie Mineure, et l'on ne peut rien en conclure pour les collèges romains en général." Cf. etiam pag. 307 et III pag. 40 seq., ubi titulus est descriptus.

[2]) Fortasse quodammodo excipienda sunt militaria quaedam collegia Lambaesitana, funeraria et ipsa, (titulos Lambaesi repertos vide C. I. L. VIII, 2527 seqq.; additamenta ibid. pag. 954 seq.; supplementa 18039 seqq.; cf. etiam Liebenam l. l. pag. 300 seqq.) quorum socii in militia sane — plura efficere non licet — se invicem videntur sublevasse.

De hisce omnibus legatur (praeter viros doctos modo allatos pag. 270 adn. 1) Waltzing o. l. I pag. 300 seqq.; Id. Les corp rom. et la charité (Louvain 1895). (Cum eo iam in eadem sententia fuerat Boissier Relig. rom. II[3] pag. 296 seqq.) Conferantur etiam duae disputationes inaugurales (quae dicuntur), quas percurri

Haec collegia autem ita officium suum exsequebantur, ut cum unus ex sociis extremum vitae spiritum edidisset, funeris impensam aut omnem aut ex parte praestarent. [1]) Non pauca etiam communia sepulcra possidebant, in quibus aut ipsa corpora aut, ut in columbariis [2]), cineres condere solebant. [3])

Quodsi igitur tenuiorum collegia hoc potissimum habuisse constat, ut eorum sodalibus de honesto funere securis esse liceret, iisdem tamen etiam alias utilitates praebebant. Recte enim Cicero: „Nihil est tam illustre nec quod latius pateat quam coniunctio inter homines hominum et quasi quaedam societas et communicatio utilitatum." [4]) Quam vitae coniunctionem vel maxime habebant convivia, [5]) quae variis de causis, ut in collegii patroni [6]), deorum tutelarium, demortuorum, ceterorum, honorem inibantur. Ita tenuiorum collegia mirum quantum valuisse putanda sunt ad mutuas sodalitates familiaritatesque nutriendas, in quo ne id quidem est praetermittendum, in illa non solum

---

magis quam perlegi: Surugue, Les collegia tenuiorum (Paris 1894), et Gilly, Les collèges funéraires sous l'emp. rom. (Alais 1895).

[1]) Pecunia ista, quae appellabatur *funeraticium*, post mortem collegae heredibus adnumerabatur; intestato mortui apud collegium remanebat. Ex lege collegii salutaris cultorum Dianae et Antinoi (vide pag. 269) „quisquis ex quacumque causa mortem sibi adsciver(at), eius ratio funeris non habeb(a)tur."

[2]) De columbariis cf. Marq. Privatl.[2] pag. 370 seqq. et antiquitatum thesauros, quos sescenties iam attuli (Pauly-Wissowa, Daremberg et Saglio, Ruggiero).

[3]) De monumentis, funeraticiis, inferiis, cenis feralibus, lucernis cottidianis (cf. C. I. L. II, 2102), ceteris, singula persequi mihi non vacat. Multa sane illustrantur inscriptionibus, quas vide apud Waltzing. In primis spectanda est Lanuvina illa collegii Dianae et Antinoi ad collegia funeraria explicanda gravissima, de qua copiose disputavit Mommsen l. l. pag. 98 seqq.

[4]) Cic. De Fin. V, 23, 65.

[5]) Cic. Cat. mai. 13, 45. De collegiorum conviviis dixi pag. 249 seqq. (In titulo Lanuvino est II 23 seq.): „Ut quieti et hilares diebus sollemnibus epulemur.")

[6]) Ad sumptus tolerandos patronus ipse pecunias dare solebat. Cf. supra (l. l.).

mulieres libertinosque, sed etiam servos permultos fuisse assumptos. [1])

---

[1]) Cf. Dig. XXXXVII, 22, 3, 2 (locum supra descripsi pag. 269); Inscr. Lanuv. I, 33; II, 1 seq. (Ibi legimus: „[A n(ostro) co]llegio dolus malus abesto. Neque patrono neque patronae neque d[omino] neque dominae neque creditori ex hoc collegio ulla petitio esto, nisi si quis testamento heres nomina[tu]s erit." De hoc servorum beneficio cf. Wallon, Hist de l'Escl., III[2] pag. 451 seqq.) — Immo fuisse collegia funeraticia, quae ex solis servis constarent, monet Kornemann apud Pauly-Wissowa, Real-Encycl. s. v. *collegium* (IV[2] pag. 417).

EPILOGUS.

Prospero fortunae flatu usi iam ad optatos exitus pervecti sumus. Restat ut paulisper respicientes eorum quae cognovimus rationem subducamus. Vel potius, quae in Prooemio scripsi, hic repetere nihil habet utilitatis. Ibi enim iam summatim exposui „ea quae Romanorum publicis privatisque rationibus pro viribus meis diligenter excussis confirmari posse mihi vide(ba)ntur." Neque quae de singulis locis iudicabam, in singulis capitibus non effudi. Attamen una comprehensione omnia complecti non indignum videtur. [1]) Qui contendere velit Romanos pauperum rationibus haudquaquam prospexisse, is vehementer errabit. At medicinae imbecilliores erant quam morbus. Immo tantum aberat ut paupertatis malum re vera reprimeretur, ut quodam modo etiam augesceret et in dies altiores ageret radices. Non in Sallustii tantum aetatem cadit vox illa pervulgata: „Iuventus, quae in agris manuum mercede inopiam toleraverat, privatis atque publicis largitionibus excita urbanum otium ingrato labori praetulerat." In diversissimis donis spargendis enitebant locupletes Romani; in turbulenta multitudine delenienda nemini cedebant; verae tamen illius misericordiae et caritatis, quae in Euangelio praecipiuntur, erant expertes. Nam illae quoque virtutes unius Spiritus Christi dona sunt, ad quas pariendas parum proficiunt humanitatis quidam affectus, philosophorum doctrinae, paganorum religiones.

---

[1]) Temporis angustiis perquam brevi praecidere cogor.

APPENDIX.

QUA INQUIRITUR IN DISCRIMEN VOCABULORUM, QUAE SUNT „PAUPER", „EGENS (EGENUS)", „INOPS", „MENDICUS".

a. PAUPER.

Prellwitz [1]) *pauperis* vocem cohaerere docet cum Graeca *παῦρος*, Latina *paucus*, Gothica *favai*, Anglica *few*, atque derivandam esse a radice *παυ* in *παύω*. Collatio cum *παῦρος* etiam commendatur a Stolzio. [2]) Vanicek [3]) *pauper* derivat a radice *pava* (= *klein, gering*) et *paro*, ut prima significatio sit *wenig schaffend.* Bréal et Bailly [4]) a *pau* (cf. *pau-ci*) et *pario*, ut proprie sit *celui qui acquiert peu.* Una in re hi omnes consentiunt, notionem „exigui" in illo vocabulo manifesto inesse. Itaque proprie videtur is pauper esse

„cui Deus optulit
Parca quod satis est manu." [5])

---

1) Etym. Wörterb. d. gr. Spr.
2) In Iw. v. M.'s Handb. d. kl. Alt. II² pag. 259.
3) Etym. Wörterb. d. lat. Spr.²
4) Dict. étymol. lat.³
5) Hor. Carm. III, 16, 43 seq. — Eodem modo grammaticos Latinos vocabulum iam accepisse patet, quorum nugae etymologicae videlicet sunt praetermittendae. Varro L. L. V, 17, 92: „Pauper a paulo lare." (Ita Spengel. Vulgo: „paulola re".)

Pergamus iam ad locos nonnullos inter multos, ubi cuiusque aetatis scriptores „paupertatem" eiusmodi sensu intellexisse apparet.

Plaut. Epid. II, 1, 2 seqq.:

„Quid est, quod pudendum siet
Genere natam bono pauperem domum
Ducere te uxorem?"

Cic. Tusc. V, 35, 102:

„Dies deficiat, si velim paupertatis causam defendere. Aperta enim res est, et cotidie nos ipsa natura admonet, quam paucis, quam parvis rebus egeat, quam vilibus."

Ovid. Metam. III, 586 seq.:

„Pauper et ipse fuit linoque solebat et hamis
Decipere et calamo salientes ducere pisces."

Ibid. XIII, 824:

„Pauperis est numerare pecus."

Polyphemi verba sunt, Galateae, quam adamabat, persuadere studentis se divitissimum esse, adeo ut pecus suum numerare non queat.

Hor. Serm. I, 6, 71 seq.:

„Causa fuit pater his, qui macro pauper agello
Noluit in Flaui ludum me mittere."

Horatius de nimia patris sui parcimonia conqueritur, quippe qui parum filii studiorum curam habuisset, cum pauper quidem esset, verum agelli possessor.

Id. Ep. II, 2, 12:

„Res urget me nulla: meo sum pauper in aere."

Quod significat virum, quem loquentem inducit, debitis

Nonius s. v. *Paupertas* (pag. 60 Ed. Luc. Müller = pag. 43 edit. Mercerianae): „PAUPERTAS dicta est a pecunia parva. Varro de vita populi Romani lib. I: „pecuniaque erat parva: ab eo paupertas dicta."

pecuniis non urgeri, pauperem quidem esse, sed in aere alieno non versari.

Id. Ep. I, 1, 45 seq.:

„Impiger extremos curris mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes."

Stultum esse significat, qui se obiciat innumeris periculis, ut paupertatem (per se minime malum) fugiat.

Id. Carm. I, 1, 18:

„Mox reficit rates
Quassas, indocilis pauperiem pati."

Loquitur de mercatore paulo ante tempestates metuente.

Ibid. III, 29, 53 seqq.:

„(Fortuna) si celeris quatit
Pinnas, resigno quae dedit et mea
Virtute me inuoluo probamque
Pauperiem sine dote quaero."

Verg. Aen. VIII, 359 seqq.:

„Talibus inter se dictis ad tecta subibant
Pauperis Euandri passimque armenta videbant
Romanoque foro et lautis mugire Carinis."

Cuius passim armenta mugiant, eius profecto paupertas non est intoleranda.

Tib. I, 1, 5 seq.; 25:

„Me mea paupertas vita traducat inerti,
Dum meus adsiduo luceat igne focus.
Iam mihi, iam possim contentus vivere parvo."

Id. III, 3, 23 seq.:

„Sit mihi paupertas tecum iucunda, Neaera:
At sine te regum munera nulla volo."

Ibid. vs. 29 seqq.

„Nec me regna iuvant nec Lydius aurifer amnis
Nec quas terrarum sustinet orbis opes.

Haec alii cupiant, liceat mihi paupere cultu
Securo cara coniuge posse frui."

Tibullus equestri familia ortus, licet triumvirali agrorum divisione maiorem partem patrimonii amisisset, tamen satis retinuerat, unde facile viveret.

Senec. Ep. Mor. I, ep. 2, 5, 6:

„„Honesta, inquit (Epicurus), res est laeta paupertas." Illa vero non est paupertas, si laeta est. non qui parum habet, sed qui plus cupit, pauper est." [1])

Significat rem laetam nullo pacto id esse posse, quod per „paupertatem" designari soleat, rem scilicet ingratissimam.

Ibid. II, ep. 5 (17), 5:

„Si vis vacare animo, aut pauper sis oportet aut pauperi similis."

Ibid. XIII, ep. 2 (87), 40:

„Non video, quid aliud sit paupertas quam parvi possessio."

Mart. II, 90, 3:

„Vivere quod propero pauper nec inutilis annis,
Da veniam."

Poeta pauperem se nuncupat, cum tamen parvum praedium possideret. [2])

Ibid. XI, 32:

„Nec toga nec focus est nec tritus cimice lectus
Nec tibi de bibula sarta palude teges,
Nec puer aut senior, nulla est ancilla nec infans,
Nec sera nec clavis nec canis atque calix.
Tu tamen affectas, Nestor, dici atque videri
Pauper, et in populo quaeris habere locum.

1) Cf. Cic. Parad. 6, 45.
2) Cf. Friedl. in Martialis editionis praefatione, pag. 5.

Mentiris vanoque tibi blandiris honore.
Non est paupertas, Nestor, habere nihil." [1]

Tac. Dial. 6:

„Ipsos quin immo orbos et locupletes et potentes venire plerumque ad iuvenem et pauperem, ut aut sua aut amicorum discrimina commendent."

Id. Ann. I, 75:

„Propertio Celeri praetorii, veniam ordinis ob paupertatem petenti, deciens sestertium largitus est (Tiberius)." [2]

Denique Porphyr. ad Hor. Ep. II, 2, 199:

„Paupertas etiam honestae parsimoniae nomen est et usurpatur in fortuna mediocri."

Notandum est vocabula, quae sunt *pauper* et *paupertas*, haud raro usurpari, ubi agitur de pristino tempore et avita probitas simplicitasque intemperantiae posterorum opponuntur. [3]

Apud iuris consultos *pauper* inde a tertio p. Chr. n. saeculo significationem habebat haud ambigue circumscriptam. Pauperes enim tunc temporis erant omnes, qui minus quam quinquaginta aureos possidebant. [4]

---

[1] Cf. pag. 75. Simili modo Aristophanes in Pluto πηνίαν a πτωχείᾳ eleganter distinguit, e quo praesertim conferendi sunt vs. 522 seqq., quos descripsi pag. 143 adn. 2.

[2] Addi possunt permulti similes loci Tacitei, ut Ann. II, 37; 38; 48; IV, 44; XI, 23; XII, 52; XIII, 34; Hist. I, 20; 48; IV, 9; 47; etc.

[3] Vide pag. 27 et locos ibidem in adn. 4 allatos. Quibus addas Cic. De Leg. agr. II, 24, 64: „Tum, cum haberet haec res publica Luscinos, Calatinos, Acidinos, homines non solum honoribus populi rebusque gestis, verum etiam pa'ienta paupertatis ornatos." — Iuv. VI, 294 seq: „Nullum crimen abest facinusque libidinis, ex quo Paupertas Romana perit." — Sil. Ital. I, 609 seq.: „Concilium uocat augustum castaque beatos Paupertate patres." — Sic sescenties.

[4] Dig. XXXXVIII, 2, 10: „Nonnulli propter paupertatem, ut sunt qui minus quam quinquaginta aureos habent." De hac re vide Duruy, Hist. d. Rom. VI pag. 644.

b. EGENS (EGENUS).

Vocabulum, quod est *egens*, licet absolute positum saepius pro adiectivo dictum inveniatur, proprie tamen verbi *egendi* participium esse iam primo adspectu unusquisque dixerit. Ante aliquot annos vero Landgraf [1]) Festi interpretationem ab oblivione vindicavit. Festo si credere fas est, *egens* idem est quod *exgens*, i. e. cui ne gens quidem sit reliqua. [2]) Landgraf, de verbo *egeo* et de substantivo *egestas* idem perhibens, hoc condicionem hominis e patria pulsi indicare putat, illud idem esse atque „extra gentem meam sum." Quam opinionem ut argumentis confirmet, locum laudat e Livio (II, 6, 2): „(Tarquinius) orare maxume Veientes Tarquiniensesque, ne se *ex ipsis* ortum, eiusdem sanguinis, extorrem egentem ex tanto modo regno cum liberis adulescentibus ante oculos suos perire sinerent." In explicando hoc loco interpretes inter se non consentiunt. Fuere qui vocabulis permutatis „egentem, extorrem ex tanto . . . ." legendum censerent. Landgraf vero, et quod dempta coniunctione dissolute dicantur, et quod „alliteratio" (quae vulgo dicitur) figura hic locum habeat, vocabula „extorris exgens" ex antiquissimo sermone oriunda esse suspicatur; dum vero tempore procedente modo pro *egens* modo pro *extorris* aliud vocabulum sit substitutum, illud „extorris egens" abisse in „egens exul" (Sen. Med. 20), „exul egens" (Oros. IV, 5, 5), „expulsus egens" (Cic. De Fin. II, 32, 105), „exul extorris" (Liv. V, 30, 6), „exul inops" (Ovid.

1) Primum breviter in editione, quam paravit orationis pro Roscio Amerino (pag. 178 seq.), deinde copiosius in Wölfflin's Archiv für lat. Lexicogr. u. Gramm. (VII pag. 275 seqq.) de hoc vocabulo disputavit.

2) Festus pag. 77: „E g e n s velut exgens, cui ne gens quidem sit reliqua." Isidorus (Origg. X, 88) hanc explicationem iterans dicit: „Egens et egenus, extra gentem, et sine genere, vel minus indigens."

Ib. 113), vel alio vocabulo interiecto in „exsul orbus egens" (Cic. De Fin. V, 28, 84), „exul patria domo, solus atque omnium honestarum rerum egens" (Sall. Iug. 14, 17), etc. H. J. Müller, qui post mortem viri doctissimi Weissenborn, huius Livianam editionem saepius recognovit, in explicando loco laudato nuper Landgrafium secutus est. Nescio an perperam. Argumenta huius ad persuadendum parum valere mihi videntur. Accedit quod nusquam alibi aut *egens* aut *extorris* cum praepositione *ex* coniunctum occurrere videtur. Saepe *extorris* apud Livium invenitur, semper vero aut cum solo ablativo aut absolute positum. Quid multa? Landgraf conferre iubet verbum, quod est *egerere*, quod scriptum dicit pro *exgerere*. Qua de re quis cum eo contendat? At fugisse eum videtur, ubicumque *e* pro *ex* scriptum sit, hoc *e* longum esse, in *egens* vero breve. [1]) Praeterea nihil impedit, quominus in loco laudato Livii verba „ex tanto modo regno" interpretemur „statim post tantum regnum." Quod enim Landgraf dicit, regem Tarquinium „sine terra" fuisse, non „sine pecunia," parum huc facit, quia *egens* tam late patet, ut hominem significare possit, cuius res in magnis difficultatibus versentur.

Quotiens distinguunt Latini scriptores inter *pauper* (*pauper*-

---

[1]) *E* litteram in *egens* brevem esse satis constat, idque vel iis locis, ubi *egens* cum altero vocabulo coniunctum est idem vel fere idem declarante atque *extorris*. E poetis quattuor eiusmodi locos affert Landgraf, duos e Vergilio (Aen. I, 384: „Ipse ignotus egens Libyae deserta peragro." — et IIII, 373 seq.: „Eiectum litore, egentem Excepi."), de quibus nullo modo dubitari possit. Tum Sen. Med. 20, seq.: „Vivat, per urbes erret ignotas egens, Exul, pavens, invisus, incerti laris." — ubi *egens* est postremus pes versus senarii iambici; in ultimo pede autem nunquam spondeum pro iambo collocari satis nota lex est. (Cf. Hugo Gleditsch in Iw. v. M.'s Handb. II² pag. 825.) Restat Plaut. Rud. 409 seq. (= II, 3, 78 seq.): „Timidás, egenteis, úuidas, eiéctas, exanimátas Accépit ad sese." *Egen* hoc loco est secundus pes versus septenarii iambici, qui raro solet esse spondeus. (Cf. Hugo Gleditsch l. l. pag. 827.)

tas) et *egens* (*egestas*), hoc illo maiorem vim habere constat. Pauca exempla hic sufficiunt.

Cic. Parad. 6, 45:

„Istam paupertatem vel potius egestatem ac mendicitatem tuam numquam obscure tulisti."

Senec. Ep. Mor. II, ep. 5 (17), 6:

„Non est, quod paupertas nos a philosophia revocet, ne egestas quidem."

Ibid. VI, 6 (58), 1:

„Quanta verborum nobis paupertas, immo egestas sit, numquam magis quam hodierno die intellexi."

Similiter *egens* de homine usurpari potest, cui desint necessaria ad vivendum, quod *pauper* significare nequit.

Idem atque *egens* est *egenus*, quod multo minus tritum est et magis poetis atque historicis familiare. Omnium locorum, ubi *egenus* invenitur, notissimus est Verg. Aen. VI, 91 seq., ubi Sibylla, praesaga mali vates, nusquam fore Aeneae dicit, ut Iuno deliniatur,

„cum tu supplex in rebus egenis
Quas gentis Italum aut quas non oraveris urbes!"

Duos locos addere satis habeo.

Plaut. Capt. II, 3, 45 seq.:

„Neque med umquam deseruisse te neque factis neque
Rebus in dubiis, egenis." (fide

Id. Poen. I, 1 seqq.:

„Saepe ego res multas tibi mandaui, Milphio,
Dubias, egenas, inopiosas consili."

Inter scriptores orationis solutae praesertim Tacitus hac voce sive potius forma usus est, unde pendet genetivus aut ablativus (e. g. *spei*, *commeatibus*).

c. INOPS.

Huius vocabuli naturalis significatio unicuique patebit. *Inops* enim est is, qui ab (omni) auxilio est destitutus, qui (plane) est desertus ac derelictus. [1]) Quamobrem nonnunquam coniunctum invenitur cum vocabulis indicantibus solitudinem. Exempla sequuntur, imprimis substantivi ab *inope* originem ducentis, *inopiam* dico, ubi eadem observanda.

Cic. De Fin. IV, 23, 62 in versu ex Ennii Alcmaeo:

„. . . círcumventus mórbo, exsilio atque ínopia."

Id. Pro Rosc. Amer. 7, 20:

„Bonitas praediorum . . . . . . , huius inopia et solitudo commemoratur."

Cornif. ad Herenn. I, 5, 8:

„Item si nostra incommoda proferemus, inopiam, solitudinem, calamitatem."

Cic. Pro Quinct. 1, 5:

„Quodsi tu iudex nullo praesidio fuisse videbere contra vim et gratiam solitudini atque inopiae."

Cic. Pro Cluent. 20, 57:

„Itaque tum ille inopia et necessitate coactus . . . . . . confugit."

Ovid. Met. XIV, 217:

„Solus, inops, exspes, leto poenaeque relictus."

Inopia omnibus hisce locis aperte idem est quod Graecorum ἀπορία. *Consilii* saepe additum invenitur, e. g. Cic. Ad Att. VI, 3, 2; Ovid. Met. IX, 746; etc.

Inops vero non solum is dicitur, qui sine *ope* (auxilio), sed etiam, qui sine *opibus* est. Pluralis, ut notissimum est, interdum quidem idem significat quod singularis; sed plerum-

---

[1]) Sic iam Varro L. L. V, 17, 92: „Ab eadem (ope) Inops qui eius indiget."

que *divitias*, *potestatem* (*potentiam*) vel *copiam* (*remediorum*) indicat. Nonnunquam invenitur sensu militari, ut apud Nepotem (Belgice *troepen*); sed *copiae* longe usitatius est.

Saepe *inops* opponitur *copioso*, *opulento*, et *inopia copiae*, *opibus*. Pauca hic adducam exempla.

Cic. Parad. 6, 52:

„Non modo non copiosi ac divites, sed etiam inopes ac pauperes existimandi sunt."

Id. Pro Quinct. 30, 91:

„Ut plus huius inopia possit ad misericordiam quam illius opes ad crudelitatem."

Id. Cat. mai. 3, 8:

„Nec enim in summa inopia levis esse senectus potest, ne sapienti quidem, nec insipienti, etiam in summa copia, non gravis."

Ovid. Met. III, 466:

„Quod cupio, mecum est: inopem me copia fecit."

Egens et *inops* proprie in eo videntur differre, quod aliquis ex inope egens fit; inopia enim egestatem parit. Exemplum afferam unum, sed luculentum. Legimus apud Ciceronem (De Inv. I, 47, 88):

„'Cum dicebas: Si indigetis pecuniae, pecuniam non habetis; hoc intellegebam: Si propter inopiam in egestate estis, pecuniam non habetis, et idcirco concedebam."

Itaque homo *egens* magis laborat quam *inops*. Etiam inde colligere hoc possumus, quod *inopia* et *egestas*, quotiescumque occurrunt, haud alio ordine leguntur, frequenter particula *ac* vel *atque* inter se copulata. Nota res est, hanc particulam saepe ad augendum vel cumulandum valere. [1])

[1]) Cf. Kühner, Ausf. Gramm. d. lat. Spr. II § 153, 4.

Caes. B. G. VI, 24, 4:

„Nunc, quoniam in eadem inopia, egestate, patientia, qua *ante*, Germani permanent."

Cic. Catil. II, 11, 24:

„Neque ego ceteras copias, ornamenta, praesidia vestra cum illius latronis inopia atque egestate conferre debeo."

Plin. Ep. IIII, 18, 1:

„Inopia ac potius, ut Lucretius ait, egestate patrii sermonis."

Suet. Nero 6:

„Paene inops atque egens."

Id. De Gramm. 8:

„Adeo inops atque egens."

Paulo aliter res se habet in loco Cic. De Amic. 9, 29, ubi legimus:

„(Amicitia,) quam ex inopia atque indigentia natam volunt."
Ibi pro *egestate* invenitur *indigentia*. Magnum inter haec duo substantiva discrimen non intercedit. Per *egestatem* magis condicio laborantium propter paupertatem, per *indigentiam* potius desiderium illarum rerum, quibus vix caremus, videtur designari. [1])

Iam si *inops* et *inopia* cum vocibus *pauper* et *paupertas* conferimus, summa est illa his multo maiorem vim habere. Quod satis patet e

Suet. Gramm. 11:

„Vixit ad extremàm senectam, sed in summa pauperie, et pene inopia."

Val. Max. IIII, 8, 2:

---

[1]) Cf. Schultz, Lat. Synonymik.

„Fabius in honorem patriae paupertatem inopia mutauit."

d. MENDICUS.

Quod attinet ad vocabulum parum usitatum, quod est *mendicus*, origo eius nobis non multum prodest ad significationem enucleandam. [1]) Vanicek [2]) a radice *ma, mi,* (Germ. *mindern*) derivandum esse docet. Quod vero ad usum attinet, mendicus est is, qui ad summam inopiam redactus, circa domos et vias stipem orando quaerere coactus sit. Hoc si tenemus, *mendici* voci etiam maiorem vim tribuendam esse patet quam *egentis.* Pauca exempla sequuntur.

Cic. Parad. 6, 45 iam attuli pag. 282.

Catil. IV, 5, 10:

„Ut omnis animi cruciatus et corporis etiam egestas ac mendicitas consequatur."

Cic. De Fin. V, 28, 84:

„Paupertas si malum est, mendicus esse beatus nemo potest."

De hoc ultimo loco notandum est vocabulo, quod est *mendicus*, vocem, quae est *paupertas*, angustioribus finibus includi. Simul vero corroborari apparet, si cum ea comparamus quae sequuntur: „Dolere malum est; in crucem qui agitur, beatus esse non potest." In his verbis item „in crucem agi" magis coartatum est, quamvis et vehementius quam „dolere."

e. TENUIS.

Tenuis denique vocabulum est, quod latissime patet et

---

[1]) Nullius pretti est ratio Varronis L. L. V, 17, 92: „Mendicus a minus, cui quam opus est minus [nullo] est."

[2]) o. l.

accurate circumscriptis finibus contineri nequit. Universe indicat condicionem illius, qui opibus aliisve rebus parum floreat. Opponitur *locupleti, pecunioso, fortunato, etc.* Exempla :

Cic. De Inv. I, 25, 35 :

„In fortuna quaeritur, servus sit an liber, pecuniosus an tenuis, privatus an cum potestate."

Id. Verr. II, 55, 138 :

„Locupletissimi cuiusque censum extenuarant, tenuissimi auxerant."

Quodsi *tenuis* et *egens* leguntur inter se coniuncta hoc illo maiorem vim habet.

Cic. Cat. II, 9, 20 :

„Qui etiam non nullos agrestis homines tenues atque egentes in eandem illam spem rapinarum veterum impulerunt."

Haud ab re Landgraf monet *egestatis* vocem appellari posse vocem rhetoricam, *paupertatis* potius philosophorum esse propriam. Nec mirum. Orator enim gravioribus verbis uti solet, quo facilius aditum in animos auditorum sibi pariat; placidius contra et simplicius ii loquuntur, qui de philosophia agunt. Landgraf autem [1]) primus notavit Ciceronem in suis orationibus adiectivo, quod est *pauper*, non nisi ter, substantivo, quod est *paupertas*, semel tantum usum esse, *egens* contra tricies septies, *egestas* tricies bis. Quod ad Sallustium attinet, cuius sermo magis rhetoricum colorem habeat, hunc substantivum *paupertas* modo bis, *egestas* contra decies, *inops* ter, at *pauper* nusquam habere docet. Praeterea adnotat apud Caesarem eosque, qui eius scripta continuaverint, neque *pauper* neque *pau-*

[1]) In edit. Orat. Cic. pro Rosc. Amer., pag. 177.

pertas usquam inveniri, ceteros contra solutae orationis scriptores (plerosque certe) potius haec vocabula quam *egens cett.* usurpasse.

Illis Landgrafii observationibus addere velim, quae sequuntur. Quod de vocibus *pauper* et *paupertas* notavit, eo confirmatur, quod in Ciceronis scriptis de philosophia *pauper* septies, *paupertas* duodetricies invenitur. Quod vero de Caesare dicit, leve est; nam *egens* quoque bis modo, *egestas* non nisi semel apud eum occurrit. Operae pretium fuit Landgrafii vestigiis insistentem indagare quotiens vocabula *pauper*, *egens*, *cetera*, cum in reliquis Ciceronis scriptis tum apud alios scriptores Latinos inveniantur. Quae res cum maiores habeat difficultates, quia paucorum tantum lexica exstant, in quibus omnes loci singulorum vacabulorum indicati sunt, quae exstant diligenter perscrutatus, aliorum indicibus usus locupletissimis, quae inquirendo repperi in tabula circumscripsi. (Vide pag. 290.)

Apud posteriores scriptores vocabula, quae sunt *egens* et *egestas*, in universum magis magisque obsolescere constat, Tacito excepto, quod mirum non est, quoniam eius oratio in usu vocabulorum saepe Ciceronem et Sallustium imitatur. Landgrafii vero sententiae adiectivorum *egens* et *egenus* usum tandem usu vocis *pauper* esse repulsum [1]) suffragari nolim, quod ad „argenteae aetatis" scriptores attinet. Immo nescio an, si accurate distinguant, illi quoque discrimen illud servent, quod nos inter vocabula synonyma *pauper*, *inops*, *egens*, *mendicus* intercedere demonstravimus. Ut omittam Tacitum, pendantur loci quos attuli e Valerio Maximo, Seneca, Plinio, Suetonio. [2]) Quin etiam legimus apud ipsum Symmachum, qui

---

1) Ipsius verba sunt (l. l. pag. 178): „Als später egens und egenus untergingen, trat pauper im vollen Sinne unseres „arm" in die Lücke ein."

2) Cf. pagg. 282, 285, 286.

exeunte demum vixit saeculo quarto et ineunte quinto: „Inopia vel potius egestas ordinis Formiani." (Ep. X, 10)

Ex locis, quos a diversisimis scriptoribus mutuatus sum, iam apparet in vocabulo *pauper* inesse notionem, quae melius aliis collatis quam ipsa per se cognosci atque intellegi possit. Itaque sescenties *pauper diviti* opponitur, quamquam in utraque voce inest significatio magis adumbrata quam definita. In Ciceronis operibus de philosophia decem, in orationibus duos numeravi locos, ubi *dives* et *divitiae pauperi* et *paupertati* opposita sunt. Rhetores autem his vocabulis uti solent, ut pecuniosos seiungant ab iis, qui parum opibus floreant. Quod me adduxit, ut in huius opusculi titulo etiam vocabulum *pauper* scriberem. Si enim titulo „De cura *egentium*" usus essem, in nimis exiguo gyro coartatus mihi viderer.

TABULA (vide pag. 288).

	pauper	paupertas	pauperies	egens [1])	egenus [1])	egestas [1])	inops [1])	inopia [1])	mendicus	mendicitas
Plautus	26	11	3	5	3	9	10	13	9	2
Comicorum fragmenta	6	4	2	3	0	3	2	4	1[2])	0
Ennius	0	1	1	0	0	1	0	1	1	0
Cetera tragicorum fragmenta	0	0	0	1	0	2	0	0	2[3])	0
Cicero { Orationes	3	1	0	37[3])	0	31	13[3])	11[3])	2	7
Cicero { Scripta de philosophia	7	28	0	5[4])	0	6	8	8[5])	1	2
Caesar	0	0	0	2	0	1	1[2])	22[6])	0	0
Lucretius	0	3	0	0	1	5[3])	1	0	0	0
Nepos	5[7])	3	0	0	0	0	1	2	0	0
Catullus	2	0	0	0	0	0	1	0	0	0
Vergilius	13	0	1	2	3	2	5	0	0	0
Tibullus	9	2	0	0	0	0	1	0	0	0
Propertius	6	0	0	0	0	0	0	0	0	0
Horatius	26	5	15	1	0	0	10	0	1	0
Ovid. Metam.	3	1	0	0	0	0	8	0	0	0
Phaedrus	2	1	0	0	0	0	1	1	0	0
Lucanus	8	2	0	1	0	3	2	0	0	0
Martialis	41	3	0	0	0	2	4	0	1	0
Tacitus	8	17	1	8	1	7	16	6	0	0
Iuvenalis	12	6	0	1	0	1	3	0	0	0
Plin. Epist.	3	1	0	0	0	1	0	2	0	0

---

1) absolute positum.
2) loco corrupto.
3) semel loco corrupto.
4) duobus locis aperte est participium.
5) semel in versu e Caecilio allato.
6) semel: inopia frumentaria.
7) semel in fragmento.

ADDENDA ET CORRIGENDA.

Magnopere doleo, quod variae causae effecerunt, ut satis magnum temporis spatium intercederet inter primam huius libri plagulam et postremam. Quod ni accidisset, identidem nonnulla nunc adderem vel etiam leviter mutarem. Aestus litterarum philologarum hoc intervallo fluere non desiit. Ita pag. 5 vs. 2 hodie non amplius scribi potest „hoc saeculo", sed scribendum „priore saeculo." — In conscribendis iis, quae leguntur pagg. 21 seqq., 55 cum adn. 4, sine dubio ad meum usum accomodassem et in legentium usum laudassem Pauly-Wissowa, Real-Encycl. IV² s. v. *clientes* et s. v. *colonatus*. — Pag. 27 prelum iam reliquerat, cum de faenore Romanorum egregium opus emissum est. Billeter dico, Geschichte des Zinsfusses im gr.-röm. Altertum bis auf Justinian, Leipzig 1898. Pag. 27 adn. 5, 2o. potius in hunc modum legendum est:

2o. *ex usura quae ut temporibus illis levis esset.*

„Duodecim tabulis sanctum, ne quis unciario faenore amplius exerceret." (Tac. Ann. VI, 16) Unciarium faenus alii aliter intellegunt. E Streuberi (Der Zinsfuss bei den Römern, Basel 1857) aliorumque nonnullorum opinione, quam satis copiose defendit Billeter (o. l. pag. 160 seqq.), est uncia sive pars assis duodecima usurae nomine quovis anno d u o d e n u m mensium solvenda pro sorte unius assis ($8^1/_3{}^0/_0$). Plerisque contra recentioribus — ut Mommsen R. G. I⁸ pagg. 151 cum adn., 282 —

est uncia solvenda quovis anno d e n u m n ensium, quod facit partem assis decimam quovis anno duodenum mensium (10⁰/₀). Superiores, qui de faenore unciario egerunt, protulit Streuber (o. l. pag. 12—60) eorumque opiniones examinavit (cf. etiam Baumstark in Pauly's Real-Encycl. s. v. *fenus*), recentiores vide apud Billeter l. l. pag. 157 seqq.). Cf etiam Daremb. et Sagl., Dict. des Antiq., s. v. *foenus*. — Ceterum de unciario illo faenore nihil notum esse Billeter monet, utrum solitis usuris levius esset, etc. Billeteri verba laudavi pag. 117 adn. 2.

Pag. 56 adn. 4 non scripsissem desiderari frumenti hordeique pretia in Diocletiani edicto de pretiis rerum venalium. Nam in huius edicti nuper repertis fragmentis castrensis modius frumenti centum, hordei sexaginta denariis aestimatus est. Fragmenta illa edita sunt Ἐφημερ. ἀρχαιολ. 1899, pag. 147 seqq. Cf. de iis Blümner in Philol. LIX (N. F. XIII), pag. 584 seqq.

Sic plura sunt. Etiam alia nonnulla partim sunt addenda partim corrigenda. Minora praetermitto.

Pag. 9 vs. 3: pro „iniustnm" lege „iniustum".
Ibid. vs. 12: post „sepeliretur" excidit 2).
Pag. 13 adn. 1 vs. 6: pro „*misericordia*" lege „m i s e r i c o r d i a e"
Pag. 15 adn. 1 (in fine): post „Böckh, Staatshaush. der Athener, I² pag. 342 seqq" adde „(I³ pag. 308 seqq.)".
Pag. 17 (18) adn. 3 vs. 7: pro „Και" lege „Καὶ".
Ibid. vs. 8: pro „εῖναι" lege „εἶναι".
Pag. 22 adn. 1 vs. 6: pro „ique" lege „iique".
Ibid. vs. 7: pro „iclientes" lege „clientes".
Pag. 31 vs. 4: pro „et-" lege „et".
Pag. 43 vs. 16: pro „Praecipaus" lege „Praecipuas".
Ibid. adn. 4 vs. 1: pro „(„Post" lege „„(Post".
Pag. 48 adn. 1 vs. 9: pro „de Legibus agrariis" lege „de Agrorum assignationibus".
Pag. 55 (56) adn. 4 vs. 12: post „Heisterbergk, Die Entstehung des Colonats," adde „Mommsen in Herm. XV pagg. 385 seqq., 478 seqq."
Pag. 63 adn. 3 vs. 2: pro „scribat (l. l.) pag. 35 seq.)" lege „scribat (l. l. pag. 35 seq.)".
Pag. 65 vs. 20: pro „ἀνταγωνιστῶν" lege „ἀνταγωνιστῶν."".
Pag. 67 adn. 1 vs. 4: pro „Caput de Clientela" lege „Caput de Clientela Romanorum".
Pag. 73 vs. 23: pro „retro debita" lege „residua".

Pag. 99 : ad Nervae consilia agraria adde quod Herodianus (II, 4, 6) narrat de Pertinace : „πρῶτον μὲν γὰρ πᾶσαν τὴν κατ' Ἰταλίαν καὶ ἐν τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν ἀγεώργητόν τε καὶ παντάπασιν οὖσαν ἀργὸν ἐπέτρεψεν, ὁπόσην τις βούλεται καὶ δύναται, εἰ καὶ βασιλέως κτῆμα εἴη, καταλαμβάνειν ἐπιμεληθέντι τε καὶ γεωργήσαντι δεσπότῃ εἶναι· ἔδωκέ τε γεωργοῦσιν ἀτέλειαν πάντων ἐς δέκα ἔτη, καὶ διὰ παντὸς δεσποτείας ἀμεριμνίαν."

Pag. 121 adn. 2 vs. 2 : pro „Mommsenii" lege „Mommseni".

Pag. 129 adn. 1 vs. 3 : pro „pag. 923—974" lege „pag. 923—974)".

Pag. 131 (132) adn. 5 vs. 5 : pro „pag. 1347 adn. 1" lege „II pag. 1347 adn. 1".

Pag. 137 (138) adn. 4 vs. 27 : pro „pag. 256 seqq." lege „pagg. 91 seqq., 256 seqq.".

Pag. 142 adn. 1 vs. 5 : pro „Paviae 1900" lege „Papiae 1900" vel „Ticini 1900". Iam ante oculos habeo novam editionem illam Granii Liciniani, quam paravit Camozzi. Is autem locum illum de Lepido ita legit (pag. 59) : „Legem frumentariam nullo resistente adeptus est, ut annonae quinque modii populo darentur."

Pag. 142 (143) adn. 4 vs. 15 seqq. : delenda haec verba quae per incuriam irrepserunt : „Quod autem Mommsen l. l. pag. 146 adn. 1 Cassium Dionem ὅμιλον senatoribus equitibusque opponere ait, ex eodem contra proferri potest : „οὐχ ὅπως βουλευταῖς καὶ ἱππεῦσιν ἀλλὰ καὶ βασιλεῦσι, τῷ τε δήμῳ χιλίας μυριάδας" (LVI, 32, 2), ubi adnotat Boissevain : „fieri potest ut addiderit Dio, excerpere neglexerit Xiphilinus plebei Augustum legasse tricies quinquies, cf. Suet. etc."" — et substituenda : „Quod autem Mommsen l. l. pag. 146 adn. 1 Cassium Dionem ὅμιλον, non πλῆθος, senatoribus equitibusque opponere ait, ex eodem contra proferri potest : „τὸ μὲν οὖν πλῆθος οὕτως τότε ἐδείπνισεν, αὖθις δὲ τοὺς πρώτους τῆς γερουσίας καὶ τῶν ἱππέων τόνδε τὸν τρόπον." (LXVII, 9, 1)".

Pag. 160 (161) adn. 3 vs. 42 seq. : pro „eum, qui in sarcophago illo esset conditus, fuisse virum militarem" lege „puerum qui in sarcophago illo esset conditus, iam ab ineunte aetate militiae fuisse destinatum".

Ibid. (pag. 162) in adnotationis fine addenda sunt : „Haec explicatio mihi tamen non placet. Rem ita se habuisse puto, pueros illos iam adnumeratos fuisse in aeneatorum collegio, quia huic militiae generi destinati essent. Simili modo cuidam tribui iam ascripti erant, nequedum tamen cum ceteris tribulibus eadem iura habebant, ut docent Plinii verba (Paneg. 28) : „Ex his (sc. pueris alimentariis) castra, ex his tribus replebuntur." (Cf. pag. 211 adn. 1)".

Pag. 181 adn. 3 vs. 4 : pro „de Antonio" lege „de Caesare".

Pag. 198 vs. 14: pro „certa" lege „certe".
Pag. 225 vs. 19: pro „dedisse" lege „prospexisse".
Ibid. (pag. 226) adn 8 in fine addas: „Cf. etiam Liebenam, Städteverw. im röm. Kaiserr. pag. 93 seqq.".
Pag. 226 in ultima adnotatione excidit 6).
Pag. 232 vs. 12 seq.: pro „de Ofciis" lege „de Officiis".
Pag. 235 adn. 1 vs 1: pro „Trucul. II, 2, 13" lege „Trucul. II, 1, 13".
Ad pag 246 seqq. omnino conferenda est Tolleri disputatio „De spectaculis, cenis, distributionibus in municipiis Romanis Occidentis imperatorum aetate exhibitis" (Altenburgi 1889), quo libello continetur uberrima materia e C. I. L. (cf. opusculi mei pag. 248 adn. 3) collecta atque digesta.

THESES.

I.

Egentium cura vera atque propria a veteribus Romanis est abiudicanda. Immo tantum aberat ut paupertatis malum in civitate Romana re vera reprimeretur, ut quodam modo etiam augesceret et in dies altiores ageret radices.

II.

Mommsen a vero aliquantum abest, ubi de Caesare scribit: »Zuerst Caesar hat, was in der beschränkten Enge des attischen Lebens Gemeindesache geblieben war, zu einer organischen Staatinstitution entwickelt und eine Einrichtung, die für den Staat eine Last und eine Schmach war — respicit ad menstruas frumenti largitiones — umgeschaffen in die erste jener heute so unzählbaren wie segensreichen Anstalten, in denen das unendliche menschliche Erbarmen mit dem unendlichen menschlichen Elend ringt." (Momms. R. G. III[6] pag. 507.)

III.

Frumentariae leges ut e partium studio ortae erant, ita publicae frumenti largitiones rei publicae causa continuabantur neque unquam fuerunt egentium cura vera atque propria.

IIII.

Omnes cives Romanos (qui quidem Romae habitarent) »frumentationum" fuisse participes effici nequit ex Appian. B. C. I, 21: „καὶ περιφανέστατα αἱρεθεὶς (sc. C. Gracchus) εὐθὺς ἐπεβούλευε τῇ βουλῇ, σιτηρέσιον ἔμμηνον ὁρίσας ἑκάστῳ τῶν δημοτῶν ἀπὸ τῶν κοινῶν χρημάτων, οὐ πρότερον εἰωθὸς διαδίδοσθαι."

V.

Dio Cass. XXXVIII, 13, 1: „ὁ οὖν Κλώδιος ἐλπίσας αὐτὸν διὰ ταῦτα, ἂν τήν τε βουλὴν καὶ τοὺς ἱππέας τόν τε ὅμιλον προπαρασκευάσηται, ταχὺ κατεργάσεσθαι, τόν τε σῖτον προῖκα αὖθις διένειμε (τὸ γὰρ μετρεῖσθαι τοῖς ἀπόροις, τοῦ τε Γαβινίου ἤδη καὶ τοῦ Πίσωνος ὑπατευόντων, ἐσηγήσατο)."

Legendum est cum Madvigio: „τόν τε σῖτον προῖκα (αὖθις διενέμετο γὰρ) μετρεῖσθαι τοῖς ἀπόροις."

VI.

Thuc. IV, 73, 1: „μετὰ δὲ τοῦτο Βρασίδας καὶ τὸ στράτευμα ἐχώρουν ἐγγυτέρω τῆς θαλάσσης καὶ τῆς τῶν Μεγαρέων πόλεως, καὶ καταλαβόντες χωρίον ἐπιτήδειον παραταξάμενοι ἡσύχαζον, οἰόμενοι σφίσιν ἐπιέναι τοὺς Ἀθηναίους καὶ τοὺς Μεγαρέας ἐπιστάμενοι περιορωμένους ὁποτέρων ἡ νίκη ἔσται."

Recte Steupius ante οἰόμενοι inserit negationem οὐκ.

VII.

Thuc. IV, 117, 2: „τοὺς γὰρ δὴ ἄνδρας περὶ πλείονος ἐποιοῦντο κομίσασθαι, ὡς ἔτι Βρασίδας εὐτύχει."

Legendum est cum Sitzlero: „ἦ ἕσ' ἔτι Βρασίδας εὐτυχοῖ."

VIII.

Plato Sympos. 190 E (in fine): »ἓν στόμα ποιῶν ἀπέδει κατὰ μέσην τὴν γαστέρα, ὃ δὴ τὸν ὀμφαλὸν καλοῦσι."

Legendum est: »ὃ δὴ νῦν ὀμφαλὸν καλοῦσι."

VIIII.

Cic. Cat. II, 6, 12, ubi mirum in modum fluctuant cum codices tum editores, legendum videtur:

> »Homo enim videlicet timidus aut etiam permodestus vocem consulis ferre non potuit; simul atque ire in exsilium iussus est, paruit. Hesterno die, Quirites, cum domi meae paene interfectus essem, senatum in aedem Iovis Statoris convocavi."

Vitiose Orelli, Müller, Richter-Eberhard, Laubmann: »simul atque ire in exsilium iussus est, paruit, ivit."

X.

Horat. Carm. II, 4, vs. 9—12 recte ab Horatio abiudicat Peerlkampius.

XI.

Iniuria Meisel (in Melber's Blätter für das Gymnasial-Schulwesen XXXVIII pag. 355 seqq.) Hor. Serm. I, 6, 17 seq.: »Quid oportet nos facere a uolgo longe longeque remotos?" interpretatur: »Was sollen da w i r thun, d i e d a s V o l k s o w e i t, s o w e i t z u r ü c k g e s e t z t h a t?"

XII.

Hor. Epist. I, 1, 49 seqq.:

»Quis circum pagos et circum compita pugnax
Magna coronari contemnat Olympia, cui spes,

Cui sit condicio dulcis sine puluere palmae?"

Pro »contemnat" lege »non temnat".

XIII.

Aan het Grieksche leesboek van Prof. von Wilamowitz-Moellendorff, hoe voortreffelijk ook voor studenten, ligt eene valsche gedachte ten grondslag, en het stelt practisch aan het gymnasiaal onderwijs te hooge eischen.

XIV.

Ten onrechte hebben sommigen uit Aristot. Physic. II, 8, 2 (198b, vs. 29 seqq.): „ὅπου μὲν οὖν ἅπαντα συνέβη ὥσπερ κἂν εἰ ἕνεκά του ἐγίνετο, ταῦτα μὲν ἐσώθη ἀπὸ τοῦ αὐτομάτου συστάντα ἐπιτηδείως· ὅσα δὲ μὴ οὕτως, ἀπώλετο καὶ ἀπόλλυται, καθάπερ Ἐμπεδοκλῆς λέγει τὰ βουγενῆ ἀνδρόπρωρα" afgeleid, dat Empedocles een mechanisch evolutionisme heeft geleerd.

XV.

Alle philosophische stelsels zijn, wat de moraal betreft, noodzakelijk òf egoïstisch òf altruïstisch. Het Christendom lost de tegenstelling in hooger harmonie op.

XVI.

Kurt Breysig's stelling, »dass nur das soziale oder wenn man will sittliche Verhalten der Menschen unter einander, auf seine letzte und allgemeinste Formel gebracht, den ewig alten, immer neuen Stoff historischer Betrachtung darbieten kann" (Kulturgesch. d. Neuzeit I bl. VIII), is onjuist.

XVII.

De eisch, dien Kurt Breysig (t. a. pl. bl. XIII vlg.) aan eene

»allgemeine Geschichtsschreibung" stelt, is met het wezen van alle ware historiographie in strijd, en is practisch onuitvoerbaar.

De bedoelde plaats luidt: „Die Voraussetzung aber, unter der eine solche Darstellung allein Aussicht auf einen objektiv gültigen Erfolg hat, ist unzweifelhaft vollkommene Unparteilichkeit allen den nationalen und politischen, wirthschaftlichen und sozialen, religiösen, wissenschaftlichen oder ästhetischen Gegensätzen gegenüber, in deren Parteiung die Geschichte der neueren Jahrhunderte immer wieder und wieder hineingerissen wird. Wer dem Drama der Weltgeschichte, dem zuzuschauen so unsägliche Freude bereitet, als Lernender beiwohnen will, darf sich nicht von vornherein durch Standpunkt oder gefärbte Gläser Linien und Kolorit des Schauspiels umfälschen lassen."

XVIII.

De stelling van Seeck (Gesch. des Unterg. d. antik. Welt II pag. 342), »dass nicht die Sittlichkeit durch die Religion bestimmt (sei), sondern umgekehrt die Religion immer wieder nach den wechselnden Sittlichkeitsbegriffen gemodelt worden," is onjuist.

XVIIII.

Ten onrechte beschuldigt Prof. Bolland in zijne verhandeling over »Christendom en Rente" (XXe Eeuw, Mei-aflev. 1902, pag. 517) de »allicht te goeder trouw zich »Christelijk" wanende Gereformeerden", alsof zij, »reeds te beginnen met Calvijn, van meet af over de schriftuurlijke verbodsbepalingen tegen het nemen van rente kloekmoedig (zich zouden hebben) heengezet."

XX.

Het verzet van de Calvinistische predikanten tegen Coster's Academie was verklaarbaar en gerechtvaardigd.

XXI.

Bij de behandeling van de Romeinsche Geschiedenis en Antiquiteiten wordt de Keizertijd ten onrechte bij de Republiek achtergesteld.

XXII.

Op het Gymnasium behoort de behandeling van de Christelijke Religie een van de Catechisatie onderscheiden karakter te dragen.

XXIII.

Met de behandeling van het Engelsch behoort in de eerste klasse van het Gymnasium een aanvang te worden gemaakt.